PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ, DE SACRAMENTO ORDINIS,

Quas in Scholis Sorbonicis habuit

HONORATUS TOURNELY

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor,

Socius Sorbonicus, Regius & Emeritus Professor, Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonicus.

TOMUS DECIMUS.



VENETIIS,
Apud NICOLAUM PEZZANA.

MDCCXXXIX.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.





THEOLOGIÆ CANDIDATIS

PRÆFATIO.

CAUSA catholica, quam hìc agimus, dilectissimi Candidati, vestra est jure quodam ac titulo speciali. Divinam sacrarum Ordinationum, ad quas aspiratis, auctoritatem dum catholicæ Ecclesiæ pro viribus vindicamus, sortem vestram, statum ac dignitatem asserimus; adeo scilicet causa vestra cum catholica connexa est, ut stare una sine altera non possit.

Stare enim verè res catholica non potest, absque sacra ministrorum inauguratione, unde sacerdotium Legis evangelicæ, sacrificium, cæteraque omnia salutis animarum adjumenta & subsidia omnino dependent ac derivantur. *Si quis*, ait apposité Catechismus Romanus, *aliorum Sacramentorum naturam & rationem diligenter considerarit; facilè perspiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici, & administrari nullo modo queant; partim solemni cærimonia & religioso quodam ritu ac cultu carere videantur.* *Part. 2. de Ordinis Sacramento.*

Et verò quis non intelligat, sublato sacræ Ordinationis Sacramento, quo ritu speciali ministri sacri Deo consecrantur, funditus ruere christiani sacerdotii veritatem, clavium potestatem, peccatorum veniam ac remissionem; legum, ac publici ministerii vim & auctoritatem labefactari, ecclesiasticæ disciplinæ nervum dissolvi; & quod his omnibus longè majus est, augustum altaris sacrificium; quo nihil est in Religione Christi excellentius ac præstantius, nihil ad perennem gratiarum omnium fontem uberius ac salubrius, penitus subverti ac extingui?

a 2 Tanta

Tanta nimirum est inter sacerdotium & sacrificium affinitas, connexio tanta, ut utrumque illud certò possit affirmari, & sacerdotium sine sacrificio inutile ac otiosum esse, & sacrificium sine
Hebr. 5. v. 1. sacerdotio subsistere non posse, pronuntiante Apostolo, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Sess. 2. c. 1. Audite, dilect. Cand. Patres Tridentinos miram illam sacerdotii & sacrificii conjunctionem & œconomiam egregiè exponentes: *Sacrificium & sacerdotium*, inquiunt, *ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cùm igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum sacerdotium, in quod vetus tran-*
Ib. c. 2. *slatum est. Cùm autem*, pergunt Tridentini Patres, *divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium: consentaneum fuit, quo digniùs, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio inservirent.*

Atque hęc ipsa est sacra ministrorum Ecclesię in varios gradus &
Cantic. 6. v. 3. ordines distincta hierarchia, *terribilis ut castrorum acies ordinata*, unde tota efflorescit fortitudo ac pulchritudo domus Israel, *ex qua*
Ibid. c. 4. v. 3. *mille clypei pendent, omnis armatura fortium.* Quid enimverò terribilius, & ad frangendos omnes Hęreticorum impetus fortius & invictum magis, sacra illa ministrorum unita & subordinata in fidei defensionem conspiratione, adversùs quam, pręside ipso Christo capite ac confortante, portæ inferi nunquam prævalebunt?

In hunc finem Christus, Apostolo testante, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas,*
Ephes. 4. v. 11. *alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Sùum unicuique ministrorum officium proprium distribui ac servari voluit Christus, ne forte & confusio fieret, & pax inter ministros turbaretur.
1 Cor. 12. v. 29. *Numquid* enim *omnes Apostoli?* ait idem S. Paulus, *Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* Quod quidem familiari, sed eleganti comparatione membrorum corporis illustrat & confirmat v. 17. *Si totum corpus oculus*, ait; *ubi auditus? Si totum auditus; ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus multa quidem*
Rom. 12. v. 4. *membra, unumquodque eorum sicut voluit.* Rursus: *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

Non absimili de causa necesse fuit multos esse ac officiis planè distin-

distinctos in sacra Ecclesiæ hierarchia Ordinationis gradus, ita distributos, ait Concilium Tridentinum, *ut, qui iam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad maiores adscenderent*, nullius violato vel anticipato jure. Quotquot igitur distinctos illos ministrorum gradus *aut negaverint, aut omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, vel omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmaverint, ii omnes*, ajunt Patres Trid. *nihil aliud facere videntur, quàm ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere, perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes sint Apostoli, omnes Prophetæ &c.* Sess. 23. cap. 2. Conc. Tr. Sess. 23. c. 4.

Jamdiu est ex quo salutis humanę invidus dæmon, isthæc omnia turbare ac confundere aggressus est, jam tum præsentiens, quantum rebus suis ac tyrannico imperio exitium, ruinam quantam certò allatura foret sacri ministerii auctoritas, tot hominum saluti, quos ille perdere amat, æternum asserendæ destinata.

Hanc in sacris Ordinationibus confusionem ac perturbationem Hæreticis sui temporis exprobrabat Tertullianus Lib. de Præscript. cap. 41. *Ordinationes eorum*, inquiebat, *temerariæ, leves, incostantes. Nunc neophytos conlocant; nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus, nam & Laicis sacerdotalia munera iniungunt.* Quàm benè Novatores nostros Lutheranos, & Calvinistas ad vivum hìc adumbravit ac depinxit Tertullianus, apud quos nulla est Clericorum & Laicorum distinctio, sed omnes æqualiter Sacerdotes, æqualiter Evangelii administri habentur: aut si quam inter eos distinctionem admittere videantur, totam ex hominum institutione & arbitrio pendere volunt; adeo ut plebæi, & quivis de trivio homines statim atque populus jusserit, Sacerdotes evadant, & per solam ejus deputationem ac electionem verbi divini prædicandi, & Sacramentorum dispensandorum habeant potestatem; è contra verò facta ejusdem decreti rescissione, continuò in Laicorum ordinem redacti jaceant sine honore ac gradu. P. 217.

Quodnam verò sit erroris tam absurdi, dicam cum S. Epiphanio, *supra hominis captum tam furiosi ac immanis*, fundamentum, excipite, dilect. Cand. Omnem scilicet ecclesiasticæ potestatis ac jurisdictionis fontem, originem ac fundum, seu, ut vocant, *proprietatem*, in ipsa fidelis populi communitate collocant; ministerii verò usum dumtaxat & exercitium Pastoribus, tanquam populi vicariis ac delegatis, concedunt; ita ut non Hæresi 75. n. 3. 10. p. 306.

alia sit hujus ministerii mensura & regula, præter illam, quæ à populo ipso ad arbitrium distribritur. Testem hìc audite ipsummet Lutherum: *Episcopi cæterique Pastores*, dicebat Hæresiarcha, *nihil habent supra populum christianum, nisi ministerium seu exercitium quod ipsis de consensu populi commissum fuit. Sciant igitur, nullum in ipsis jus esse nobis imperandi: ministri dumtaxat sunt à nobis electi, ut nomine nostro agant; eorum auctoritas in simplici & nudo ministerio consistit. Nec Papa, nec Episcopi, nec alius quicunque populo christiano mandata imponere possunt, nisi eo confirmante: quidquid aliter fit, animo fit tyrannico.* Ex illo venenato fonte ac certa quadam doctrinæ connexione ac cohærentia, fluxit ista Quenelli Propositio inter proscriptas num. 90. *Ecclesia potestatem habet excommunicandi, ut exerceatur per primos Pastores ex consensu saltem præsumpto totius corporis*, id est populi non minùs, quàm ipsorum Pastorum. Quis æquo animo tam insulsam ferat doctrinam?

l. de Capt. Babyl. T. 2. p. 202.

An ergo populo dicebat Christus Matth. 28. v. 19. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti?* An ad populum hæc direxit, *Sicut me misit vivens Pater, & ego mitto vos . . . Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt?* An in populum cadere ista possunt, *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei?* Et ista, *Hujus rei gratia reliquit te Cretæ*, ait Apostolus ad Titum, *ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros?* Pudet profectò hujuscemodi deliria & figmenta hìc commemorare.

Joan. 20. v. 21.

Act. 20. v. 8.

Ad Tit. 1. v. 5.

An verò quisquam est, dilect. Cand. in rebus theologicis tam peregrinus & imperitus, qui nesciat Ecclesiam duplici quasi parte constare, pastore scilicet & grege, ministro & populo? Quid Ecclesia, inquit S. Cyprianus? *Plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.* Adhæret porro grex suo pastori, & populus ministro, cùm pastorem docentem audit, & ministrum sequitur. *Scire debes*, pergit sanctus Doctor, *Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & frustra sibi blandiri eos, qui cum Sacerdotibus Dei pacem non habentes, obrepunt & latenter apud quosdam communicare se credunt; quando Ecclesia, quæ catholica est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa & cohærens sibi invicem sacerdotum glutino copulata.*

Epist. 6. pag. 18. Edit. Rig.

En dilectissimi Candidati, quæ certa vobis & inconcussa esse debet

debet veritatis, & obedientiæ populorum regula: *Ecclesia* nimirum *connexa & cohærens sibi invicem Sacerdotum glutino copulata*. Enim verò post obligatam istam Christi fidem, *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, falsa esse nusquam potest; quæ à primis Pastoribus sibi connexis, ac cum primo omnium Pastorum & Capite Romano Pontifice cohærentibus, sententia de rebus fidei ac morum pronuntiatur: tanta in ea unione vis est, robur tantum, ut nullo unquam conjurati inferni conatu ac impetu fracta fuerit, aut frangi usquam possit: *Portæ inferi non prævalebunt*; est enim illa Ecclesiæ pars docens, *columna & firmamentum veritatis*.

Matth. 28. v. 20.

Matth 16. v. 28.

1. ad Tim. 3. v. 15.

Quorum porrò est docendi munus & officium, nisi Episcoporum, sive in Conciliis congregati, sive in suis Sedibus dispersi pronuntient? neque enim loco, sed characteri episcopali alligata est auctoritas, quam ubique sive separati, sive conjuncti exercere possunt. *Attendite vobis, & universo gregi*, ajebat S. Paulus, *in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*.

Act. 20. v. 28.

Regere autem Ecclesiam Dei, quid est? nisi subditos populos verbi prædicatione docere ac informare, spirituali Sacramentorum pabulo reficere, morum sanctitati ac disciplinæ invigilare attentiùs, jus dicere, reprimere rebelles ac contumaces, atque subnascentes de Religione controversias suprema & divina auctoritate terminare ac definire. *Visum est Spiritui sancto & nobis*, ajunt Apostoli in causa Circumcisionis, *nihil ultrà imponere vobis oneris, quam hæc necessaria &c.* Quæ porrò Superioribus inest imperandi auctoritas, hæc inferioribus imponit obsequendi legem ac necessitatem. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis*, ait S. Paulus: *ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Et Christus ipse, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*.

Act. 15. v. 28.

Heb. 13. v. 17.

Luce 10. v. 16.

Non alios in Religione Christi supremos fidei judices agnoscit constans Traditio, quàm Episcopos, quorum primus ac Caput est Romanus Pontifex, *cujus in fidei quæstionibus præcipuas partes esse, ac decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere*, declaravit Clerus Gallicanus.

Declar. a. 1682.

His legibus hactenus viximus, dilect. Cand. hac fide & regula stetit hactenus ac floruit & perpetuò florebit inconcussa catholica Ecclesia, frendentibus licèt ac tumultuantibus, qui nos conturbant, Novatoribus. Profanas eorum novitates, ac sermonem, qui velut cancer serpit, toti animo refugite, dilect. Cand. Cogitate, cùm de Religione agitur, *id ve-*

Vincent. Lirin. Commonit. c. 3. *rum esse, quod ubique, quod semper, quod omnibus creditum est*; non quod à paucis, qui animo & sententia a Romano Pontifice cæterisque Præsulibus divisi sunt, recenter excogitatum fuit.

Recenter excogitatum dico: nullum enimverò proferri hactenus potuit exemplum dogmatis alicujus communi Sedis Apostolicæ ac multò majoris Episcoporum partis judicio definiti, quod paucorum adversantium resistentia infirmatum apud Catholicos aliquando fuerit. Animo percurrite, dilectissimi Candidati, retro elapsa sæcula, variosque ac contrarios veterum Hæreticorum ante Nicænam Synodum, hoc est ad annum usque 325. errores excutite; perpendite diligenter qua ratione ac modo proscripti illi ab Ecclesia fuerint: nullum profectò, Lib. 4. ad Bonifac. cap. ult. Tom. 10. p. 492. teste S. Augustino, occurret vobis Concilium, nulla Synodus, aut Episcoporum Congregatio, sed una solummodo Apostolicæ Sedis, & ipsi adhærentium Episcoporum multitudo, qua proscriptos illos errores fuisse deprehendetis. Equidem non rarò subinde accessit Conciliorum vox & auctoritas: at nusquam id profectò efficient, auditos aliquando patienter fuisse, aut vel minimùm probatos paucos illos Præsules qui multitudini pervicaciùs reluctabantur. Exemplo sint 18. Episcopi Pelagiani, qui à judicio Romani Pontificis & Synodorum Africanorum ad Concilium generale appellantes, gravissima per Episcopos excommunicationis censura, & exilii pœna per Imperatores perstricti fuerunt.

Quo enim, quæso, res catholica recideret, si vel paucorum dissensus sententiam multitudinis infirmare; vel, quæ ad Concilium generale temerè ac illusoriè interponeretur provocatio, vim illius posset suspendere? Quanta hinc in Ecclesia Dei rerum confusio ac perturbatio! Quæso, quænam pendente diu Concilii definitione certa foret & fixa veritatis regula? Cui adhærere populus fidelis tunc teneretur? Nonne in suspenso posita illius fides hinc & inde fluctuaret, & omni vento doctrinę circumferretur? Nonne ab uniuscujusque arbitrio ac privato spiritu tunc illa penderet? Sic est, dilect. Candidati: ad extremas illas angustias, velint nolint, reducuntur, quicunque à judicio primę Sedis & multitudinis Episcoporum diffident. Ista etenim semel postposita auctoritate, qua certè nulla major est in Ecclesia, non alia superesse potest fidei ac doctrinę pręfixa regula, quàm quę ipsorum Novatorum est, unam intelligo Scripturam, ac privatum spiritum: alia, si fieri potest, nobis assignetur sine aperta contradictione. Sensus autem Scripturę, ut & Traditionis, quis judex

Judex est? nisi Ecclesia: Ecclesia verò quæ docet ac publicum exercet ministerium, ubi residet? nisi in primis Pastoribus Capiti suo adunatis? Quòd si certam & fixam hanc non teneamus credendi & agendi regulam, actum est de Religione: si quoties pauci reclamant, nullum agnoscatur in Ecclesia tribunal præsens ac subsistens, quo excitatæ de Religione controversiæ supremo judicio definiri possint, necesse est, eas ęternas ac interminabiles esse: populorum fidem in summa omnium confusione versari, totamque funditus subverti Rempublicam christianam. *Quòd si*, ait egregiè Melchior Canus, *hinc Pastores, inde oves in contrarias partes separentur, corporis compacti ac per omnem juncturam connexi disiunctio, omnem Ecclesiæ distrahet unitatem, & non solùm inter optimates & populum constitutam à Christo societatem evertet, sed communem etiam inter se Fidelium consociationem dirimet, cujus consociationis arctissimum vinculum fidei, est conspiratio eadem & consensus partium non divulsus: divulsus autem erit, si populorum membra à suis Capitibus divellantur; atque ubi semel plebs rudis à doctorum suorum communi sententia declinaverit, quorum doctrinam posteà secutura est?* (L. 4 de Locis c. 4. Conclusione quarta.)

Frustrà verò Novatores, ad eludendam vim latę definitionis, defectum diligentię vel examinis in Episcopis obtenderent. Namque, pergit insignis Theologus, *Si semel Hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ judices eam diligentiam & curam exhibuerint, quæ opus erat ut quæstio via & ratione finiretur; ecquis adeo cæcus est, qui non videat omnia mox Pontificum Conciliorumque judicia labefactari?* (L. 5. de Loc. c. 5. q. 3.) Non absimili prętextu læsę in suffragiis Episcoporum libertatis, ac neglecti examinis, Donatistę olim suam à judicio Romano & Synodorum Africæ ad Concilium generale provocationem obvolvere ac excusare tentarunt, *ut mundum, quem*, ait S. Augustinus, *pervertere non poterant, saltem commoverent*. (Lib 4. ad Bonif. c. ult.) Verum intrepidè respondebat S. Doctor: *Vestra apud competens judicium communium Episcoporum modò causa finita est; nec amplius vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quòd si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini.* (L. 3. contra Julian. c. 1. n. 5. To. 10. p. 555.)

Ad hanc judiciorum Ecclesiæ formam & legem oculos perpetuò conjicite, dilectissimi Candidati: Ministerii, in cujus partem ac societatem vocandi aliquando estis, jura pro viribus propugnate. Pręsunt equidem judiciis ecclesiasticis

primi

primi Pastores, *quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; illorum *honore salvo*, ajebat Tertullianus, *salva pax est*. Verumtamen cooperatores habent adjutores & administros inferioris ordinis Presbyteros, servata in omnibus istorum ab aliis subordinatione ac dependentia, quæ quidem tanta olim fuit, ut Episcopo præsente ne baptizare quidem Presbytero liceret. *Dandi quidem Baptismi ius habet summus Sacerdos, qui est Episcopus*, ajebat citato mox loco Tertull. *Deinde Presbyteri & Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est*. Idem prorsus etiam ætate sua in usu fuisse testatur S. Leo: *Neque*, inquit, *coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire; nec præsente Antistite infantem tingere aut signare; nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare, nec eo præsente, nisi illo iubente, Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere; nec eo coram posito populum docere, vel benedicere*.

L. de Baptismo c. 17. p. 231.

Epistola 88. T. 2. p. 637.

Idem ante illos dixerat S. Ignatius Martyr in Epistola ad Smyrneos. *Non licitum est sine Episcopo neque baptizare, neque Agapen facere*. Verùm subinde Episcopi variis aliis gravioribus curis detenti, liberum illud ministerium Presbyteris reliquerunt, cujus in ipsa sua Ordinatione completam à Christo acceperunt potestatem, reservata Episcopis Sacramentorum Ordinis & Confirmationis administratione. *Episcoporum enim Ordo*, ait S. Epiphan. hæresi 75. n. 4. *ad gignendos patres præcipuè pertinet: huius est patrum in Ecclesia propagatio; alter* (Presbyterorum) *cùm patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros*. Habet nimirum Ordo quilibet gradum suum ac definitam potestatem, extra quam excurrere non licet.

Ed. Cotel. p. 874. n 8.

Tom. 1. p. 908.

Quilibet igitur se in eo gradu modestè contineat, ad quem vocatus à Deo supponitur: *Nec quisquam enim*, ait Apostolus *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. *Obsecro igitur vos*, dilectissimi Candidati, (verba sunt Apostoli) *ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis..... Unicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*.

Hebr. 5. v. 4.

Ephes. 4. vers. 1.

v. 7.

IN-

INDEX
QUÆSTIONUM.

QUÆSTIO PRIMA. *De nomine, definitione, ac existentia Ordinis.* Pag. 1
Nomen. ibid.
Ordinis definitio. 3
Existentia Ordinis. ibid.
CONCLUSIO. *Ordinem sumptum pro sacra hierarchia, in qua institutione divina varii deputantur ministri ad Sacra obeunda, & Fidelibus dispensanda Sacramenta, existere, eumque à Laicorum ordine omninò esse distinctum, constans ac perpetua semper fuit Ecclesiæ fides ac doctrina.* 4
Solvuntur Objectiones. 9
QUÆSTIO SECUNDA. *De essentia seu natura Ordinis.* 13
ARTICULUS PRIMUS. *An Ordo seu Ordinatio verum sit & propriè dictum Sacramentum.* ibid.
CONCLUSIO. *Ordo seu Ordinatio qua sacri inaugurantur ministri, verum est ac propriè dictum Legis novæ Sacramentum.* 14
ARTICULUS II. *An rata & valida sit apud Anglos Episcopos Ordinatio.* 19
Observanda. 20
CONCLUSIO. *Ordinatio Episcoporum Anglorum ad formam & legem Ritualis Eduardi VI. peracta, irrita est, nulla, invalida.* 23
Solvuntur Objectiones. 34
QUÆSTIO TERTIA. *De materia & forma sacrarum Ordinationum.* 40
Status quæstionis, ac variæ sententiæ exponuntur. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Materia essentialis Sacramenti Ordinis est impositio manuum, forma verò oratio.* 44
Refellitur opinio quæ confundit manus impositionem cum porrectione instrumentorum. 48
SECUNDA CONCLUSIO. *Instrumentorum porrectio cum verbis adjunctis omninò adhibenda, non quidem ut pars essentialis, sed integralis Sacramenti Ordinis.* 51
QUÆSTIO QUARTA. *De causis: hoc est, auctore, ministro & subjecto Sacramenti Ordinis.* 53
ARTICULUS PRIMUS. *De auctore seu institutore Sacramenti Ordinis.* ibid.
CONCLUSIO. *Christus Sacramentum Ordinationis instituit.* ibid.
ARTICULUS II. *De ministro Sacramenti Ordinis.* 54
Status quæstionis, error Novatorum, nostrorum Scholasticorum diversa exponuntur placita. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Solus Episcopus jure divino ac vi suæ Ordinationis est minister sacrorum Ordinum.* 55
SECUNDA CONCLUSIO. *Simplex Sacerdos, accedente Ecclesiæ vel S. Pontificis dispensatione, potest conferre Tonsuram, minores Ordines, & Subdiaconatum; non verò alios majores seu hierarchicos Ordines, scilicet Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum.* 57
Solvuntur Objectiones adversùs primam Conclusionem. 59
Solvuntur Objectiones adversùs secundam Conclusionem. 60
ARTICULUS III. *Quis sit Episcopus à quo percipi debeat Ordinatio.* 66
Quis sit Episcopus originis. 71

Quis

Quis Episcopus domicilii. 72
Quis Episcopus Beneficii. 73
ARTICULUS IV. *De subjecto Ordinationis, seu de eo qui capax est percipiendæ Ordinationis.* 78
An solus homo viator sit capax Ordinationis. 79
CONCLUSIO. *Solus homo viator est capax Ordinationis.* ib.
An solus homo baptizatus possit validè Ordinationem percipere. 80
CONCLUSIO. *Solus homo baptizatus potest validè Ordinationem percipere.* ibid.
An infantes, amentes, aliique rationis usu destituti possint validè ordinari. 82
CONCLUSIO. *Verisimilius videtur, nullam & irritam fore Ordinationem quæ infantibus ante rationis usum, vel amentibus daretur.* ibid.
An possit ordinari omninò ac planè invitus. 84
CONCLUSIO. *Irrita foret ac nulla Ordinatio data homini omninò ac plenè invito.* 86
An mulieres sint Ordinationis capaces. ibid.
CONCLUSIO. *Mulieres sacræ Ordinationis prorsus incapaces sunt.* 87
Quæ fuerint olim dictæ Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, Subdiaconissæ. 92
An hæretici, scelerati, indocti, validè possint ordinari. 99
CONCLUSIO. *Valida & rata est Ordinatio quoad substantiam & characterem percepta ab hæreticis, sceleratis &c.* ibid.
Quæ sint conditiones prærequisitæ ut quis legitimè Ordinationem percipiat. 100
De Ordinatione per saltum. 104
ARTICULUS V. *De impedimentis removentibus ab Ordinatione.* 106
Quid sit irregularitas. ibid.
Quotuplex sit irregularitas. 107
De variis speciebus irregularitatis. 109
De irregularitatibus provenientibus ex defectu. ibid.
De irregularitate ex defectu animæ. ibid.
De irregularitate ex defectu corporis. 111
De irregularitate ex defectu natalium. 112
De irregularitate ex defectu famæ. 113
De irregularitate ex defectu ætatis. 115
De irregularitate ex defectu obligationis. ibid.
De irregularitate ex defectu Sacramenti. 116
De irregularitate ex defectu lenitatis. 117
De irregularitate ex defectu libertatis. 120
De irregularitatibus, quæ nascuntur ex delicto. ibid.
QUÆSTIO QUINTA. *De effectibus Sacramenti Ordinis.* 123
ARTICULUS PRIMUS. *De charactere impresso per Sacramentum Ordinis, quo fit ut iterari non possit Ordinatio semel ritè collata.* 124
An valida sit & rata Ordinatio data ab Hæreticis, Schismaticis, Simoniacis, suspensis, degradatis, aut excommunicatis. ibid.
CONCLUSIO. *Validæ sunt, quoad substantiam & characterem impressum, Ordinationes factæ ab Episcopis licèt hæreticis, schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis aut excommunicatis.* 127
Solvuntur Objectiones ab exemplis Ordinationum, quas idcircò irritas & iteratas fuisse contendit Morinus, quòd factæ fuissent contra Canones Ecclesiæ. 132
Expenditur factum Urbani II. qui Daibertum à Nezelone Episcopo Moguntino schismatico, hæretico, excommunicato ordinatum reordinavit. ibid.
Expenditur factum Leonis IX. summi Pontificis in causa Ordinationum Simoniacorum. 137

Expen-

Expenditur factum Formosi Papæ, cujus Ordinationes publicè iteratæ sunt à Stephano VII. S. Pontifice. 139
Expenditur factum Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis, cujus Ordinationes post depositionem factæ, ab Hincmaro irritæ factæ sunt. 141
Expenditur factum Constantini Papæ, cujus Ordinationes irritæ factæ sunt, quòd contra Ecclesiæ Canones ex Laico statim Pontifex creatus esset. 144
Expenditur factum Photii Patriarchæ, cujus Ordinationes nullæ & irritæ declaratæ sunt. 146
Solvuntur aliæ nonnullæ objectiones. 149
ARTICULUS II. *Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones scholasticæ circa characterem Ordinis.* 154
QUÆSTIO SEXTA. *De variis Ordinis speciebus.* 155
PRIMA CONCLUSIO. *Septem apud Latinos admittuntur Ordinum species; nempe Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii.* 156
SECUNDA CONCLUSIO. *Ecclesia Orientalis nonnisi quatuor admittit Ordines, nimirum, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & Lectoris: non autem Acolythi, Exorcistæ, aut Ostiarii.* 158
DE MAJORIBUS ET SACRIS ORDINIBUS. 160
ARTICULUS PRIMUS. *De Episcopatu.* ibid.
De nominibus Episcopi, Presbyteri, Sacerdotis, Pontificis. 161
De natura Episcopatus; an sit Ordo, verumque Sacramentum natura & charactere à Presbyteratu distinctum. 164
CONCLUSIO. *Episcopalis Ordinatio verum est Sacramentum à sacerdotio natura & charactere distinctum.* 166
De divina Episcoporum institutione, præeminentia & superioritate supra Presbyteros. 171
Status quæstionis: error Novatorum. ibid.
CONCLUSIO. *Episcopi jure ac institutione divina superiores sunt Presbyteris potestate tùm Ordinis, tùm jurisdictionis.* 173
De materia & forma Episcopatus. 178
PRIMA CONCLUSIO. *Impositio manus cum codice Evangeliorum supra caput ordinandi, videtur esse materia essentialis adæquata Ordinationis Episcopalis: cæteri verò ritus; unctio capitis & manuum, traditio baculi pastoralis, annuli, & codicis Evangeliorum in manus consecrati, pertinent dumtaxat ad integram & magis expressam significationem Ordinis & dignitatis Episcopalis.* 181
SECUNDA CONCLUSIO. *Forma Ordinationis Episcopalis apud Græcos & Latinos est oratio invocans Spiritum sanctum, cui apud Latinos non incongruè præmittuntur hæc verba,* Accipe Spiritum sanctum. *Apud Græcos verò verba hæc,* Divina gratia hunc promovet &c. *non formam, sed electionis jam factæ promulgationem ac proclamationem continent. Est contra Arcudium.* 184
De ministro Ordinationis Episcopalis. 186
CONCLUSIO. *In consecratione Episcopi plures comministros Episcopos adhibendos esse, docet Apostolica Traditio ac constans praxis Ecclesiæ; atque aliter quàm à tribus vel duobus saltem factam Ordinationem, non illicitam modò, sed etiam irritam ac nullam esse, probabilius videtur.* ibid.
De subjecto Episcopatus. 192
De officiis atque necessitate Episcoporum. 195
De electione Episcoporum. 198

PRIMA CONCLUSIO. *Olim per plura sæcula tùm Clerus, tùm populus, tùm Magistratus ac Principes sæculares, ex communi Ecclesiæ disciplina jus suffragii habuerunt in Episcoporum & aliorum Ecclesiæ ministrorum electionibus.* 198
SECUNDA CONCLUSIO. *Neque soli prædestinati à Deo solo eliguntur ad sacra ministeria, neque suffragium aut electio populi jure divino requiritur. Est contra Novatores.* 201
De variis Episcoporum gradibus. 202
De Chorepiscopis. ibid.
CONCLUSIO. *Chorepiscopi, de quibus vetera Ecclesiæ monumenta, consecrationem Episcopalem habuerunt.* 204
ARTICULUS II. *De Presbyteratu.* 213
An Presbyteratus verum sit Sacramentum. 214
CONCLUSIO. *Presbyteratus verum est Sacramentum.* ibid.
De materia & forma essentiali Presbyteratus. 216
CONCLUSIO. *Materia essentialis Presbyteratus est sola manus impositio; sola oratio, forma.* 218
De variis Presbyterorum gradibus. 221
Vicarii generales. ibid.
Officiales. 223
Archipresbyteri. 224
Archidiaconi. 225
Pœnitentiarii. 227
Theologi. 228
Decani, Canonici. 229
Parochi. 230
Cardinalium Origo. 232
ARTICULUS III. *De Diaconatu.* 233
An Diaconatus sit Ordo ac verum Sacramentum. 234
CONCLUSIO. *Diaconatus est verum Sacramentum, quo initiati sunt septem primi Diaconi, de quibus Act. 6. non ad vulgaris dumtaxat & profanæ, sed ad sacræ mensæ ministerium electi.* 235
Solvuntur Objectiones. 241
De materia & forma Diaconatus. 245
CONCLUSIO. *Materia Diaconatus est impositio manus, forma verò oratio.* 247
ARTICULUS IV. *De Subdiaconatu.* ibid.
An Subdiaconatus sit Ordo sacer, ac verum Sacramentum. 248
CONCLUSIO. *Verisimilius videtur Subdiaconatum non esse verum Sacramentum, neque semper inter majores ac sacros Ordines relatum fuisse.* ibid.
Solvuntur Objectiones. 252
De materia, forma, & officiis Subdiaconatus. 253
ARTICULUS V. *De minoribus Ordinibus.* 255
ARTICULUS VI. *De Tonsura clericali.* 256
QUÆSTIO ULTIMA. *De cælibatu, seu perpetua continentia majoribus & sacris Ordinibus annexa.* 259
ARTICULUS PRIMUS. *De lege ac disciplina perpetuæ continentiæ sacrorum ministrorum in Ecclesia Græca.* ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *Solis Diaconis, si in Ordinatione contestarentur non posse se continentiam servare, concessum aliquando fuit uxores post Ordinationem sumere.* 260
SECUNDA CONCLUSIO. *Nusquam licitum fuit in Ecclesia Græca Episcopis & Presbyteris uxores ducere post Ordinationem.* 261

TER-

TERTIA CONCLUSIO. *Ex usu ac laudabili disciplina sacri ministri ab uxoribus ante Ordinationem ductis antiquitus abstinuerunt apud Græcos, quamquam nulla legis universalis necessitate ad id adstricti videantur.* 263

QUARTA CONCLUSIO. *Post statutum Concilii Quinisexti ann. 602. Græcis Episcopis licitum non est uxores ante Ordinationem ductas retinere, cum eis cohabitare aut habere consuetudinem.* 273

QUINTA CONCLUSIO. *Lege per Concilium Quinisextum confirmata licitum est apud Græcos, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis retinere uxores legitimas ante Ordinationem ductas, & omni jure conjugali uti.* 274

ARTICULUS II. *De lege & disciplina perpetua continentiæ sacrorum ministrorum in Ecclesia Latina.* 276

PRIMA CONCLUSIO. *Subdiaconi nec semper, nec universè lege continentiæ adstricti fuere; sed varia fuit circa ipsos in Occidente Hispaniarum praxis ac disciplina.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Usu tam antiquo ac constanti recepta fuit & probata in Ecclesia Latina majorum Clericorum continentia, ut nec Episcopis, nec Presbyteris, nec Diaconis, aut uxores ducere post Ordinationem, aut ante ductis uti licitum unquam fuerit.* 278

TERTIA CONCLUSIO. *Minores Clerici lege perpetuæ continentiæ non adstringuntur: nonnulla tamen fuit circa ipsos ea in re disciplinæ varietas.* 287

ARTICULUS III. *De origine legis quæ sacros ministros perpetua continentia obstringit: an sit divina, an apostolica, vel dumtaxat ecclesiastica.* 288

PRIMA CONCLUSIO. *Lex cælibatus seu perpetuæ continentiæ sacris ministris imposita, nec divina est, nec propriè loquendo apostolica, sed dumtaxat ecclesiastica.* ibid.

SECUNDA CONCLUSIO. *Lex perpetuæ continentiæ quam sacris ministris imposuit Ecclesia, æquissima est atque sanctissima, optimis nixa rationibus, quas irrito conatu convellere tentat Novatores.* 291

FINIS INDICIS.

CANONES CONCILII TRIDENTINI

De Sacramento Ordinis Seſſ. XXIII.

Can. 1. *Si quis dixerit, non eſſe in novo Teſtamento ſacerdotium viſibile, & externum; vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi; ſed officium tantum, & nudum miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant prorſus, non eſſe Sacerdotes: anathema ſit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, præter ſacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quoſdam, in ſacerdotium tendatur; anathema ſit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe verè & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum; anathema ſit.*


Can. 4. *Si quis dixerit, per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum ſanctum; aut per eam non imprimi characterem: vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, laicum rursùs fieri poſſe; anathema ſit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, ſacram unctionem, qua Eccleſia in ſancta Ordinatione utitur, non tantùm non requiri, ſed contemnendam, & pernicioſam eſſe; ſimiliter & alias Ordinis cærimonias; anathema ſit.*


Can. 6. *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris: anathema ſit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipſis collatos ſine populi, vel poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe; aut eos, qui nec ab eccleſiaſtica & canonica poteſtate ritè ordinati, nec miſſi ſunt, aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi & Sacramentorum miniſtros; anathema ſit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Romani Pontificis aſſumuntur, non eſſe legitimos, & veros Epiſcopos, ſed figmentum humanum; anathema ſit.*



PRÆLE-



PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO ORDINIS.



PRÆSENTEM controversiam in septem Quęstiones distribuemus.

Prima erit de nomine, definitione, ac existentia Ordinis.

Secunda, de essentia: an Ordo sit veri nominis Sacramentum.

Tertia, de materia & forma Sacræ Ordinationis.

Quarta, de causis, hoc est, auctore, ministro, & subjecto Sacramenti Ordinis: ubi de dispositionibus requisitis ut quis legitimè ordinetur; ac impedimentis removentibus à sacra Ordinatione.

Quinta, de effectibus Sacramenti Ordinis, gratia scilicet & charactere; ubi de iteratione Ordinationis.

Sexta, de variis Ordinis speciebus.

Septima, de iis quæ sunt annexa Sacramento Ordinis; ubi præsertim de continentia & cœlibatu majorum Clericorum.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, ac existentia Ordinis.

NOMEN.

MIssa hìc generali ac latissima significatione ordinis, pro qualibet rerum suo debito loco dispositione, quo sensu dixit S. Augustinus Lib. 19. de Civitate Dei capit. 13. *Ordo est parium dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio*. Missa, inquam, latissima illa significatione. *To.7. p. 557. C.*

Observa nomen Ordinis, tribus præsertim modis usurpari ab Auctoribus Ecclesiasticis.

Primò, in amplissima significatione, quatenus significat quemlibet statum vel conditionem personarum, quæ aliquo speciali titulo sunt officiis Ecclesiasticis addictæ, absque ulla tamen jurisdictione speciali, vel etiam potestate conficiendi vel administrandi Sacramenta: quo sensu dicimus esse in Ecclesia plures Monachorum & Monialium Ordines, qui speciali ac distincta quadam vivendi ratione Deo inserviunt.

Secundò, in minùs ampla significatione, prout includit quidem jurisdictionem aliquam Ecclesiasticam, at non ex se propriaque & intrinseca ratione potestatem conficiendi & administrandi Sacramenta. Quo sensu Decanatus, Archidiaconatus, Prioratus, Abbatia, dici possunt esse in Ecclesia Ordines: similiter & Archiepiscopatus, Patriarchatus &c. nempe secundùm id quod addũt supra Ordinem Episcopi, ac in sua formali & præcisa ratione considerati.

Tertiò tandem in strictiori & magis propria significatione, scilicet pro certo quodam ritu sacro ac solemni, qui confertur ab Episcopo, & per quem datur potestas ad ministerium sacrificio altaris exhibendum: qua ratione septem Ordines numerantur, videlicet Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Lectoris, Exorcistæ, & Ostiarii; atque de Ordine juxta tertiam hanc & maximè propriam significationem hic agimus.

Verùm duobus adhuc modis cõsiderari potest stricta hęc Ordinis significatio.

Hierarchia juxta vim nominis Sacer principatus.

I. pro certo hominum statu, in quo varii sunt distincti ac subordinati ordinum gradus destinati ad celebrandum Eucharistiæ Sacramentum, vel ipsi inserviendum; quo sensu dicitur esse Hierarchia Ecclesiæ: de quo nomine, quod græcum est, plura vide apud Hallerium Regium quondam in Sorbona Professorem Lib. 1. de Hierarchia Ecclesiastica c. 1. & sequentibus.

II. pro actione & ritu quo confertur potestas consecrandi Eucharistiam, aut ipsius celebrationi ex officio inserviendi: quo sensu meliùs & accuratiùs vocatur Ordinationis, quàm Ordinis Sacramentum, quia nempe Sacramentum istud in actione fluente ac transeunte consecrantis seu ordinantis positum est, non in re aliqua fixa & permanente.

χειροτονία propriè est manus extensio, & elevatio.

χειροθεσία verò manus impositio, applicatio. P.2. B.

Apud Grecos Ordo seu Ordinatio usitatissimo nomine appellatur χειροτονία, idest manus extensio, porrectio. Origine sua apud Auctores prophanos significat electionem, destinationem, suffragium; eo quòd antiquitus apud Græcos suffragia manus elevatione, seu in altum extensione & porrectione ferrentur: quo etiam sensu bis in novo Testamento usurpari observat Morinus, de Sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 1. c. 2. n. 3. pag. 13. nempe Actorum 14. v. 23. & 2. Corinth. 8. v. 19. propriè ac frequentissimè usurpatur à Grecis pro sacra illa actione qua quis Sacerdotio inauguratur, vel alicui ministerio ad Sacerdotium spectante destinatur: unde proriè χειροτονία est ipsa ordinatio; καθιέρωσις, consecratio, quæ cùm fiat manuum impossitione, ideò χειροθεσία, idest manus impositio à Patribus aliquando dicitur. *Nunc quidem*, ait Zonaras in Canonem 1. Apostolorum, *Chirotonia vocatur absolutio precum, sanctique Spiritus invocatio, dum Sacerdotio quis initiatur & consecrationem sortitur. Ex eo dicta, quòd Pontifex extendat manum benedicens homini ad Sacra deligendo: sed ipsum suffragium quondam nominatum est Chirotonia .... quatenus .... eligentes ferunt solitos extendere manus.* De illa Chirotonia plura vide apud Morinum loco mox citato, Hallerium, De sacris Electionibus & Ordinationibus, Prologomenorum c. 4. Suicerum in Thesauro Ecclesiastico.

Pa. 17. Tom. 3. p. 1514.

Ordi-

Ordinis definitio.

Ordo ſumptus pro Hierarchia Eccleſiaſtica definiri poteſt, Certus hominum ſtatus in quo varii ſunt ordinationis gradus, alii aliis ſuperiores, deſtinati ad celebrandum Sacramentum Euchariſtiæ, aut ad inſerviendum ex officio ipſius celebrationi. Patebit hæc definitio ex mox dicendis. Preſſiùs ex Ss. Dionyſio, Maximo & aliis definitur Hierarchia, *Rerum ſacrarum & rationabilium ordinata poteſtas, debitum in ſubditos retinens principatum*, de qua definitione fusè diſſerit Hallerius L.1. de Hierarchia ſectione 4. c.1. & ſequentibus, ubi omnes ejus partes declarat, ac oſtendit in omni Hierarchia eſſe ſuperiorem aliquem, & inferiorem, ſeu ſubditum. Sed de his non eſt hìc dicendi locus.

Ordo verò ſumptus pro ritu ſeu actione ſacrâ qua quis inauguratur, rectè definitur, *Sacramentum novæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum, quo ſpecialis quædam poteſtas traditur, & gratia confertur ad ſacrum corpus Chriſti conſecrandum, & debitè obeunda munia eccleſiaſtica.*

Dicitur 1. *Sacramentum* ſeu *ſignum*, quæ vox generis locum habet.

Dicitur 2. *quo ſpiritualis quædam ac ſpecialis poteſtas traditur &c.* quæ verba differentiam hujus Sacramenti ab aliis deſignant, ut & ejus finem atque officium.

Additur particula *quædam* (poteſtas) ut innuatur non eandem nec parem per quemlibet Ordinem conferri poteſtatem, ſed diſparem; quamquam ſuo modo ac gradu ad eundem finem tendat & ordinetur.

Dicitur 3. *quo gratia confertur ad ſacrum Chriſti corpus conſecrandum, & debitè obeunda munia eccleſiaſtica:* quibus verbis proprius hujus Sacramenti effectus, finis & officium exprimitur. Quilibet ſcilicet Ordo ſuo modo ac gradu tendit ac refertur, tanquam ad præcipuum finem & objectum ad Euchariſtiæ conſecrationem.

Exiſtentia Ordinis.

De exiſtentia Ordinis, quatenus Sacramentum eſt, ſeu actio ſacra per quam miniſtri Eccleſiæ ad ſacra miniſteria deputantur, proprius erit dicendi locus Quæſtione ſequenti, ubi de eſſentia ſeu ratione ſacramentali Ordinis.

Solùm hìc aſſerenda & confirmanda contra Novatores exiſtentia Ordinis, prout Eccleſiaſticam ſignificat Hierarchiam, ſeu ſtatum quemdam peculiarem miniſtrorum, à laicali ſeu populari omnino diſtinctum & ſegregatum.

Vviclefus apud Thomam Valdenſem To.2. de Sacram. c.7. Lutherus L. de abroganda Miſſa privata parte 1. Calvinus Inſtitutionis Lib.4. cap.4. paragr. 9. nullam diſtinctionem Clericorum & Laicorum admittunt; ſed omnes æqualiter Sacerdotes, æqualiter Evangelii miniſtros arbitrantur: vel certè ſi diſtinctio aliqua inter eos ſtatuenda ſit, eam duntaxat ex hominum inſtitutione & arbitrio pendere; adeo ut plebæi, & quivis è trivio homines ſtatim atque populus juſſerit, Sacerdotes evadant, & per ſolam ejuſdem electionem verbi divini predicandi, & Sacramentorum diſpenſandorum habeant poteſtatem: è contra verò, facta ejuſdem decreti reſciſſione, con- P.18. v.

 tinuò

tinuò in Laicorum ordinem redigantur. Idem ferè Hæreticis ſui temporis exprobrabat Tertullianus in Libro de Præſcriptionibus c.41. *Ordinationes*

Edit. Rigalt. p. 217. C. *eorum*, inquiebat, *temerariæ*, *leves*, *inconſtantes; nunc Neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros ..... Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui erat Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis ſacerdotalia munia injungunt.*

Fundamentum erroris Novatorum iſtud eſt. Nempe omnem poteſtatis & juriſdictionis eccleſiaſticæ auctoritatem toti Eccleſiæ, ſeu ſocietati Fidelium, quæ Laicos ſeu populum continet, in communi conceſſum fuiſſe, quam paſtores nonniſi ex conſenſu populi, & tanquam ejus vicarii ac delegati exercere poſſunt. Epiſcopi, ait Lutherus L. de Capt. Babylonica T.2. p.282. cæterique Paſtores, nihil habent ſupra populum Chriſtianum, niſi miniſterium ſeu exercitium quod ipſis de conſenſu populi commiſſum fuit. Sciant igitur, nullum in ipſis jus eſſe nobis imperandi. Miniſtri dumtaxat ſunt à nobis electi, ut nomine noſtro agant: eorum auctoritas in ſimplici & nudo miniſterio conſiſtit, nec Papa, nec Epiſcopi, nec alius quicunque populo Chriſtiano mandata imponere poſſunt, niſi eo conſentiente; quidquid aliter fit, animo fit tyrannico. Nemo non videt quantùm ad hanc doctrinam accedat Quenellius cùm ait Propoſitione 90. inter damnatas, *Eccleſiam poteſtatem habere excommunicandi, ut exerceatur per primos Paſtores ex conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*, ideſt populi ipſius Chriſtiani. Senſum hunc non obſcurè amplectitur Richerius Tr. de eccl. & civili poteſtate, ubi c.1. & 2. ſic loquitur: *Omnis communitas ſeu ſocietas perfecta, etiam civilis, jus habet, ut ſibi leges imponat, ſe ipſam gubernet, quod quidem jus in prima ſua origine ad ipſammet ſocietatem pertinet, & quidem modo magis proprio, ſingulari, & immediato, quàm ad alium quemlibet privatum: cùm in ipſo jure divino ac naturali fundamentum habeat, adverſus quod nec annorum tractu, nec locorum privilegiis, nec dignitate perſonarum præſcribi unquam poteſt.* Quantùm doctrina hæc perniciosa ſit ac noxia, non tantùm ſpirituali Eccleſiæ, ſed & temporali Principum auctoritati, ſatis opinor, intelligitur. Adverſus peſtilentem illam doctrinam ſit

CONCLUSIO.

Ordinem ſumptum pro ſacra Hierarchia, in qua inſtitutione divina varii deputantur miniſtri ad Sacra obeunda, & Fidelibus diſpenſanda Sacramenta, exiſtere, eumque à Laicorum ordine omnino eſſe diſtinctum, conſtans ac perpetua ſemper fuit Eccleſiæ fides ac doctrina.

Probatur 1. ex Scripturis, & quidem argumento multiplici.

Primum argumentum petitur ex Lege veteri, in qua Leviticam Tribum aſſumpſit Deus, quæ ſacris muniis mancipata, ſacrificiis & ſacris ritibus peragendis inſerviret, ac doctrinæ de Deo tradendæ curam gereret; unde ſacerdotium tunc à reliquorum Judæorum ſtatu omnino diſtinctum fuit: nec cuiquam, qui non eſſet ex illa Tribu, ſacris ſe immiſcere licebat. Quaproter Saul reprobatus fuit, Ozias lepra percuſsus, Dathan & Abiron vivi terræ hia-

1.Reg.13. tu abſorpti, quòd cùm eſsent ex aliena Tribu, ſacrificium tamen offerre,
2.Paral. 26. thuribulum in manus aſsumere, incenſum adolere temeraria præſumptione
Num.16. tentaſsent. Unde Numer.1. 8. & Deuteron.18. Levitæ inter cæteros Judæos dicuntur eſse de ſorte Domini, & ipſe Dominus eorum ſors & hereditas appella-

pellatur: tum quia singulari ratione destinati fuerunt à Deo sacris obeundis ministeriis; tum quia donavit eis quodammodo partem suam, idest, decimas & oblationes filiorum Israel: atque hinc derivatum est *Cleri* nomen, quod græcum est, ac sortem significat, *vel quia*, inquit S. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, *Clerici sunt de sorte Domini*, *vel quia ipse Dominus sors*, *idest*, *pars Clericorum est*, hoc est hæreditas, unde cùm quis Tonsura clericali donatur, hæc verba pronuntiat, *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* Cur autem hæreditas sortis nomine appelletur, hæc solet reddi ratio, quòd hæreditas in plures sortes plerumque dividatur, juxta istud Prophetæ Psal.77. v.54. *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis. Accedit*, ait Bellarminus Lib.1. de Clericis c.1. *quòd licèt ad unum aliquem hæreditas tota perveniat, id tamen non electione, sed sorte fit; nascuntur enim ut plurimùm, non fiunt hæredes: quis autem laboravit, quis operam dedit, ut hujus potius quàm illius filius & hæres nasceretur?*

T.4.p.2. p.259.

To.2. p. 92. F.

Secundum argumentum petitur tum ex singulari ratione qua Christus in novo Testamento Apostolos ac Discipulos suos elegit, atque Evangelii ministros inauguravit per insufflationem & traditionem Spiritus sancti; tum ex ipso ritu impositionis manuum quo Diaconi ordinati leguntur Actorum 6. v.6. *Hos statuerunt*, ait sacer Contextus, *ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Et 1. ad Timoth.4. v.14. *Noli*, inquit Apostolus alloquens Timotheum quem in Episcopum ordinaverat, *negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri*, & 2. ad eumdem Epistolæ c.1. v.6. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Tertium argumentum colligitur ex iis locis in quibus Apostoli declarant se ministros esse Christi, ab ipso vocatos, à Spiritu sancto positos ut regerent Ecclesiam Dei, segregatos in opus ministerii, quæ certè omnia specialem ministrorum Ecclesiæ electionem, consecrationem, & à ceteris hominibus Christi institutione distinctionem seu segregationem clarissimè demonstrant.

1. Corinth.4. v.1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth.3. v.6. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Ibid. c.5. v.20. *Pro Christo legatione fungimur.*

Hebræorum 5. v.1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Et v.4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Actorum 20. v.28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Et c.13.v.2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.*

Quartum argumentum petitur ex iis locis in quibus declarat Apostolus, esse in Ecclesia varios ministrantium gradus, sicut varia sunt in humano corpore membra ad varia officia destinata, Roman.12. v.4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

1. Cor.12. v.17. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus multa quidem membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.* Et v.28. *Quodam posuit Deus in Ecclesia, primùm Apo-*

Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes &c. Et v.19. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores &c.?* Pariter Ephesiorum 4. v.11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi.*

Cur Sacerdotes in veteri Lege jure nativitatis fierent non vero in nova.

Ex his facilè intelligitur, in Lege Christi non nasci, ut olim apud Judæos, sed fieri Sacerdotes, electione, non jure nativitatis. Si verò hujusce discriminis rationes quæsieris, multas tibi reddere promptum erit. 1. Ne Judæi maximè carnales rebusque terrenis immersi sacerdotia mercarentur eaque venialia exponerent, satius fuit jure nativitatis, potius quàm electione, ad hanc dignitatem eos vocari, non ita porro est de Christianis, quorum longè major est perfectio, ac sublimior status, rerum cœlestium meditatione ac desiderio detentus & occupatus. 2. Quia cùm sacrificia vetera carnalia forent ad emundationem carnis, necesse fuit carnale quoque esse, seu carnis propagatione communicari sacerdotium: è contra verò spirituale debuit esse sacerdotium novæ Legis, in qua oportet Deum in spiritu & veritate adorare; atque eam ob causam observat S. Th. 3. p. qu.22. a.1. ad 2. Christum non de tribu Levitica, sed Regia nasci voluisse, ne videretur per carnalem originem Sacerdos factus, carnale dumtaxat sacerdotium nobis invexisse. 3. Cùm, ut ait Tacitus Lib.1. Hist. *optimum quemque electio inveniat; nasci autem & generari à Principibus fortuitum, nec ultra æstimetur;* decebat in nova Lege Sacerdotes, qui perfectionis sunt magistri, non natalium sorte fieri, sed electione, tanquam optimos inter omnes, ut nempe cæteris non minus probitate morum anteirent, quàm status dignitate. Ita sanctus Leo Serm.2. in die anniversario assumptionis suæ. Quarta ratio petitur ex universitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ cùm per totum orbem sit diffusa, non oportet ejus sacerdotium uni Tribui vel familiæ affixum esse, sicut fuit apud Judæos, quibus in solo templo Jerosolymitano licebat offerre sacrificia. Quinta desumitur ex duratione Sacerdotii Christiani: neque enim sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, quod stabile est, constans, & sempiternum, adeo in firmo fundamento inniti debet & fluxo, ut per generationum sibi succedentium tramitem decurrat, quarum scilicet ordo confundi, atque interrumpi, necessariaque series memoria hominum eximi potest: quod etiam apud Judæos jam accidisse videmus, apud quos nulla est amplius Tribuum distinctio, nulla Sacerdotum officia, nulla sacrificia &c.

Quintum denique argumentum petitur ex iis locis quibus constat Ecclesiam jurisdictionem in suos exercere, non quidem temporalem (nisi forsan quibusdam in locis ex libera Principum concessione) sed spiritualem, non tantùm directivam, sed etiam coactivam, pœnis scilicet spiritualibus, censura, excommunicatione, & aliis hujuscemodi. Qualem jurisdictionem dedit Christus cùm suis Apostolis dixit, Joan.20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, qualem in Corinthium incestuosum S. Paulus exercuit, quem satanæ tradidit in interitum carnis, & ab ecclesiastica communione ejecit, 1. Corinth. cap.5. v.5. qualem denique designat Christus Matth.18. v.17. *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Porro ad quid ille Ecclesiæ, idest Pastoribus Ecclesiæ denuntiandus est, nisi ut ab illis puniatur & coerceatur? Reipsa quidem auctoritas Ecclesiæ seu jurisdictio plena esse debet charitatis, moderationis &

man-

mansuetudinis: at non tantùm charitate constat, ut ajunt Novatores, sed & punitione, ut diximus, spirituali coactiva.

Probatur 2. Conclusio ex constanti ac perpetua Ecclesiæ traditione ac praxi, qua certum est 1. Clericorum ordinem distinctum ac segregatum fuisse à conditione Laicorum. 2. inter ipsos Clericos subordinationem quamdam agnitam fuisse, nempe Romani Pontificis, tanquam visibilis capitis Ecclesiæ supra omnes alios Episcopos; Episcoporum supra alios Sacerdotes; Sacerdotum supra Diaconos, eorumque singularia ac distincta semper fuisse officia.

Hæc innumeris propemodum veteribus monumentis fusè demonstrare promptum esset, si opus foret: nonnulla solummodo hìc delibabimus.

Primò distinctum semper fuisse in Ecclesia Clericorum ordinem, à conditione Laicorum, patet ex antiquissimis Conciliis Nicæno I. generali, Laodiceno, Carthaginensi IV. &c. ubi agitur de ordinationibus & officiis singularibus omnino à sorte Laicorum distinctis; ubi & ministri ecclesiastici communi ac vulgato nomine *Clerici* nuncupantur. Can. 18. Concilii Nicæni prohibentur Diaconi, Presbyteris ipsis (quod attentaverant) administrare Eucharistiam, *Quia*, inquit Canon, *nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, corpus Christi accipiant*. Tom. 2. Conc. p. 43. D. Concilium Alexandrinum apud S. Athanasium Apologia 2. diluens accusationem Arianorum adversùs S. illum Doctorem de confracto ab illo, ut dicebant, calice, isto, inter alia, utitur momento, quòd is, cujus custodiæ concreditus ferebatur prædictus calix, non esset Presbyter. Erat autem ille nomine Ischyras, qui cùm à Colluto falso & ementito Episcopo fuisset ordinatus, verus non erat Presbyter, adeoque calicem, quem dicebat apud se ab Athanasio confractum, retinere non potuit. *Quomodo*, inquiunt Patres Alexandrini Concilii, *homo privatus, in privata domo habitans, poculum mysticum sibi concreditum habere credatur?* Porrò si Patres illi judicant Ischyram non potuisse habere apud se calicem quòd ordinatus verè non fuisset Presbyter, quantò minùs potuisset ille sacra perficere mysteria? Agnoscunt ergo illi necessariam esse veram ordinationem seu consecrationem, per quam Ecclesiæ ministri Sacra facere, aut facientibus inservire possunt; eosque à Laicis distingui. Oper. S. Athan. edit. postr. To. 1. p. 134. C.

Id ipsum docent uno suffragio Ss. Patres aliique Scriptores ecclesiastici.

Tertullianus in Libro de Monogamia cap. 12. *Cùm extollimur*, inquit, *& inflamur adversùs Clerum, tunc unum omnes sumus: tunc omnes Sacerdotes ... Cùm ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares sumus*. Et infra: *Laicis verò, queis monogamia non convenit, cætera quoque aliena sunt*. P. 533. B. Et L. de Præscriptionibus c. 41. jam citato, Hæreticos sui temporis exagitans, *Omnes*, inquit, *tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti Catechumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes ...... Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est*, & alia quæ paulò antè laudata sunt. P. 217. B.

Origenes Hom. 7. in Jeremiam, S. Epiphanius initio Epistolæ quam scripsit ad Joan. Episcopum Jerosolymitanum, S. Hieronymus in caput 12. Jerem. ista verba, *Cleri eorum non proderunt eis*, interpretantur de nostris

Clericis, quibus nihil sua proderit dignitas ac prærogativa status, nisi comitem habuerit vitæ probitatem ac sanctimoniam. *Ante me*, ait Origenes, *alii exposuerunt*, *& quia non improbo interpretationem eorum*, *consentiens eamdem profero*. *Nos qui putamur aliquid esse*, *idest qui in Clericatus ordines vobis præsidemus*, *in tantùm*, *ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire*, *nosse debetis*, *non statim in eo esse salvandos*, *quia Clerici sumus*; *multi enim & Presbyteri pereunt*; *& Laici beatissimi reperiuntur*.

Secundò, Ecclesiam semper agnovisse subordinationem inter ministros suos, quorum alii aliis præeminent, patet, tum quia suum unicuique officium semper voluit assignatum, ac severè repressit eos qui limites sibi præscriptos transgredientes, alienam usurpabant auctoritatem: tùm quia nihil tam frequenter inculcant ac commendant Veteres, quàm subordinationem ministrorum, & obedientiam quæ illis debetur. Ita imprimis, ut alios sileam, vir Apostolicorum temporum S. Ignatius Martyr, in suis passim Epistolis. Scribens ad Magnesianos, *Subjecti estote*, inquit, *Episcopo*, *& vobis mutuo*, *ut Jesus Christus Patri*; *secundùm carnem*; *& Apostoli Christo & Patri & Spiritui*; *ut unio sit & carnalis & spiritualis*. Et Epistola ad Trallianos. *Necessarium est*, ait, *ut sine Episcopo nihil agatis*; *sed & Presbyterio subditi sitis*, *ut Apostolis Jesu Christi*, *spei nostræ*, *in quo conversantes inveniamur*. *Oportet autem & Diaconos mysteriorum Jesu Christi ministros*, *omni modo omnibus placere*. *Non enim ciborum & potuum ministri sunt*, *sed Ecclesiæ Dei ministri*. *Oportet igitur ut sibi caveant à criminibus*, *tamquam ab igne*. *Cuncti similiter revereantur Diaconos*, *ut mandatum Jesu Christi*, *& Episcopum*, *ut eum qui est figura Patris*; *Presbyteros autem*, *ut consessum Dei*, *& ut conjunctionem Apostolorum*. *Sine his Ecclesia non vocatur*. Et Epistola ad Ephesios hoc illustrat comparatione citharæ, quæ ut concentum & harmoniam reddat, debet certo ordine coaptatas habere chordas. *Decet vos*, inquit, *in Episcopi sententiam concurrere* ..... *Nam memorabile vestrum Presbyterium*, *dignum Deo*, *ita coaptatum est Episcopo*, *ut chordæ citharæ*. *Propter hoc in consensu vestro & concordi charitate Jesus Christus canitur &c.*

Edit. Cotel. p.862. B. — *Ib. p.863. B.* — *Ibid. p. 854. D.*

Et quidem supra cæteros omnes Episcopos præeminere Romanum Pontificem, constat ex Ss. Patribus quos laudare solent Theologi, ubi de Ecclèsia ejusque visibili Capite, & nos suo loco laudavimus: unus hìc sufficiet S. Irenæus L.3. c.3. ubi ait Romanam Ecclesiam omnium esse maximam *& antiquissimam*, *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnes alias convenire*. Episcopos etiam Sacerdotibus superiores esse, ut & Sacerdotes Diaconis, postea demonstrabimus.

Edit. recent. p. 175. n.2.

Meritò igitur Concilium Trid. Sess.23. c.4. ait: *Quòd si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse*, *aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet*, *nihil aliud facere videtur*, *quàm Ecclesiasticam Hierarchiam*, *quæ est ut castrorum acies ordinata*, *confundere*. Et Can.6. *Si quis dixerit*, *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam*, *quæ constat ex Episcopis*, *Presbyteris*, *& ministris*, *anathema sit*.

Tom. 14. Conc. p. 863. A. — *Ibid. p. 864. D.*

Capite verò 1. & 2. ejusdem Sess. necessitatem plurium ministrorum ex celebratione repetit Eucharistiæ, ad quam Ordo quilibet modo suo refertur. *Sacrificium*, inquit, *& sacerdotium*, *ita Dei ordinatione conjuncta sunt*, *ut utrumque in omni lege extiterit*. *Cùm igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Dei institutione Catholica Ecclesia acceperit*, *fateri etiam oportet in ea novum esse & externum sacerdotium*, *in quod vetus translatum*

est ...

est ...... Cùm autem divina res sit tanti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quòd dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent: ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.

Probatur denique, quia vel ab ipsa mundi creatione & ipso naturæ instinctu, aliqui semper à reliqua plebe selecti fuerunt, qui sacerdotii functiones obirent, cui muneri olim ante Legem Mosaicam primogenitos delectos fuisse ex Hebræis, referunt S. Hieronymus, Abulensis, & alii. Inter Ethnicos verò, quamvis à vera fide extorres, destinati aliqui erant, imò & certo quodam ritu inaugurabantur, qui sacerdotii functionibus vacarent, quos ut membra Reipublicæ à cæteris distincta eademque necessaria recensuit Philosophus lib. 7. Politicorum c. 8. *S. Hier. in q. Hebraicis, ad locum ex c. 27. Genes. Abul. in c. 25. Genes. n. 76.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Verba Apostoli Galat. 3. v. 26. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu:* quibus verbis omnem inter Christianos distinctionem ac prærogativam rejicere videtur Apostolus.

Resp. dist. consequens: omnem distinctionem ac prærogativam rejicit Apostolus, in ordine ad salutem in Christo & per Christum, in quo omnes pares sumus, consequendam, concedo: in ordine ad ministerium Ecclesiasticum, de quo ne cogitat quidem eò loci Apostolus, nego. Sensus igitur illius est, nec in fide amplectenda, nec in exhibendis, quæ singulis sunt necessaria ad salutem, Religionis officiis, nec in obtinenda à Deo bonorum operum mercede: nec in divinarum gratiarum consecutione, ullam aut patriæ, aut sexus, aut libertatis prærogativam esse; siquidem, ut ait idem Apostolus Rom. 2. *non est acceptio personarum apud Deum. Unum* enim *corpus sumus, & unus spiritus in una spe vocationis;* quorum omnium *unus est Dominus, una fides, unum Baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnes*, Ephes. 4. v. 4. & seq. Atque Galatis hæc idcirco dicebat, ne fortè putarent saltem se plus aliquid in Christo consequi, quia per Legem, tanquam per pædagogum, ad Christum ducti fuissent; unde v. 28. concludit: *Omnes vos unum estis in Christo Jesu*, idest, estis tanquam unus, seu prorsus indistincti in negotio salutis per Christum, & in Christo consequendæ.

Objicies 2. S. Petrus cap. 5. primæ suæ Epistolæ ver. 2. totam Christi Ecclesiam *Clerum* appellat: atqui certum est ad eam non minùs Laicos pertinere, quàm qui Clerici apud nos seu ministri dicuntur; unde S. Cyprianus eam definit, *plebem pastori suo adunatam. Pascite*, inquit S. Petrus, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Confirmatur, quia ipsa litteralis *Cleri* significatio rectè toti Ecclesiæ potest accommodari: nam sors est seu hæreditas Christi, qui eam sanguine suo acquisivit & sanctificavit.

Resp. 1. Cum S. Hieronymo in Epist. ad Nepotianum, & Oecumenio in primam S. Petri Epistolam, *Cleri* appellationem non ad Ecclesiam univer-

sam,

ſam, ſed ad eos qui propriè Clerici ſeu miniſtri Eccleſiæ nuncupantur, referri in citato textu, quos Apoſtolus graviter admonet, ne ſuos inferiores contemnant, aut ſupra illos faſtuoſo habitu, graviori inceſſu, triſti ſupercilio, impotenti imperio, geſtu tumido, auſtera voce, inſoleſcant & ſuperbiant: id enim fert verbum *dominantes*, quo non damnatur poteſtas, & legitimum dominium ſuperiorum in inferiores, ſed abuſus poteſtatis, dominii faſtus, vanitas in minis ac terroribus conſiſtens. Ita verbum iſtud *dominantes* paraphraſtica expoſitione amplificat Hallerius, de ſacris elect. & ord. p. 10. & S. Hieronymus citata Epiſt. ad Nepotianum, dicebat: *Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, non dominos: honorent Clericos, quaſi Clericos, ut & ipſis à Clericis, quaſi Epiſcopis, honor deferatur; Scitum eſt illud Oratoris Domitii; Cur ego te habeam ut Principem, cùm tu me non habeas in Senatorem?* Et interpoſitis S. Petri verbis, *Peſſimæ*, inquit, *conſuetudinis eſt in quibuſdam Eccleſiis, tacere Presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui; quaſi aut invideant, aut non dignentur audire*. Sic ille de faſtu quorumdam Epiſcoporum.

Tom. 4. p. 2. p. 261.

Reſp. 2. Etiam ſi daremus nomen *Cleri* apud S. Petrum intelligi de tota Eccleſia, quatenus Laicos complectitur, quæ ſors eſt ſeu hæreditas Domini, an inde conſequens foret, nomen illud ſingulari quodam titulo intelligi non debere de miniſtris Eccleſiæ, inter quos varii ſunt gradus dignitatis, honoris, poteſtatis & juriſdictionis? minimè profectò. Sicut enim univerſa Judæorum Synagoga in Libris Prophetarum paſſim hæreditas Domini vocata fuit, quòd eam ex Ægypto & aliis perſecutionibus & captivitatibus liberaſſet, ſpeciali tamen ratione ſola Tribus Levitica, quam rebus ſacris præfecerat Deus, ſors & hæreditas Domini appellata eſt, juxta hæc verba n. 18. v. 20. *Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua, in medio filiorum Iſrael.*

Ex his patet reſponſio ad confirmationem.

Objicies 3. Varios Scripturæ textus, qui declarant omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, unde ſequitur admittendam non eſſe miniſtrorum diſtinctionem, 2. Petri 2. v. 5. de omnibus Fidelibus dicitur: *Ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſanctum ſacerdotium*. Et v. 9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium*. Apocal. 5. v. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes*. Et c. 20. v. 6. *Sed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti*.

Reſp. Textus illos intelligi debere non de ſacerdotio propriè ac ſtrictè ſumpto, quod in miniſterio poſitum eſt, ſed de ſacerdotio ſpirituali, quo nempe Deo offerimus hoſtias ſpirituales, bona ſcilicet opera, præcipuè verò laudes & preces; quod quidem ſacerdotium commune eſt omnibus hominibus: Verùm præter iſtud ſacerdotium, aliud eſt propriè dictum, ad cujus officium pertinet populis verbum Dei & Sacramenta diſpenſare. Solutio patet. 1. ex ipſis locis citatis. Nam 1. Pet. c. 2. expreſsè habetur: *Offerte ſpirituales hoſtias*: addit autem *ſpirituales*, ad diſtinctionem hoſtiarum, quæ non ſpiritualiter & myſticè, ſed verè ac propriè ſacrificantur; & ut innueret agere ſe tantùm de ſacerdotio ſpirituali; quod explicat per actum proprium, qui eſt offerre ſpirituales hoſtias. Deinde dicit *ædificari Fideles ſacerdotium ſanctum*, quomodo dixerat *ædificari in domum ſpiritualem*: atqui domus illa non propriè, ſed figuratè intelligenda eſt, ut patet ex illo addito, *ſpiritualis*; ergo etiam intelligitur ſacerdotium non proprium, ſed metaphoricum & ſpirituale, quod ſignificatur hoc verbo

ſanctum:

sanctum: qui enim propriè Sacerdotes dicuntur, videlicet ad externa sacrificia offerenda, non omnes sunt sancti, idest interna animorum puritate pręditi, etiam dum suo funguntur sacerdotio; qui verò ad hoc, de quo S. Petrus loquitur, sacerdotium pertinent, nisi sancti sint, hostias suo sacerdotio proprias offerre non possunt. Sic etiam in cap. 5. Apocal. agitur de sacerdotio Beatorum in Cœlo, quod certum est non esse nisi ad offerendas laudes.

II. Verba S. Petri sumpta sunt ex c. 19. Exodi v. 6. ubi sic legitur: *Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale*. Atqui certum est in veteri Testamento omnes non fuisse propriè dictos Sacerdotes, sed eos tantùm qui erant ex stirpe Aaronis: omnes tamen Sacerdotes erant spirituales.

III. SS. Petrus & Joannes conjungunt regnum cum sacerdotio: atqui nemo dixerit omnes Christianos reges esse, nisi valdè improprio ac figurato sensu, quatenus scilicet suis affectibus dominari, eosque regere ac cohibere tenentur. *Viri sancti*, ait S. Gregor. Magnus lib. 26. Moralium cap. 28. aliàs 26. *divinæ Scripturæ testimonio reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modò luxuriæ appetitum frænant; modò æstum avaritiæ temperant, modò gloriam elationis inclinant, modò suggestionem livoris obruunt, modò ignem furoris extinguunt*. To. 1. p. 387. n. 53. Atque hinc Lactantius lib. 6. Institutionum cap. 24. scitè observat, eos omnes qui Christi mandata accuratè observant, totidem ipsi hostias & sacrificia immolare. *Quisquis*, inquit, *his omnibus præceptis cœlestibus obtemperaverit, hic cultor est veri Dei, cujus sacrificia sunt mansuetudo animi, & vita innocens & actus boni: quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid ac pium fecerit*. Pag. 380. n. 23.

Objicies 4. Auctoritatem Tertull. ex lib. ipsius de exhortatione castitatis c. 7. ubi cùm pluribus argumentis probare vellet illicitas esse secundas nuptias omnibus Christianis, eo præsertim utitur, quòd jure tum veteri tum novo vetitæ sint Sacerdotibus: omnes autem Christiani sunt Sacerdotes; ergo, concludit, omnibus Christianis interdictæ quoque esse debent secundæ nuptiæ. Sic loquitur initio laudati capitis: *Inde igitur apud nos pleniùs atque instructiùs præscribitur, unius Matrimonii esse oportere qui adleguntur in ordinem sacerdotalem; usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos. Sed dices: Ergo cæteris licet, quos excipit? Vani erimus si putaverimus quod Sacerdotibus non liceat, Laicis licere. Nonne & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est, Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tinguis, & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licèt Laici: unusquisque enim sua fide vivit, nec est personarum acceptio apud Deum .... Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est: habeas oportet etiam disciplinam Sacerdotis, ubi necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers? Quantò magis Laico digamo capitale est agere pro Sacerdote, cum ipsi Sacerdoti digamo facto auferatur agere Sacerdotem? Sed necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, & non committis in necessitatem administrandi quod non licet digamo*. P. 522. A. Hæc Tertullianus, ex quibus sic arguitur: Qui contendit omnes Christianos à secundis nuptiis arcendos esse, eo quòd ab illis omnes Sacerdotes arceantur, existimat omnes Fideles veros esse Sacerdotes: atqui &c.

Resp. dist. maj. existimat omnes Fideles Sacerdotes esse, vel sacerdotio communi & latè sumpto, vel sacerdotio propriè dicto, concedo: sacer-

cerdotio propriè dicto, iterum distinguo; existimat omnes Fideles esse Sacerdotes, sacerdotio propriè dicto, remotè ac dispositivè quantùm ad dispositiones quæ requiruntur ad consecrationem sacerdotalem, concedo: formaliter & quantum ad ipsam consecrationem sacerdotalem, nego. Ut autem hæc solutio & mens Tertulliani evidentius pateant,

Observandum 1. Sacerdotium posse considerari duobus modis, vel ratione sui, hoc est ratione potestatis quam includit, conficiendi Eucharistiam &c. vel ratione dispositionum, quæ ad illud ex veteri Ecclesiæ disciplina requiruntur, v.g. non esse bigamum. Deinde sacerdotium vel est commune, & sic latiùs sumitur, quatenus dicit potestatem in Christianis offerendi pro se ipsis aut immediatè, v.g. preces, orationes; aut mediatè per ministerium Sacerdotum, v.g. sacrificium altaris, quod Sacerdotes nomine totius Ecclesiæ offerunt: vel est propriè dictum, & sic convenit solis quibusdam ministris, qui juxta leges à Christo & ab Ecclesia præscriptas eliguntur ad munia sacerdotalia obeunda.

Observandum 2. Primis Ecclesiæ temporibus bigamos pœnitentiæ publicæ addictos fuisse, sicut ostendemus in nostro Tractatu de Matrimonio, ubi de secundis nuptiis, & inhabiles ad sacros ordines percipiendos.

Cùm ergo Tertullianus ait omnes Fideles sacerdotes esse, intelligi potest hoc sensu, vel quòd preces Deo pro se ipsis offerant, quæ ut Deo magis gratę sint & acceptæ, à non bigamo debent offerri, utpote qui sit in majori perfectionis gradu; vel Fideles hoc sensu Sacerdotes esse, quòd per Presbyteros sacrificium altaris offerunt Deo, & consequenter bigami esse non debeant, ne jure illo per Sacerdotes offerendi, priventur; ob publicam nempe, cui suadebantur, pœnitentiam; vel tandem sic intelligi potest, Fideles Sacerdotes esse remotè ac dispositivè, undè removere à se debent impedimenta, quibus ab Ordinibus suscipiendis arcerentur, qualis semper fuit bigamia.

Hanc esse genuinam Tertulliani expositionem patet ex his verbis quæ immediate sequuntur in Objectione: *Omnes nos*, inquit, *Deus ita vult esse di-*
Ibid. B. *spositos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus: unus Deus, una fides, una & disciplina. Usque adeo nisi & Laici ea observent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante Laicum jussum à secundo matrimonio abstinere, dum Presbyter esse non alius potest, quam Laicus semel fuerit maritus.*

Idem urget argumentum, & ratiocinium in lib. de Monogamia cap. 12. ubi ex eo quòd Episcopis & Presbyteris bigamos esse vetitum sit, vult omnes Christianos à secundis nuptiis abstinere debere. *Unde enim*,
P.553.A. inquit, *Episcopus & Clerus? Nonne de omnibus? Si non omnes monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum? An ordo aliquis seorsum debebit institui monogamorum, de quo adlectio fiat in Clerum?*

Porrò Tertullianum agnovisse veram ministrorum ordinationem ac subordinationem, ostendunt quæ ex ipso inter probationes Conclusionis nostræ retulimus.

Instabis 1. Loco citato Tertullianus asserit quemlibet Laicum, ubi non est Ecclesiastici ordinis consessus, offerre, tingere, hoc est, baptizare, esse sibi solum Sacerdotem.

Resp. 1. Hunc locum sic emendatum fuisse à Pamelio Operum Tertulliani editore doctissimo, nempe, *ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert & tingit Sacerdos qui est ibi solus*; qua posita lectione, evanescit objectio.

Resp.

Resp. 2. Si communem ac vulgatam sequamur lectionem, intelligendum esse Tertullianum, non de qualibet oblatione propriè dicta, præsertim sacrificii altaris, sed de oblatione precum, animi, & aliorum bonorum operum: quo sensu Laicus dici potest Sacerdos, latè, impropriè ac metaphoricè. Equidem de tinctione baptismali loquitur ibidem, quia cùm desunt Sacerdotes, potest quilibet baptizare, non tantùm vir, sed & mulier, quamvis expresse lib. de velandis virginibus cap. 9. asserat mulierem sacerdotalia munera obire non posse. Nimirum illud est P.178.A. Baptismi privilegium, ut propter summam ejus necessitatem, possit à quolibet, urgente mortis periculo, conferri.

Instabis 2. Eodem in loco Tertullianus asserit, *differentiam inter ordinem & plebem Ecclesiæ auctoritate constitui*. Ergo nullam agnovit jure divino necessariam consecrationem.

Resp. dist. ant. Ecclesiæ auctoritate constitui, inchoatè & inadæquatè, quatenus scilicet inter Laicos eligebantur à Clero & populo, ii qui erant in Sacerdotes cæterosque ministros consecrandi, concedo: completè & adæquatè, nego. Est enim præterea ipsa consecratio, seu potestas Ordinis, & ut loquitur Auctor, *honor per ordinis consessum à Deo sanctificatus*. Plura vide circa istud Tertulliani testimonium in nostro de Sacramento Eucharistiæ Tractatu, ubi de illius ministro. *De Euch. To. 1. p. 152. & seq.*

Objicies denique: Certum est olim Episcopos & Sacerdotes populi non minùs quàm Cleri suffragio electos fuisse; ergo sola electione, non consecratione distant Clerici à plebe.

Resp. nego consequentiam. In ministris quippe Ecclesiasticis promovendis tria hæc distingui debent, electio, consecratio, & inscriptio seu incardinatio certæ cuidam Ecclesiæ. Electio quidem aliquando ad plebem ut & ad Clerum pertinuit, in testimonium nempe probatæ pietatis ac fidei illius, qui proponebatur inaugurandus Episcopus vel Sacerdos; cujus disciplinæ veteris superest adhuc inter nos vestigium aliquod, cùm nempe intra Missarum solemnia publicè denuntiantur & proclamantur qui ad sacros Ordines sunt promovendi, ut si fortè esset aliquod impedimentum detegatur. Consecratio verò ministrorum ad solum pertinet Episcopum jure divino ac vi suæ ordinationis. Inscriptio verò seu incardinatio certæ cuidam Ecclesiæ, juris est Ecclesiastici.

QUÆSTIO SECUNDA.

De essentia seu natura Ordinis.

DUo hìc à nobis expendenda sunt.
Primum, an Ordo sit verum & propriè dictum Sacramentum.
Secundum, an sit apud Anglos rata & valida Ordinatio.

ARTICULUS PRIMUS.

An Ordo seu Ordinatio verum sit & propriè dictum Sacramentum.

NEgat Lutherus in Libro de captivitate Babylonica cap. de Ordine, ubi more suo inverecundè & petulantissimè in Catholicos debacchatur.

Negat

cerdotio propriè dicto, iterum distinguo; existimat omnes Fideles esse Sacerdotes, sacerdotio propriè dicto, remotè ac dispositivè quantùm ad dispositiones quæ requiruntur ad consecrationem sacerdotalem, concedo: formaliter & quantum ad ipsam consecrationem sacerdotalem, nego. Ut autem hæc solutio & mens Tertulliani evidentius pateant,

Observandum 1. Sacerdotium posse considerari duobus modis, vel ratione sui, hoc est ratione potestatis quam includit, conficiendi Eucharistiam &c. vel ratione dispositionum, quæ ad illud ex veteri Ecclesiæ disciplina requiruntur, v.g. non esse bigamum. Deinde sacerdotium vel est commune, & sic latiùs sumitur, quatenus dicit potestatem in Christianis offerendi pro se ipsis aut immediatè, v.g. preces, orationes; aut mediatè per ministerium Sacerdotum, v.g. sacrificium altaris, quod Sacerdotes nomine totius Ecclesiæ offerunt: vel est propriè dictum, & sic convenit solis quibusdam ministris, qui juxta leges à Christo & ab Ecclesia præscriptas eliguntur ad munia sacerdotalia obeunda.

Observandum 2. Primis Ecclesiæ temporibus bigamos pœnitentiæ publicæ addictos fuisse, sicut ostendemus in nostro Tractatu de Matrimonio, ubi de secundis nuptiis, & inhabiles ad sacros ordines percipiendos.

Cùm ergo Tertullianus ait omnes Fideles sacerdotes esse, intelligi potest hoc sensu, vel quòd preces Deo pro se ipsis offerant, quæ ut Deo magis gratę sint & acceptæ, à non bigamo debent offerri, utpote qui sit in majori perfectionis gradu; vel Fideles hoc sensu Sacerdotes esse, quòd per Presbyteros sacrificium altaris offerunt Deo,& consequenter bigami esse non debeant, ne jure illo per Sacerdotes offerendi, priventur; ob publicam nempe, cui suadebantur, pœnitentiam; vel tandem sic intelligi potest, Fideles Sacerdotes esse remotè ac dispositivè, undè removere à se debent impedimenta, quibus ab Ordinibus suscipiendis arcerentur, qualis semper fuit bigamia.

Hanc esse genuinam Tertulliani expositionem patet ex his verbis quæ immediate sequuntur in Objectione: *Omnes nos*, inquit, *Deus ita vult esse di-*
Ibid. B. *spositos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus: unus Deus, una fides, una & disciplina. Usque adeo nisi & Laici ea observent, per quæ Presbyteri adleguntur, quomodo erunt Presbyteri, qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante Laicum jussum à secundo matrimonio abstinere, dum Presbyter esse non alius potest, quam Laicus semel fuerit maritus.*

Idem urget argumentum, & ratiocinium in lib. de Monogamia cap. 12. ubi ex eo quòd Episcopis & Presbyteris bigamos esse vetitum sit, vult omnes Christianos à secundis nuptiis abstinere debere. *Unde enim*,
P.553.A. inquit, *Episcopus & Clerus? Nonne de omnibus? Si non omnes monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum? An ordo aliquis seorsum debebit institui monogamorum, de quo adlectio fiat in Clerum?*

Porrò Tertullianum agnovisse veram ministrorum ordinationem ac subordinationem, ostendunt quæ ex ipso inter probationes Conclusionis nostræ retulimus.

Instabis 1. Loco citato Tertullianus asserit quemlibet Laicum, ubi non est Ecclesiastici ordinis consessus, offerre, tingere, hoc est, baptizare, esse sibi solum Sacerdotem.

Resp. 1. Hunc locum sic emendatum fuisse à Pamelio Operum Tertulliani editore doctissimo, nempe, *ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert & tingit Sacerdos qui est ibi solus*; qua posita lectione, evanescit objectio.

Resp.

Reſp. 2. Si communem ac vulgatam ſequamur lectionem, intelligendum eſſe Tertullianum, non de qualibet oblatione propriè dicta, præſertim ſacrificii altaris, ſed de oblatione precum, animi, & aliorum bonorum operum: quo ſenſu Laicus dici poteſt Sacerdos, latè, impropriè ac metaphoricè. Equidem de tinctione baptiſmali loquitur ibidem, quia cùm deſunt Sacerdotes, poteſt quilibet baptizare, non tantùm vir, ſed & mulier, quamvis expreſsè lib. de velandis virginibus cap. 9. aſſerat mulierem ſacerdotalia munera obire non poſſe. Nimirum illud eſt P.178.A. Baptiſmi privilegium, ut propter ſummam ejus neceſſitatem, poſſit à quolibet, urgente mortis periculo, conferri.

Inſtabis 2. Eodem in loco Tertullianus aſſerit, *differentiam inter ordinem & plebem Eccleſiæ auctoritate conſtitui*. Ergo nullam agnovit jure divino neceſſariam conſecrationem.

Reſp. diſt. ant. Eccleſiæ auctoritate conſtitui, inchoatè & inadæquatè, quatenus ſcilicet inter Laicos eligebantur à Clero & populo, ii qui erant in Sacerdotes cæteroſque miniſtros conſecrandi, concedo: completè & adæquatè, nego. Eſt enim præterea ipſa conſecratio, ſeu poteſtas Ordinis, & ut loquitur Auctor, *honor per ordinis conſeſſum à Deo ſanctificatus*. Plura vide circa iſtud Tertulliani teſtimonium in noſtro de Sacramento Euchariſtiæ Tractatu, ubi de illius miniſtro. *De Euch. To. 1. p. 152. & ſeq.*

Objicies denique: Certum eſt olim Epiſcopos & Sacerdotes populi non minùs quàm Cleri ſuffragio electos fuiſſe; ergo ſola electione, non conſecratione diſtant Clerici à plebe.

Reſp. nego conſequentiam. In miniſtris quippe Eccleſiaſticis promovendis tria hęc diſtingui debent, electio, conſecratio, & inſcriptio ſeu incardinatio certæ cuidam Eccleſiæ. Electio quidem aliquando ad plebem ut & ad Clerum pertinuit, in teſtimonium nempe probatæ pietatis ac fidei illius, qui proponebatur inaugurandus Epiſcopus vel Sacerdos; cujus diſciplinæ veteris ſupereſt adhuc inter nos veſtigium aliquod, cùm nempe intra Miſſarum ſolemnia publicè denuntiantur & proclamantur qui ad ſacros Ordines ſunt promovendi, ut ſi fortè eſſet aliquod impedimentum detegatur. Conſecratio verò miniſtrorum ad ſolum pertinet Epiſcopum jure divino ac vi ſuæ ordinationis. Inſcriptio verò ſeu incardinatio certæ cuidam Eccleſiæ, juris eſt Eccleſiaſtici.

QUÆSTIO SECUNDA.

De eſſentia ſeu natura Ordinis.

DUo hìc à nobis expendenda ſunt.

Primum, an Ordo ſit verum & propriè dictum Sacramentum.

Secundum, an ſit apud Anglos rata & valida Ordinatio.

ARTICULUS PRIMUS.

An Ordo ſeu Ordinatio verum ſit & propriè dictum Sacramentum.

NEgat Lutherus in Libro de captivitate Babylonica cap. de Ordine, ubi more ſuo inverecundè & petulantiſſimè in Catholicos debacchatur.

Negat

Negat pariter Illiricus in Confessione Antuerpiensi c. 11. & Kemnitius in secunda parte examinis Concil. Trid. in disput. de Sacramento Ordinis. Negat Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. n. 33. Negat & Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus & Apostata lib. 2. de Rep. Ecclesiastica c. 4. E contra sentiunt communi suffragio omnes Orthodoxi. Itaque sit

CONCLUSIO.

Ordo seu Ordinatio qua sacri inaugurantur ministri, verum est ac propriè dictum Legis novæ Sacramentum.

Probatur 1. Ex sacris Litteris. Tria scilicet requiruntur & sufficiunt, fatentibus ipsis adversariis, ad Sacramentum propriè dictum: nimirum symbolum externum, seu ritus sensibilis; promissio gratiæ & institutio divina, seu mandatum. Atqui tria hæc occurrunt in sacris Ordinationibus quarum mentionem facit sacer Contextus.

Primò, symbolum externum seu ritus sensibilis apparet in impositione manuum & oratione qua Act. 6. v. 6. septem Diaconi in augurati sunt & ordinati. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Et c. 13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*. Et S. Paulus 1. ad Timoth. 5. v. 22. eum admonet *ne manus cuiquam imponat*, idest præcipitanter ministros sacros constituat & ordinet. Et 2. ad eumdem c. 1. v. 6. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Christus ipse Apostolis dimittendi peccata auctoritatem concessit Joan. 20. per insufflationem & prolationem istorum verborum: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata &c.*

Respondent Novatores 1. Illam manuum impositionem ritum quemdam communem fuisse, quem Apostoli frequentissimè usurpabant, sive cùm morbos corporis curabant, quo sensu dicitur Marci 16. v. 18. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*: sive cùm pro aliquo orabant eumque Deo commendabant: interprete enim ipsomet S. August. lib. 3. de Baptismo contra Donat. c. 16. nihil aliud est manus impositio, quàm *oratio super hominem*; quod etiam innuit ipsum nomen græcum Χειροτοία, hoc est, manus expansio seu extensio, in signum nempe suffragii, aut orationis. Tom. 9. p. 117. B.

Verùm hoc unum ex hac responsione consequi possunt Novatores, quod ultro concedimus, nempe omnem & quamlibet ab Apostolis & à Christo ipso usurpatam manus impositionem non fuisse verum ac propriè dictum Sacramentum: talis ea fuit, quam Christus erga infantes, & Apostoli erga infirmos adhibuere ad sanitatem corporis virtute supernaturali restituendam; talis & ea quæ adhibita fuit vel in ordinatione Diaconissarum, vel in consecratione Virginum: eam verò quæ in consecrandis ministris usurpata est, verum fuisse Sacramentum, manifestum est; tum quia videmus ipsi annexam gratiam; tum quia ritu perpetuo ac constanti semper in usu fuit; tum quia ab ipsa oratione distinguitur, sicut manifestè patet ex citato c. 6. v. 6. Actorum, & c. 13. v. 3. tum denique quia in isto Apostoli testimonio 1. ad Timot. 5. ver. 22. *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*; exponi non potest illa manus impositio de oratione, sed tantùm de cerimonia, qua ministri ordinantur: non enim communicat peccatis alienis,

qui

qui orat pro alio, licèt indigno; sed qui ordinat indignum is verè communicat peccatis alienis. Inanis prorsus est observatio ducta ex significatione nominis græci: quis enim ignorat χειροτονίαν significare apud Auctores græcos manus expansionem, extensionem & impositionem, eamque à Veteribus usurpatam in signum suffragii seu electionis alicujus in magistratum &c.? Sed ritu ecclesiastico eoque vulgatissimo significat actionem manus specialem, quam Tertullianus appellat *adumbrationem*, & S. Dionysius *protectionem*, communis verò Scriptorum usus *manus impositionem*, per quam sacri ministri divinis ministeriis deputantur & consecrantur. S. Augustinus loco citato loquitur de manus impositione reconciliatoria per Pœnitentiam, non verò de consecratoria per Ordinationem: ipsi enim consilium est demonstrare adversùs Donatistas, Baptismum repeti non posse, etiam si suo præcipuo frustretur effectu, nempe charitate & sanctificante gratia; charitatem verò illam per Pœnitentiam, & manus impositionem reconciliatricem recuperari posse, quia manus illa impositio reconciliatoria nihil aliud est quàm oratio supra hominem.

Respondent 2. Christum absque impositione manuum suos Apostolos ordinasse.

Verùm ita sit, quid inde? Non esse adhibendam manus impositionem in Ordinatione ministrorum? absurdè omninò: quasi aut facere teneamur quidquid fecit Christus, aut nihil planè aliud, quàm quod fecisse legitur; utrumque pariter falsum & absonum est: multa etenim etiam circa celebrationem Eucharistiæ Christus observavit, ad quæ observanda vel ipsi adversarii nostri fatentur se non teneri; & multa aliunde fecit, quæ scripta non sunt, è quorum numero conjicere meritò possemus esse ipsam cærimoniam imponendi manus in Ordinatione ministrorum. Sed quamquam concederemus eam à Christo fuisse omissam, mirum non esset: ipsius enim potestas suprema & excellentiæ, ut vocant, non erit signis exterioribus alligata, quemadmodum alligata est potestas Ecclesiæ.

Respondet 3. etiam inter nostros Theologos nondum satis constitutum esse, an manuum impositio, vel instrumentorum porrectio sit materia essentialis Ordinationis, de qua re lites sunt inter nos ac graves controversiæ.

Verùm illæsa Sacramenti substantia, discordes sunt inter se nostri Theologi circa materiam essentialem vel integralem Ordinationis: omnes enim uno suffragio consentiunt, esse aliquod externum symbolum quod materiæ rationem habeat: omnes pariter consentiunt, in sacris Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus Ordinationibus Latinis, Græcis, Syris, Ægyptiis, antiquis, & hodiernis, adhiberi manus impositionem & orationem unicuique gradui convenientem: quamquam, ut diximus, alii velint illam manus impositionem & orationem solam sufficere ad substantialem Sacramenti veritatem; alii prætereà requirant, juxta Ecclesiæ usum, porrectionem instrumentorum, in qua discordia hoc unum certum est apud omnes, nimirum esse aliquam essentialem materiam visibilem nostri Sacramenti, quod sufficit nobis ad evertendum adversariorum argumentum.

Respondet 4. manus impositionem ritum esse communem tum nostro Confirmationis Sacramento, tum multis aliis Romanæ Ecclesiæ cærimoniis.

Verùm quid tum? Nonne oleum est materia Confirmationis simul & Extremæ unctionis? Quamvis igitur eadem sit materialiter, ut ita dicam, impositio manuum in Confirmatione, Ordine, aliisque cærimoniis, non est tamen

eadem

eadem formaliter, idest non per eamdem formam determinata & contracta, nec ad eumdem effectum significandum & producendum ordinata.

Secundò, habemus in Scripturis annexam gratiæ promissionem Ordinationi ministrorum, 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli*, inquit S. Paulus, *negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Et 2. ad eumdem Epistolæ c. 1. v. 6. *Admoneo, ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum*. En impositioni manuum, tanquam signo efficaci, gratia disertè ac conceptis verbis annexa. Hanc porrò gratiam sanctificantem esse, non verò dumtaxat gratis datam in aliorum commodum & utilitatem, patet, tum quia postquam Apostolus 1. ad Tim. 1. dixit gratiam Timotheo datam fuisse per impositionem manuum, statim explicans quæ sit illa gratia, *Non enim*, inquit, *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*. Gratia porro dilectionis & sobrietatis seu moderationis, nonne gratia est sanctificans, seu charitas diffusa in cordibus per Spiritum sanctum? tum quia cùm Christus Joan. 20. v. 22. dedit Apostolis potestatem dimittendi peccata, quæ est pars quædam sacerdotii, dixit, *Accipite Spiritum sanctum*: quo certè nomine, ubi simpliciter & absolutè usurpatur in Scripturis, intelligitur gratia gratum faciens seu sanctificans, non verò gratia gratis data quæ in impiis reperiri etiam potest.

Respondent Novatores, gratiam illam ad eam speciem esse referendam, quæ gratis data solet nuncupari, hoc est, ad dona miraculorum, linguarum, prophetiæ, doctrinę, &c. Probant 1. quia Apostolus non usus est nomine χάρις, quod sępius & vulgò significat gratiam sanctificantem: sed nomine χαρίσμα, quo gratiæ gratis datæ designantur. 2. quia citato c. 4. Epistolæ prioris ad Timoth. Apostolus ait gratiam illam datam fuisse *per prophetiam*, seu, ut multi exponunt, *in prophetiam*, quòd nempe totum illud gratiæ donum sit gratis datum ad utilitatem aliorum. 3. S. Hieronymus in caput 4. 1. ad Timoth. gratiam hanc interpretatur donum exponendi Scripturas, vel donum prophetiæ, seu annuntiandi futura; sanctus verò Chrysostomus Hom. 13. in eumdem locum, & 29. ac 32. in caput 12. 1. ad Corinth. intelligit auctoritatem docendi; alii virtutem patrandi miracula.

Verùm nullo negotio exsufflantur tam levia & infirma momenta.

Primum quidem, quia nomen græcum χάρισμα significat quidem gratias gratis datas, sed quatenus conjunctæ sunt cum sanctificante gratia, tanquam earum vel dispositio, vel principium: quod quidem manifestum est ex eodem Apostolo 1. ad Cor. 12. ubi gratias gratis datas, quæ χαρίσματα nominantur, conjungit cum gratia sanctificante; unde addit v. 31. *Æmulamini charismata meliora*, id est sanctificantem gratiam: neque ènim donorum illorum, quę ibi enumerantur, si solitariè sumantur, debet quis desiderio ita teneri, quia sine præsumptione expeti illa non possunt, nisi conjunctam & comitem habeant sanctificantem gratiam.

Secunda pariter responsio nullius planè momenti est. Quamquam enim daremus adversariis, legendum esse *in*, vel *ad prophetiam*, quid inde? nisi hoc unum, donum prophetiæ concessum fuisse Timotheo per impositionem manuum: sed an propterea excludi debet gratia sanctificans? minimè profectò: utraque enim gratia rectè simul stare & conciliari potest. Sed longè magis arridet aliorum interpretatio, qui per *prophetiam*, non intelligunt causam instrumentalem gratiæ conferendæ, aut etiam effectum productum per impositionem manuum, sed causam impellentem ac moventem, ut sensus

sit,

sit, Noli negligere gratiam quæ data est tibi cùm te ordinavi Episcopum *secundùm præcedentes prophetias*, ut dicitur 1. ad Timoth. 1. v. 18. hoc est, juxta revelationem mihi factam, ut te in Episcopum consecrarem.

Tertia denique adversariorum evasio nulla est: laudati enim SS. Patres gratiam sanctificantem non excludunt, sed de gratiis gratis datis, potiùs quàm de illa loquuntur, quòd nempe effectus sint hujus Sacramenti notiores, qui etiam primis illis temporibus in Ordinatione conferebantur simul cum gratia sanctificante: quæ illorum vel dispositio erat, vel principium.

Ultimò denique habemus mandatum seu institutionem Dei de ordinandis certo ritu ministris. 1. ipse Spiritus sanctus Act. 13. v. 2. jussit sibi *segregari Paulum & Barnabam in opus ministerii*. Et cap. 20. v. 28. idem Spiritus sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, & Doctores in consummationem Sanctorum in opus ministerii, & ædificationem corporis Christi*, nempe Ecclesiæ. Christus ipse Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem dimittendi peccata, insufflans & dicens, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt &c.* 2. cùm certum sit ab Apostolis per manus impositionem & orationem ordinatos fuisse Diaconos, Presbyteros, Episcopos, necesse omnino est Apostolos hujusce ritus observandi mandatum à Christo Domino accepisse, juxta istud celebre Tertulliani effatum Lib. de Præscriptionibus c. 21. *Ecclesiæ ab Apostolis accepere, Apostoli à Christo, Christus à Deo*. 3. denique, cùm nullus mortalium valeat gratiam signis sensibilibus alligare, quæ tamen hìc manuum impositioni alligata legitur, necesse est ad Christum auctorem & institutorem referre ritum ordinandi ministros, eisque gratiam conferendi per impositionem manuum & orationem.

Ephes. 4. v. 11.

Joan. 20. v. 22.

P. 209. B.

Respondent Novatores, ex nullo Scripturæ loco patere, Christum Apostolis mandatum dedisse ut ministros certo quodam ritu ordinarent. Ipse quidem in Discipulos insufflavit, cùm eis tradidit potestatem dimittendi peccata; at nos ipsi nequidem ritum hunc insufflationis retinuimus.

Verùm huic effugio jam paulò antea locum præclusimus. Licèt enim expressis ac conceptis verbis non legamus hocce Christi mandatum, certissimè tamen illud pro certo habemus: insufflationem verò non retinemus, quamquam à Christo usurpatam, quòd fuerit ritus quidam transiens nec perpetuò observandus, cujus nullum à Christo mandatum accepere Apostoli in Ordinatione ministrorum perficienda.

Probatur 2. dogma nostrum Catholicum ex perpetua & constanti Ecclesiæ totius ac SS. Patrum Traditione. 1. ex ritu impositionis manuum, quem semper in ordinandis ministris Ecclesia constanter observavit, ut videre est in antiquissimis Conciliis Nicæno I. generali Can. 9. Antiocheno cap. 17. Ancyrano Can. 10. Carthaginensi IV. c. 2. 3. 28. ex cura & sollicitudine Ecclesiæ in deligendis ministris idoneis, qui scientia, eruditione, vitæ sanctitate possent cæteris præire Fidelibus, eosque suis juvare ministeriis: unde indignos & aliqua imperfectione notatos, velut irregulares arcebat ac removebat ab Ordinatione sacra. 3. ex severitate Ecclesiæ in damnanda eorum rapacitate & avaritia, qui pecunias pro Ordinatione suscipiunt: caussam reddit Concilium Chalcedonense ann. 451. Can. 20. *Quia gratiam Dei illi censentur vendere, quæ tamen vendi nullo modo potest aut debet*. 4. denique, ex loco quo ministros sacros semper habuit, tamquam nimirum

Tom. 4. Concil. p. 772. E.

à cæteris segregatos, longè ampliori donatos gratia, & in subliniori perfectionis gradu, ob dignitatis statum, constitutos.

Hæc ipsa est Ss. Patrum doctrina.

T.2. App. p.63. D. S. Ambrosius L. de dignitate sacerdotali c.5. *Quis dat*, inquit, *frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus; sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera: Episcopus initiat Ordinem, & Deus tribuit dignitatem.*

To.4. p.2. p.296. S. Hieronymus scribens contra Luciferianos, perpetuò comparat Ordinationem cum Baptismo, & ostendit, non magis esse reordinandos qui sunt ab Hæreticis ordinati, quàm rebaptizandos, qui sunt ab iisdem baptizati.
Ib. p.281. *Si*, inquit, *in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, & in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit*. Et L. contra Vigilantium dicit Episcopum Diaconos ordinantem, Christi Sacramenta tribuere.

S. Augustinus L.2. contra Parmenianum cap. 13. simili ratiocinio demonstrat contra Donatistas, amitti non posse Sacramentum Ordinationis, sicut nec Sacramentum Baptismi. *Ipsi explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti ... Si*
T.9. p.45. D. E. *enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est*. Quo in loco hæc observanda. 1. Ordinationem à S. Augustino vocari Sacramentum. 2. eum comparare Ordinationem cum Baptismo, atque apertissimè pronuntiare eodem prorsus modo utrumque Sacramentum esse. 3. neminem veritatem hanc in dubium revocare.

Tom.4. p. 1095. B. S. Cyrillus Alexandrinus L.12. in Joan. *Ostendit*, inquit, (Christus) *necessariò sequi ut detur iis Spiritus, qui ad divinum Apostolatum per eum deliguntur.*

T.1. p.436. S. Leo Epistola 11. aliàs 81. ad Dioscorum c.1. præscribens modum & tempus conferendi ac suscipiendi Ordinationem à jejunis, docet istud ex traditione Apostolica descendere, *ut intelligamus, quanta & dantium, & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

T.3. p.218. B. S. Gregorius Magnus L.4. in Libros Regum c.5. *Is*, inquit, *qui promovetur, benè foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.*

Ex quibus facile est mendacii ac crassæ ignorantiæ arguere Lutherum cùm scripsit, neminem ex Antiquis Ordinationem nostram Sacramentum dixisse: unde scitè Maldonatus hìc q.2. (pag.391.) ait Hæreticorum nostrorum ignorantiam magis ridendam esse, quàm seriò refutandam.

T.14. Conc. p.862. E. Concilium denique Tridentinum dogma Catholicum & exposuit & definivit Sess.23. *Cùm Scripturæ testimonio*, inquit c.3. *Apostolica Traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*. Deinde refert Synodus ea ipsa Scripturæ loca quæ hìc à nobis laudata sunt.

Et Can.3. sic pronuntiat: *Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non*
Ib. p.564. A. *esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum; vel esse figmentum quodam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantùm ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum; anathema sit.*

Objectiones Novatorum jam occupavimus cùm eorum effugia & exceptiones ad argumenta nostra confutavimus.

Dices:

Dices: S. Gregorius Nyssenus refert Gregorium Thaumaturgum tridui itinere dissitum à Phædimo Amasæensium Episcopo, in Neocæsariensem Episcopum fuisse consecratum: quo certè facto innuitur, existimasse Veteres sacram Ordinationem non esse sensibilibus quibusdam signis alligatam; sed tamquam officii cujusdam executionem, Superiorum ecclesiasticorum voluntati verboque attribui.

Resp. ex narratione S. Gregorii Nysseni istud dumtaxat inferri posse, nempe Phædimum suis precibus, monitis & adhorsationibus Gregorium Thaumaturgum Episcopatum detrectantem ac refugientem, tandem adduxisse ut consentiret se creari Episcopum, *observatis tamen atque peractis, quæ fieri solent, legitimis seu solemnibus*, ait idem S. Gregorius Nyssenus, hoc est, servato ritu qui usurpari solet in consecratione Episcoporum. Tom. 2. p. 977. A.

ARTICULUS II.

An rata & valida sit apud Anglos Episcopos Ordinatio.

PRæsentem controversiam apud nos ferè sopitam excitavit F. le Courayer, occasione cujusdam Memorialis doctissimi Viri Renaudot, in quo nullas esse judicat apud Anglos Ordinationes ad formam Ritualis Eduardi VI. peractas. E contra F. le Courayer ratas & validas esse, nec interruptam Episcoporum apud Anglos successionem contendit, edita in eam rem Dissertatione. Palmare ipsius fundamentum istud est, quòd Rituale Eduardi VI. id omne contineat ac præscribat, quod Ordinationi Episcopali perficiendæ essentiale videtur; manuum scilicet impositionem, pro materia; & orationem, pro forma: & quamquam aliunde nonnulla erronea simul admixta contineret, ea hujusmodi non esse, ut ipsam Ordinationis substantiam afficiant & adulterent.

Duplex verò hìc occurrit quæstio: una facti, altera juris seu dogmatis. Prior spectat Parcherum ordinatum à Barlovio, & Barlovium ipsum. 1. an Barlovius ad formam Ritualis Romani consecratus in Episcopum fuisset, quando Parchero manus imposuit. 2. an in hospitio seu taberna inter pocula ritu indecenti ac irreligioso, ut nostri communiter opinantur, Barlovius Parcherum Episcopum ordinaverit. De illa priori quæstione facti, obscura & implicata, parum curamus, ex qua præsens nostra quæstio solvi directè non potest. Esto enim Barlovius non ad formam Ritualis Romani, sed Eduardi VI. ordinatus fuisset Episcopus cùm Parchero manus imposuit: esto vera sit aut commentitia historia Ordinationis Parcheri in taberna, vel non, quid inde F. le Courayer? illicitam fatebitur eam Ordinationem, non autem invalidam, utpote quæ facta sit secundùm ritum ab Eduardo VI. præscriptum, ac totius Parlamenti Anglicani auctoritate firmatum: qui ritus, ut ipse contendit, nihil continet contrarium naturæ ac substantiæ Ordinationis. Quòd si ita est, Parcherus, qui certissimè ad formam hujusce Ritualis ordinatus fuit, regnante Elisabetha, & qui origo seu caput est omnium Episcoporum Anglorum post reformationem, Parcherus, inquam, verus fuit ex valida Ordinatione Episcopus. In sola igitur quæstione juris seu dogmatis, tota præsens versatur controversia, utrum scilicet forma Ordinationis in Rituali Eduardi præscripta nihil contineat contrarium naturæ seu substantiæ Ordinationis, qualem admittit & usurpat Ecclesia.

Par Kec Barlovv.

Affirmat F. le Courayer; negare videtur usus & praxis Ecclesiæ Romanæ; quæ Anglos ritu Eduardi ordinatos, cùm ad sinum suum redeunt, iterum jubet ordinari: quod certè usu tam constanti non observaret, nisi pro certo haberet, aut certè nisi gravi ac solido niteretur fundamento dubitandi, num in novo Rituali Eduardi VI. vitium quoddam sit speciale, internum ac essentiale, quo violetur Ordinationis substantia. Neque enim ignorat Ecclesia Catholica, commune vitium hæresis, vel schismatis, in quo perficitur vel recipitur Ordinatio, aut privatum ministri errorem, non obstare veritati seu validitati Ordinationis, quæ ritu à Christo præscripto perficitur; quod quidem adversùs Donatistas definitum ab Ecclesia fuisse, docuimus in nostris de Sacramentis universim sumptis Prælectionibus. Missa igitur hac facti quæstione circa Ordinationem Barlovii, & Parcheri, in una juris seu dogmatis controversia discutienda hìc hæremus, in qua hæc observanda sunt.

Observanda.

Observandum 1. quatuor veluti status Anglicanæ reformationis distinguendos esse: primum sub Henrico VIII. qui primus fuit schismatis auctor: secundum sub Eduardo VI. ejus filio ac successore: tertium sub Maria Regina: quartum sub Elisabetha.

Henricus insano in Annam de Boulen amore deperibat; quam ut uxorem liberè ducere posset, suum cum Maria Aragoniæ vidua fratris sui Arthus conjugium ab annis viginti quinque contractum, eo prætextu dissolvi postulabat, quòd contra jus divinum ac naturale, ut ipsi videbatur, uxorem fratris sui defuncti duxisset: suum cum illa divortium à S. Sede approbari, & se à vinculo contracto liberum declarari enixè rogabat; quod cùm à Sede Apostolica obtinere non potuisset, sui non amplius compos, ac furens, nova in odium Ecclesiæ Romanæ meditari cœperit ac moliri; instigantibus præsertim, ac flammam rebellionis in Ecclesiam aspirantibus, Cromvello & Cranmero Cantuariensi Archiepiscopo, qui tametsi partim Lutheri, partim Calvini erroribus animo toti forent addicti, nondum tamen in publicum eos proferre audebant, metu Regis Henrici, quem noverant ab illis penitus alienum. Henricus itaque retentis sex fidei Catholicæ articulis, Lutheri & Calvini erroribus è diametro contrariis, arcem ipsam Romanæ potestatis, id est Primatum Ecclesiæ Romanæ in cæteras orbis Catholici Ecclesias, impetit, atque excussa, quam ipsi hactenus exhibuerat, obedientia, seipsum declaravit Ecclesiæ Anglicanæ Caput supremum, non tantùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus; ita ut & dogmata fidei definire, errores damnare, & censuris pro plenitudine suæ auctoritatis se ferre posse superbiùs jactitaret; non alia Episcopis reservata potestate, quàm ut nomine suo, & tamquam sui Vicarii, ministerium suum exercerent, ad seipsum delaturi quidquid suis in Diœcesibus peregissent. Atque inde Rex suum in toto Regno in spiritualibus Vicarium generalem Cromvellum anno 1535. nominavit, qui singulas Diœceses nomine suo lustraret; quæ necessaria judicaret, institueret, reformaret perditos nonnullorum mores; imò & bona temporalia, quibus dotata fuerant Monasteria permulta, Laicis viliori pretio divendita concederet. Fuit hoc primum reformationis Ecclesiæ Anglicanæ fundamentum. Istam porro supremam Capitis Ecclesiæ Anglicanæ prærogativam, quam contra jus omne sibi usurpa-

vit

vit Henricus VIII. ultro ratam habuit ac confirmavit Parlamentum ann. 1535. lata etiam in rebelles, qui huic prærogativæ subscribere recusarent, pœna capitis, quam omnium primi, cum summo bonorum omnium dolore, experti sunt, Cardinalis Fisher, & Thomas Morus Regni Cancellarius. Sic à publico adulterio, ac injusta sanguinis effusione initium duxit Anglicana reformatio.

Qui sub Henrico vixere Præsules Anglicani, ii omnes ad formam Ritualis Romani ordinati fuerant, ideoque de valida illorum Ordinatione nullum hìc suboriri dubium potest: nihil etenim circa ritum Ordinationis immutavit Henricus. Cùm autem, ut dictum est, ab erroribus Lutheri & Calvini alienus ille foret, sex fidei articulos pro sua in rebus spiritualibus suprema auctoritate anno 1536. condidit, quos anno 1539. auctoritate ac judicio Parlamenti probatos omnibus, ut observarentur, proposuit. Confirmabat in primo transubstantiationem: in secundo, communionem sub unica specie: in tertio, Presbyterorum cælibatum, imposita etiam pœna mortis, adversùs illos qui legem hanc infringerent: in quarto, obligationem observandi vota: in quinto, usum celebrandi Missas privatas: in sexto denique, confessionem auricularem. Isti sunt famosi sex articuli, quos Henricus, non tantùm ut vindex ac protector definitionum Ecclesiæ, sicut persuadere conatur F. le Courayer, sed etiam ut supremus fidei arbiter, ac Caput Ecclesiæ, condidit ac promulgavit, quorum occasione inter Protestantes benè multi capite damnati fuere, quòd dictis articulis subscribere recusarent.

L. 7. Variationum Bossueti.

Henrico VIII. successit Eduardus VI. ejus filius, natus annos ferè duodecim cùm sceptro potitus est. Eo regnante summa facta est in Religione rerum immutatio & confusio, subversa penitus Catholica fides, extincti ac proscripti sex articuli mox appellati, obliteratum sacrificium, altaria eversa, depositi Catholici Præsules, in vincula conjecti, necati; novum Ordinationis Rituale conditum, quod vulgò Rituale Eduardi VI. appellatur, quodque statuto Parlamenti anno 1549. & 1552. jubente Rege, opera sex Præsulum & sex Theologorum dicitur adornatum. Illos verò, non ut judices consulebat Eduardus, cùm ipse supremus Judex fidei à Parlamento constitutus ac declaratus fuisset, sed tamquam in hisce rebus peritos; qua ratione solent Judices in arte qualibet expertes consulere, antequam sententiam pronuntient; atque hoc ipsum est Rituale, de quo potissimum controversia hic instituitur, an scilicet validam contineat Ordinationis presbyteralis & episcopalis formam: quam utramque integram refert F. le Courayer Dissertationis 2. parte inter Instrumenta pag. 28. & sequentibus.

Dissert. Part. 2. inter instrumenta p. 13.

Preces justific. p. 28.

Mortuo Eduardo VI. Regnum jure sanguinis adepta est Maria, qua regnante Religio Catholica respirare cœpit, & ad priorem formam revocari. E suis sedibus ejecti Præsules orthodoxi, restituti: hæretici contumaces expulsi ac severiùs puniti; quæ ab Eduardo statuta fuerant decreto Parlamenti anno 1553. rescissa; ac prior Liturgiæ & Ordinationis forma, quæ ultimo vitæ Henrici anno vigebat, in usum revocata. Denique, per Cardinalem Polum Anglia cum Apostolica Sede reconciliatur, ab omnibus censuris, quas incurrerat, absolvitur, id enixè per supplicem Libellum postulantibus omnibus Regni Ordinibus. At, proh dolor! quàm fluxa & caduca fuit pax illa & reconciliatio! Quàm tremenda judicia Dei, qui permisit Ecclesiam Anglicanam in novos tumultus ac calamitates sub Elisabetha Regina corruere!

Preces justificationes, p. 16. Partie 2. de la Dissert.

Tandem quartus reformationis Anglicanæ status sub Elisabetha Regina luctuosus maximè fuit. Quæ à Maria in melius ordinata & restituta fuerant, decreto Parlamenti anni 1559. rescissa sunt; Liber Ordinationum & precum Eduardi VI. restitutus, omnes Ordinationes sacræ, seu Episcoporum seu Presbyterorum, quæ ab anno 1559. factæ fuerant, senatus decreto anni 1566. ratæ ac validæ declaratæ fuerunt. Altero verò statuto anni 1597. expulsio seu depositio veterum Præsulum, ac novorum in eorum locum substitutio confirmata. Sic quasi alternantibus fluctibus navis Ecclesiæ apud Anglos agitata, modò in unam, modò in alteram partem dejecta, variam experta est fortunam.

Regnante Elisabetha illius jussu ac mandato Parcherus à Barlovio in Archiepiscopum Cantuariensem juxta formam Ritualis Eduardi VI. ordinatus fuit; ac ne quis fortè objiceret, vitium aliquod in eam Ordinationem obrepsisse, Regina pro sua in res Ecclesiæ spirituales auctoritate suprema, declaravit suis Litteris patentibus, si quis defectus fuisset, se illum auctoritate sua supplere. *Supplentes*, inquit, *suprema auctoritate nostra regia, ex mero motu ac certa scientia nostris, si quid aut in his quæ juxta mandatum nostrum prædictum per vos fient, aut in vobis, aut in vestrum aliquo, conditione, statu, facultate vestris ad præmissa perficienda desit aut deerit eorum, quæ per statuta hujus Regni, aut per Leges ecclesiasticas in hac parte requiruntur, aut necessaria sunt, temporis ratione, & rerum necessitate id postulante: In cujus rei &c.* Ad ista Elisabethæ verba non satis attendisse videtur F. le Courayer, cùm relato Parlamenti statuto anni 1566. quo ratæ ac validæ declarantur Ordinationes sacræ, tum Episcoporum, tum Presbyterorum &c. factæ ad formam Legibus Regni præscriptam, id est Ritualis Eduardi VI. addit, *ex hoc statuto* (ann. 1566.) *resultare, vim ac valorem illarum Ordinationum à Parlamento non conferri, sed supponi, agnosci, ac consequenter declarari.* Namque 1. in hoc ipso statuto expressè dicitur, *ritus consecrandi Archiepiscopos, Episcopos, & ordinandi Presbyteros ac Diaconos, qui publicè declaratus fuit regnante Eduardo VI. & additus Libro communium precum auctoritate Parlamenti, quod quinto & sexto regni Eduardi anno habitum est, firmum & integrum subsistere debere, & ab omnibus in toto Regno observari.* 2. Rituale Eduardi, de quo hìc mentio est, non alia, quàm suprema hujus Principis in res Ecclesiæ spirituales auctoritate conditum fuit, ac vim Legis obtinuit. Quòd si opera Episcoporum ac Theologorum in eo Rituali adornando usus est Eduardus, eos, ut jam diximus, non tamquam veros judices, sed tantùm ut meros consultores & expertes adhibuit. 3. Elisabetha verbis citatis expressè declarat, se pro sua suprema & regia potestate supplere ea, quæ *aut per statuta Regni, aut per Leges ecclesiasticas in hac parte requiruntur, ac desunt.* Ergo jus & auctoritatem sibi arrogat in ipsas Leges ecclesiasticas.

Dissert. parte 2. inter Instrumenta p. 57.

Dissert. parte 2. intar Instrumenta p. 23.

Ib. p. 31.

Observandum 2. quæstionem hìc non esse, an illicita sit, (quis enim dubitat?) sed an nulla & invalida haberi debeat Episcoporum Anglorum Ordinatio, propter internum aliquod ac essentiale vitium quod ipsi adhærescit. Vitium autem illud tenere se potest, aut ex parte materiæ, aut ex parte formæ, aut denique ex parte ministri; si nempe careat vel debita intentione faciendi quod facit Ecclesia, vel potestate sibi à legitimo ministro collata: nullus quippe major est defectus quàm potestatis.

Observandum 3. inter reordinationem seu iteratam Ordinationem, ac rehabilitationem, ut vocant, seu liberam functionum Ordinis exercendarum

rum

rum restitutam licentiam, istud discrimen esse, quòd iterata Ordinatio supponit priorem nullam & irritam fuisse. *Non monstratur iteratum*, ait S. Gregorius Magnus Epist. 32. L. 12. nunc 17. Libri 14. *quod non certis indiciis ostenditur esse peractum*. Rehabilitatio verò illud dumtaxat supplet, quod fuerat omissum, quamquam non essentiale; ac liberum restituit functionum Ordinis exercitium. F. le Courayer duo hæc confundit: atque Anglos, cùm ad nos redeunt, verè non ordinari, sed tantùm rehabilitari contendit. Tom. 2. p. 1279. D.

Verùm nulla est apud nos de nomine controversia: rehabilitationem, non reordinationem appellet, per nos licèt, modò fateatur, quod verum est, in illa rehabilitatione omnia, quæ ad substantiam Ordinationis pertinent, de novo debitè usurpari; quo uno non obscurè Ecclesia significat, nullam & invalidam sibi videri Ordinationem quam illi ritu Anglicano perceperant. His prænotatis, sit

CONCLUSIO.

Ordinatio Episcoporum Anglorum ad formam & legem Ritualis Eduardi VI. peracta, irrita est, nulla, & invalida.

Probatur 1. ex constanti usu ac praxi Ecclesiæ Romanæ, quæ ritu Eduardi ordinatos Episcopos vel Presbyteros Anglos, cùm ad sinum suum ac centrum Catholicæ unitatis redeunt, iterum jubet ordinari juxta formam in Rituali Romano præscriptam. Id ultrò agnoscit ac fatetur F. le Courayer parte 2. Dissert. cap. 13. pag. 47. *Quoties*, inquit, *aliquis minister Anglus ad Ecclesiam Catholicam redit, si dignus habitus est ut admitteretur in Clero, omnes Ordines, tamquam mero Laico illi collati sunt, & ita recenter actum est Romæ.* Quis porro facilè crediderit, sic egisse & etiamnum agere sapientissimam Ecclesiam, quæ cæterarum mater est ac magistra, nisi pro certo habuisset & haberet, nullam & invalidam esse formam Ordinationis quam omnium primus invexit Rex Eduardus VI. in novo suo Rituali? Neque refert quòd in nullo sive Canone, sive publico judicio istud ab Ecclesia definitum fuerit; quasi factum ipsum, usus ac constans Ecclesiæ praxis definitioni non æquivaleret: aut viro Catholico fas esset aliquando ab ea sententia recedere, in quam novit saltem inclinari Romanam Ecclesiam. Non id certè patitur, quæ ipsi debetur summa reverentia.

Probatur 2. quia illa Ordinatio pro nulla & invalida debet haberi, quæ confertur à ministro non habente veram & legitimam ordinandi potestatem: atquì Præsules Anglicani ad formam Ritualis Eduardi VI. ordinati, non habent veram ac legitimam ordinandi potestatem; ergo nulla est ac invalida Ordinatio ab illis data & recepta.

Minor probatur: quia vera & legitima ordinandi potestas à solo Christo esse potest, omnium Sacramentorum auctore ac institutore. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, inquit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Matth. 28. v. 18. & Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Atqui potestas quæ in Anglis Episcopis esse dicitur ad conferendam sacram Ordinationem, à Christo non est, sed à Rege, qui supremum Caput est Ecclesiæ, ac fons totius spiritualis potestatis, unde cæteri pro ejus arbitrio ac voluntate portionem

quamdam derivatam percipiunt; ergo nulla est ac prorsus invalida potestas ordinandi, quæ apud Anglos Episcopos esse dicitur.

Hanc consequutionem, posita minoris propositionis veritate, legitimam esse agnoscit vel ipse F. le Courayer Dissertationis parte 1. cap. 11. pag. 252. *Il faut convenir*, inquit, *que le changement s'etant fait par une puissance seculiere, qui ne peut point d'elle-meme donner aucune autoritè aux choses qu'elle prescrit en matiere spirituelle, tout ce qui se fait en consequence, doit entre censè nul: & toutes les Ordinations qui n'ont d'autre source & d'autre principe, sont des-ià meme nulles & absolument insuffisantes.* Latinè: Fatendum est, quòd cùm immutatio facta fuerit auctoritate sæculari, quæ rebus spiritualibus nullam ex sese vim impertiri potest, quidquid consequenter fit, pro nullo & irrito habendum esse; adeoque nullas omninò & invalidas esse Ordinationes, quæ non alio fundamento nituntur. Ita reipsa docet Conc. Trid. Sess. 23. c. 4. cujus hæc verba sunt, *Docet sacrosancta Synodus in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum & cæterorum Ordinum, nec populi nec cujusvis sæcularis potestatis, magistratus consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio: quin potius decernit, eos qui tantummodo à populo, aut sæculari potestate ac magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones per ostium non ingressos habendos esse.*

Tom. 14. Concil. p. 863. C.

Tota ergo hujusce nostræ quæstionis difficultas in probatione minoris propositionis versatur tam certa verò & clara illa est, vix ut sciam qua fronte negari illa possit. Namque 1. nonne Henricus VIII. primus schismatis Anglicani auctor, supremi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ prærogativam & auctoritatem sibi arrogavit & exercuit, cùm sex dictos Articulos ad fidem pertinentes sua propria auctoritate definivit, quos confirmavit & ratos habuit Parlamentum anno 31. regni hujus Principis? Nonne anno 1553. qui vigesimus sextus erat regni Henrici, Parlamentum eadem auctoritate spirituali declaravit Henricum esse & agnosci solum *supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ; eamque prærogativam ad omnes ejus posteros Reges extendendam esse, qua poterunt identidem lustrare, emendare, reformare, corrigere, reprimere omnes errores, hæreses, abusus, vitia, excessus, quicunque illi sint, qui per spiritualem jurisdictionem corrigi & emendari debent?* verba ipsa sunt Parlamenti. Atque inde factum est, ait Illustrissimus Bossuetius L. 7. Historiæ Variationum n. 45. pag. 394. To. 1. gallicè, que Henri VIII. donnoit pouvoir aux Eveques de visiter leur Diocese, avec cette preface, *que toute jurisdiction, tant ecclesiastique que seculiere, venoit de la puissance royale, comme de la source premiere de toute Magistrature dans chaque Royaume. Que ceux qui jusqu'alors avoient exercè* PRECAIREMENT *cette puissance la devoient reconnoitre comme venue de la liberalitè du Prince, &* LA QUITTER QUAND IL LUI PLAIROIT: *Que sur ce fondement il donne pouvoir à tel Eveque de visiter son Diocese,* COMME VICAIRE DU ROI, *& par son autoritè; de promouvoir aux Ordres sacres & meme à la Pretrise, ceux qu'il trouvera à propos; & en un mot, d'exercer toutes les fonctions Episcopales,* AVEC POUVOIR DE SUBDELEGUER, *s'il le jugeoit necessaire.*

Dissert. du F. le Courayer parte 2. inter Instrumenta art. 2. p. 3. Commission à donner. Recueil de Burnet premiere partie l. 2. n. 14. p. 184.

Latinè: Inde factum, ut Henricus VIII. Episcopis potestatem fecerit suam lustrandi Diœcesim hac præmissa præfatione seu monitione; omnem jurisdictionem, sive ecclesiasticam, sive sæcularem, emanare, tamquam à fonte & origine, à regia & alia quacunque Magistratus in quolibet

Re-

Regno auctoritate; atque eos omnes, qui hactenus precariò auctoritatem illam exercuerunt, agnoscere debere, illam ex mera Principis liberalitate profluere, ac pro ejus nutu & arbitrio deponendam esse. Quo fundamento subnixus Rex, quem voluerit Episcopum delegare potest, ut tamquam suus vicarius ac nomine suo suam lustret Diœcesim, Ordines sacros etiam Presbyteratum, auctoritate sua conferat; uno verbo, ut omnes Episcopales functiones exerceat, indulta etiam ipsi facultate alium quemlibet, si opus fuerit, ad ea omnia delegandi. Paulò antè, pag. 292. doctissimus Præsul ex Burneto ipso probat, istud doctrinæ portentum à Cranmero excogitatum & inductum fuisse.

II. Nonne Eduardus VI. eamdem supremi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ, cum omnibus suis appendicibus mox à Bossuetio enumeratis, prærogativam sibi assumpsit, ita consentiente ac statuente Parlamento? Nonne ipse Eduardus novum Ordinationis Rituale pro sua suprema auctoritate spirituali & ecclesiastica condidit, probante etiam Parlamento an. 1549. & 1552. ac jubente ut executioni demandetur? Quid porrò ad auctoritatem spiritualem propiùs spectat, quàm ritum Ordinationum sacrarum, earumque materiam & formam figere ac determinare, nominationem & electionem Episcoporum sibi uni arrogare? Quapropter Eduardus in Instrumento, seu Litteris patentibus, quibus & Cranmero & aliis Episcopis facultatem concessit ministerium suum, seu episcopales functiones iterum exercendi, declarat, omnem spiritualem potestatem à se ipso tamquam à fonte profluere: *Quandoquidem*, inquit (referente Strypo Scriptore Anglo) *omnis juris dicendi auctoritas atque etiam jurisdictio omnimoda, tam illa quæ ecclesiastica dicitur, quàm sæcularis, à regia potestate, velut à supremo capite, ac omnium Magistratuum infra Regnum nostrum fonte ac scaturigine, primitus emanaverit.* Dissert. 2. par. Pieces justificatives, p. 13.

Quin & in aliis Litteris, quibus ad Episcopatum Bathonensem nominat, istis verbis utitur: *Nominamus, facimus, ordinamus, creamus, & constituimus per præsentes.* Non potuit Eduardus verbis significantioribus supremam suam in electionem & consecrationem Episcoporum declarare potestatem. Ad hæc accedit formula juramenti quod Edicto Parlamenti debet emittere, quicumque à Rege in Episcopum eligitur. En tenor & formula juramenti. *Ego N. palam testor & ex conscientia mea declaro, quòd Majestas regia unicus est supremus Gubernator hujus Regni, tam in omnibus spiritualibus, sive ecclesiasticis rebus aut causis, quàm temporalibus; & quòd nullus extraneus Princeps, persona, Prælatus habere debet illam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam sive spirtualem intra hoc Regnum, & proinde renuntio &c.* Hoc juramento manifestè declaratur supremam in Ecclesia Anglicana potestatem in uno & solo Rege, tamquam in fonte residere, exclusis Conciliis generalibus, aliisque quibuscumque Episcopis; adeoque penes illum solum esse, statuere quæ ad fidem, disciplinam & ritum administrandi Sacramenta pertinent. Disser. parte 2. inter Instrumenta, p. 84.

Non quòd Rex per seipsum aut Episcopos consecret, aut Presbyterum agat, sed quòd Episcopis potestatem impertiatur suum exercendi ministerium. Rem totam egregiè aperit Doctissimus Bossuetius L. 10. Historiæ Variationum n. 14. *Il ne s'agit pas ici*, ait, *si les Anglois attribuoient à la Royautè l'administration de la parole & des Sacremens ∴ La question etoit donc de sçavoir si dans ces matieres la Majestè royale à une simple direction & execution* Bossuet. Lib. 10. Hist. Var.

n. 14. T. 2. p. 92. *cution exterieure, ou si elle influe au fond de la validitè des actes ecclesiastiques. Mais encore qu'en apparence on la reduise dans l'article 36. de la Confession de foi de la nouvelle Eglise Anglicane, à la simple execution, le contraire paroissoit trop dans la pratique. La permission de precher s'accordoit par Lettres Patentes & sous le grand sceau. La Reine* (Elisabeth) *faisoit les Eveques avec la meme autoritè que le Roi son pere* (Henri VIII.) *& le Roi son frere* (Eduard VI.) *& pour un tems limitè, si elle vouloit. La commission pour les consacrer emanoit de la puissance royale. Les excommunications etoient decernees par la meme autoritè. La Reine regloit par ses Edits, non-seulement le culte exterieur, mais encore la foi & le dogme, ou les faisoit regler par son Parlement, dont les Actes recevoient d'elle la validitè; & il n'y a rien de plus inovi dans l'Eglise chretienne, que ce qu'on y fit alors. Le Parlement prononca directement sur l'heresie: il regla les conditions sous lesquelles une doctrine passeroit pour heretique; & où les conditions ne se trouveroient pas dans cette doctrine* (loquitur manifestè Præsul doctissimus de statuto Parlamenti an. 1559.) *il defendit de la condamner, & s'en reserva la connoissance. Il ne s'agit pas le scavoir*, pergit Auctor, *si la regle que le Parlement prescrivit, est bonne ou mauvaise; mais si le Parlement etant un corps seculier, dont les Actes recoivent du Prince leur validitè, peut decider sur les matieres de foi, & s'en reserver la connoissance; c'est-à-dire, se l'attribuer & l'interdire aux Eveques, à qui J. C. l'a donnee. Ce que disoit le Parlement, qu'il agiroit de concert avec l'Assemblee du Clergè, n'etoit qu'une illusion; puisqu'enfin c'etoit toujours reserver la supreme autoritè au Parlement, & ecouter les Pasteurs plutot comme consulteurs dont on prenoit les lumieres, que comme Juges naturels, à qui seuls la decision appartenoit de droit divin. Je ne croipas qu'un cœur chrètien puisse ecouter sans gemir un tel attentat sur l'autoritè pastorale & sur les droits du sanctuaire.* Hæc Illustr. Bossuetius, quæ latinè reddimus in gratiam exterorum qui gallicè nesciunt. Non hìc agitur utrum Angli verbi & Sacramentorum administrationem regiæ Majestati deferant. Quis tam absurdi consilii eos unquam accusavit? Sed quæstio in eo est, an Princeps hujusmodi res ecclesiasticas dumtaxat dirigat & executioni exteriùs mandari curet, an verò sua ipsa auctoritate illas ratas & validas efficiat. Primum quidem exteriùs dumtaxat apparet: at usus & praxis adversatur. Namque licentia verbi Dei annuntiandi per Litteras patentes magno sigillo munitas concedebatur: Regina eadem prorsus auctoritate qua pater & frater ejus, Episcopos eligebat & promovebat, & quidem ad tempus, si placuisset: qui eos consecraturi erant, ab una regia delegabantur auctoritate. Censuræ & excommunicationes ab eadem auctoritate decernebantur: Regina Edictis suis non tantùm cultum exteriorem, sed etiam fidem ipsam & dogma statuebat ac determinabat; atque ut à Parlamento determinaretur, concessa ipsi auctoritate, imperabat. Nihil unquam in Ecclesia tam portentosum auditum fuerat. Parlamentum directè de rebus fidei pronuntiavit, fixis ac determinatis conditionibus, quibus dogma quoddam pro hæretico habendum foret, & damnandum quidem, si illæ adessent, absolvendum verò si non adessent, cujus quidem rei judicium sibi uni judex Laicus reservavit. Quæstio hìc non est, an regula quam sibi præscripsit Parlamentum, bona sit vel mala, sed utrum Laica societas, cujus omnis jurisdictio à Principe defluit, res fidei definire, earumque cognitionem ac judicium, quod solis Episcopis Christus concessit, trahere ad se possit. Illudebat procul dubio Parlamentum, quando pro-

protestabatur se ex consilio ac consensu Episcoporum agere velle : supremam etenim auctoritatem in spiritualia eo ipso tempore retinebat, quo Episcopos audiebat, nonquidem ut judices fidei, sed ut consultores dumtaxat, & in hisce rebus doctos & expertos. An verò possunt aures Christianæ tale portentum adversùs Pastorum & sanctuarii divinam & legitimam auctoritatem patienter audire ac ferre?

Ne quis verò dicat, isthæc omnia, invitis ac reluctantibus Episcopis, à Laicis per fas & nefas attentata & usurpata fuisse, audiat quid Synodus Londinensis anno 1562. articulo 36. declarat. *Libellus*, inquit, *de consecratione Archiepiscoporum, & Episcoporum, & de Ordinatione Presbyterorum editus nuper temporibus Eduardi VI. & auctoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad ejusmodi consecrationem & Ordinationem necessaria continet ∴ Itaque quicumque juxta ritus illius Libri consecrati aut ordinati sunt ab anno secundo prædicti Regis Eduardi, eisque ad hoc tempus, aut imposterum juxta eosdem ritus consecrabuntur aut ordinabuntur, ritè atque ordine, atque legitimè statuimus esse & fore consecratos & ordinatos.* En quomodo & Eduardus VI. ritum seu formam consecrationis Episcoporum, Presbyterorum &c. propria sua & suprema auctoritate condidit, & Episcopi Anglicani, qui ad hæresim defecerant, in Synodo Londinensi declaraverint ritum hunc legitimum, ac ratas & validas esse ac fore omnes Ordinationes, quæ juxta ritum illum perfectæ fuerunt, aut deinceps perficientur. Ergo non invitis nec reclamantibus Anglicanis Episcopis auctoritas in res Ecclesiæ spirituales à Laicis usurpata fuit.

Differt. du P. le Courayer premiere partie, p. 156.

At, inquies, ergo inde saltem sequitur, ritum consecrationis seu Ordinationis, non tantùm à laica, sed etiam simul ab ecclesiastica auctoritate Episcoporum, quos Eduardus consuluerat, synodicè approbatum & confirmatum fuisse. Fateor: sed quorum Episcoporum? eorum qui abjurata fide Catholica, odiosa & turpi adulatione primatum in Ecclesiam Anglicanam Eduardo & Elisabethæ asseruerant & confirmaverant. An porrò tales judices hìc audiendi? Neque, ut jam audivimus ab illustrissimo Bossuetio, Eduardus illos tamquam judices, sed ut meros consultores audivit, quandoquidem quidquid illi jurisdictionis habebant & auctoritatis, totum à Principe, tamquam à fonte & origine derivatum erat, & quidem *ad tempus*, si Principi visum fuisset. Grande igitur in illis Episcopis fidei desertoribus piaculum ac crimen fuit, Rituale Eduardi approbasse & confirmasse, quod cæteri omnes Orthodoxi Episcopi pro viribus, suarum dignitatum quibus spoliati fuere, ac etiam propriæ vitæ suæ dispendio rejecerant ac improbaverant.

Tandem supremam hanc Anglorum Regum in Ecclesiam & res fidei usurpatam auctoritatem invictè demonstrat tum famosum Reginæ Elisabeth statutum, *supplentes*, quod retulimus; tum politia & disciplina Ecclesiæ Anglicanæ Londini typis edita & promulgata an. 1617. regnante Jacobo I. pag. 303. ubi hæc leguntur. *De rebus licet fidei sunt dogmata, aut ritus ac cærimoniæ decori & ordini ecclesiastico servientes, potest deliberare regia Majestas, & eorum veritatem ac æquitatem ad verbi divini stateram expendere ∴ Et postea quàm regia Majestas de his rebus unà cum illarum consultissimis maturè deliberaverit, de eisdem potest condere publica edicta & leges adigentes populum, ad eas religiosè observandas & reverenter amplectendas.*

Verùm, inquiet aliquis cum Cranmero, reipsa quidem Apostoli à Deo potesta-

Bossuet L.7. Variat. n. 44. p. 394. To. 1. testatem habuere creandi Episcopos & Pastores, sed ista conditione ac lege, ut Pastores nonnisi de consensu & cum dependentia ab auctoritate regia, potestatem suam seu functiones ministerii sui exercere liberè possent. Quasi verò Pastores, non Christi sed Principum ministri forent ab illis delegati. Attamen Apostolus 1. Cor. 4. v. 1. ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Et 2. Cor. 5. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur*. Ergo non tantùm ipsa radicalis potestas ordinandi, sed & legitimum illius exercitium à Spiritu sancto est, qui *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Act. 20. v. 28.

Ad regendos autem Fideles non tantùm potestas Ordinis, sed & illius usus seu exercitium requiritur. Potest equidem Ecclesia legitimis de causis exercitium illud aliquando ligare ac suspendere: at Principum Christianorum officium est, hujus exercitii formam & legem non quidem præscribere, sed juvare ut executioni demandetur.

Probatur 3. Illa Ordinatio tamquam nulla & invalida rejicienda est, quæ peccat in forma essentialiter requisita: atqui Ordinatio sacra apud Anglos peccat in forma essentialiter requisita; ergo &c.

Solam Ordinationis Anglorum formam hìc impetimus, non materiam, manuum scilicet impositionem, quam sufficientem esse non illibenter illis in præsentiarum concedimus. Supponimus autem ex dictis antea, tamquam rem certam, formam Ordinationis sacræ in oratione reponi, de qua una mentio fit in Scripturis, ubi de Ordinatione Diaconorum Act. 6. v. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; & orantes imposuerunt eis manus*. Et cap. 13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur, *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*. Et 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Istud autem eo lubentiùs hìc asserimus, quòd consentientem habeamus F. le Courayer, qui cum Morino & P. Martenio agnoscit, verba ista, *Accipite Spiritum sanctum*, in quibus recentiores nonnulli Scholastici formam Ordinationis collocant, reipsa vim formæ non habere. Quia fatente ipso P. Martenio, *De antiquis ritibus* Lib. 1. cap. 8. art. 10. pag. 330. *toti antiquitati ignota fuerunt; adeo ut vix in ullo Pontificali annos quadringentos attingente reperiantur*.

Dissert. par. 1. p. 106. & 107.

Oratio porrò quæ in nonnullis Sacramentis formæ rationem habet, duobus modis spectari potest. 1. quantùm ad verba. 2. quantùm ad sensum Fatemur quidem, ad valorem orationis necesse non esse ut iisdem planè verbis ab omnibus Ecclesiis exprimatur: & revera Ordinationis forma seu oratio, non iisdem planè verbis enuntiatur apud Græcos & apud nos, & tamen utrobique rata & valida est Ordinatio. At contendimus eumdem quoad substantiam sensum esse debere, & revera esse in utraque Ecclesia, & quidem aptum & idoneum ad finem seu effectum Sacramenti designandum; quo sensu mutato, nulla & irrita est Ordinatio. Fatemur etiam, aut privatum ministri errorem in oratione seu forma alicujus Sacramenti usurpanda, aut variam illius circa materiam & formam Sacramenti privatam opinionem, valori seu veritati Sacramenti non obesse, modò essentialis formæ, seu orationis sensus cum legitima materia retineatur. *Annotare necesse est*, ait Morinus L. 8. de Pœnit. cap. 18. *quod nemo mihi videtur negaturus, certum esse de fide, Sacramentum administratum juxta ritum in Pontificali Romano præscriptum, esse legitimum, nihilque ex parte sui deesse ad effectum*

p. 568. n. 2. B.

ctum

ctum in suscipiente producendum. Verùm non est necessariò de fide, quod Doctores Catholici disputant, in hac parte, in his verbis Ritualis, forma vel materia continetur; nisi hoc expressè dictaverit Ecclesia ∴. Nihil enim variæ Scholasticorum opinationes de Ritualis verbis, an hìc vel illic sit Sacramenti forma, Sacramentorum virtuti, cùm omnia in Rituali præscripta ritè administrantur, officiunt. Hæc scitè Morinus.

Observat cum eodem Morino F. le Courayer Dissert. 1. p. pag. 127. ridiculum esse supponere, quòd in collectione orationum hæc potius quàm illa, Sacramenti effectum operetur, quando à Christo nulla determinata fuit: ex quo sequitur, satis esse ad formam Ordinationis, quæ in oratione reponitur, tamquam nullam & irritam reprobandam, quòd in tota illarum orationum serie, aliqua sit, quæ errorem contineat essentialiter contrarium formæ, fini & effectui Ordinationis. *Dissert. 1. parte p. 127.*

Minor igitur propositio argumenti nostri, nempè, Ordinationem Anglorum essentialiter vitiosam esse, ac peccare in forma seu oratione quam Ecclesia Catholica exigit.

Probatur. Quia ea forma seu oratio essentialiter vitiosa est ac invalida, cujus sensus essentialiter contrarius est ac diversus sensui quem Ecclesia intendit, & qui directè pugnat cum fine seu effectu Sacramenti Ordinationis: atqui talis est sensus orationum quæ in Ordinatione v. gr. Episcoporum præscribuntur in Rituali Eduardi. Probatur: quia oratio, seu series orationum, quæ manifestè errores continent & exprimunt, longè diversum essentialiter sensum habent à sensu orationum Ecclesiæ: atqui talis est series orationum quæ in Rituali Eduardi usurpantur in consecratione Episcoporum. Nonne error est ac manifesta hæresis, agnoscere 1. Regem Angliæ esse Caput Ecclesiæ, ac Judicem supremum controversiarum fidei, quas pro sua auctoritate definire potest, ac contrarios errores damnare? Porrò qui consecrandus est Episcopus, juramento affirmat se ita credere. 2. necessariam non esse Traditionem, de qua nullatenus à consecrante interrogatur, qui electus est Episcopus. 3. Scripturam sacram solam esse fidei nostræ regulam, 4. eam ex privato uniuscujusque judicio, absque præsidio Conciliorum, & Ecclesiæ universalis, interpretandam esse. 5. Romanum Pontificem non tantùm non habere primatum in tota Ecclesia, sed & tyrannum esse, à cujus tyrannide, excessibus, erroribus ac vitiis, ut liberetur, Deum rogat Ecclesia Anglicana in iis Litaniis, quas in suis sacris Ordinationibus recitari jubet, *A tyrannide Romanorum Pontificum*, ait Litania, *libera nos Domine*. Ista tam odiosa sunt, audaciæ ac temeritatis plena, ut ea callidè suppresserit F. le Courayer, ne Catholicorum odium ac invidiam in se concitaret. 6. Ordinationem è numero Sacramentorum expungere.

Cætera verò aut expressè continentur in interrogationibus Episcopi consecrantis ad Episcopum electum, aut ex iis inferri necessariò debent. Vide Ritualis verba, quæ vel ipse Frater le Courayer repræsentatat 2. parte Dissertationis à pag. 36. ad pag. 45.

I. Archiepiscopus consecrans *mandatum regium de consecratione Episcopi electi, produci & publicè recitari jubet*. Mandatum regium in locum Bullarum S. Pontificis hìc substituitur.

II. Juramentum exigitur ab electo Episcopo, *de suprema Regis potestate agnoscenda. Testor*, inquit, *& ex conscientia mea declaro quòd Majestas regia unicus est supremus Gubernator bujus Regni in omnibus spiritualibus, sive ecclesiasticis*

siasticis rebus aut causis; & quòd nullus extraneus Princeps, persona, Prælatus, status aut potentatus, habet aut habere debet ullam jurisdictionem, potestatem, præeminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam sive spiritualem infra hoc Regnum; & proinde renuntio penitus & rejicio omnes extraneas jurisdictiones, potestates, superioritates & auctoritates &c. Manifestum est hic rejici ac excludi Summi Pontificis, imò & Conciliorum seu Ecclesiæ auctoritatem, tamquam extraneam in consecratione Episcoporum.

III. Consecrans electum Episcopum interrogat: *An tibi persuasum habes te ad hanc administrationem verè vocatum esse, juxta voluntatem Domini nostri Jesu Christi, & constitutionem hujus Regni?* Quæ porrò est *constitutio*? Quæ Leges Regni Anglicani, auctoritate Parlamenti firmatæ? nisi ut rejecta Pontificis Romani auctoritate, & excussa quæ ipsi & Ecclesiæ Catholicæ debetur, obedientia, illæ omnes hæreses teneantur ac propugnentur, quæ in professione fidei recentioris Ecclesiæ Anglicanæ continentur. Id verò promittit qui mox consecrandus est Episcopus.

IV. Interrogatur à consecrante Præsul electus, *Numquid persuasum habeas sacras Scripturas sufficienter ad salutem requiri? Itaque statuis per easdem sacras Scripturas populum fidei tuæ commissum instruere, nihil præterea docendo vel adstruendo tamquam ad salutem necessarium, quod per easdem credas confirmari vel demonstrari non posse?* Respondet electus: *Ita mecum statui facere per Dei gratiam; nihil præterea docendo tamquam ad salutem necessarium.* Manifestè hic asseritur error qui necessitatem Traditionis rejicit.

V. Pergit consecrator electum interrogans. *Ergone in eisdem sacris Litteris studiosè te ipsum exercebis, Deum invocando, ut aperiat tibi verum & genuinum earum intellectum, quo poteris alios per easdem sana doctrina erudire, atque exhortari, nec non convincere ac refellere veritati contradicentes?* Promittit electus Episcopus, qui, ut apertum est, non remittitur ad Ecclesiæ interpretationem, ut verum Scripturæ sensum, qui in pluribus obscurus est & ab Hæreticis controversus, assequatur. Quò igitur remittitur? ad privatam suam sententiam privatumque Judicium. An non ille ipse est Calvinistarum & Lutheranorum error?

VI. Interrogatur Episcopus designatus, *num paratus sit, fidelem & diligentem operam impendere ad exterminandam & extirpandam quamcumque peregrinam, erroneam, verboque divino contrariam doctrinam, aliosque tam privatim quam publicè ad idem faciendum provocare atque excitare. Etiam,* respondet electus, *ad hoc præstandum paratus sum divino confisus auxilio.* Quænam autem est illa peregrina & erronea doctrina, ad quam extirpandam se paratum esse Episcopus designatus profitetur? Romana procul dubio, quæ legibus Regni Anglicani damnatur & proscribitur. Istud in fronte ipsa seu in titulo præfefert Liber doctrinæ & politiæ Ecclesiæ Anglicanæ Londini excusus anno 1617. *Doctrinæ & Politia Ecclesiæ Anglicanæ à beatissimæ memoriæ Principibus Eduardo VI. Regina Elisabetha stabilitæ, & religiosissimo & potentissimo Monarcha Jacobo magnæ Britanniæ Rege continuatæ, quibus ejusdem Ecclesiæ apologia præfigitur, pro sua discessione in utraque à gravissimis Romanæ Ecclesiæ corruptelis tyrannide, idololatria, erroribus &c.* Doctrina igitur Ecclesiæ Romanæ tamquam erronea, & vera idololatria ab Anglis traducitur: unde articulo 19. Professionis fidei ejusdem Ecclesiæ Anglicanæ dicitur: *Sicut Ecclesiæ Jerosolymitana, Alexandrina, Antiochena in errorem inciderunt; ita & Romana, non tantùm in disciplina, seu vivendi ratione, sed in fidei rebus aberravit.*

Post-

Postquam verò electus Episcopus ad hæc omnia interrogata satisfecit, consecrans suppliciter Spiritus sancti opem ac gratiam implorat, ut consecrandus in hac sua voluntate firmus ac constans persistat. *Deus omnipotens*, ait, *Pater noster cœlestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires ac facultatem ad hæc efficaciter præstanda, ut opus istud suum quod incæpit in te, absolvat, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo supremo die, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.* Alludit certissimè isthæc oratio ad interrogata & responsa mox relata, & Episcopus consecrans divinum auxilium cœlestemque gratiam pro electo Præsule implorat, ut nempè firmus ille sit in iis omnibus propugnandis de quibus interrogatus mox fuit, id est erroribus quos præscribit Rituale Eduardi VI. Quis porrò sibi facilè persuaserit validam esse orationem & idoneam conciliandis novo Episcopo divinæ gratiæ auxiliis, quæ ad tot errores, seu, ut loquitur S. Pius V. *ad impia mysteria* confirmanda profertur, atque directa fronte pugnat cum fine & effectu sacræ Ordinationis? Hortatur ac imperat Apostolus Timotheo, ut *depositum custodiat, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.... ut formam habeat sanorum verborum in fide & in dilectione Jesu Christi.... custodiat bonum depositum per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.* Et ad Titum cap. 1. v. 9. *Oportet*, ait, *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Quàm longè abest ab illa Apostoli doctrina professio fidei quæ apud Anglos ab electo Episcopo exigitur! An, quæso, bonum depositum custodiunt, sanamque verborum formam & fidelem sermonem retinent, qui in oratione seu forma sacræ Ordinationis postulant à Deo gratiam, qua novus Episcopus agnoscat & fateatur Angliæ Regem supremum esse Ecclesiæ suæ Caput ac Judicem, qui possit res fidei definire; Traditionem rejiciendam esse; Scripturam ex privato uniuscujusque sensu, non ex publico Ecclesiæ totius judicio esse interpretandam; Summum Pontificem tyrannum esse, ac excutiendum tyrannidis ipsius jugum? &c. An non impia prorsus est oratio, quæ Deum sollicitat, ut ad hæc monstra strenuè propugnanda opem & subsidium ferat? Nonne ita invitatur Deus ut in partem impietatis hujus veniat?

Article 3. des preuves justific. du F. le Courayer. p. 40.

Bulle de S. Pie V. contre Elisabeth anno 1570. 1. ad Timot. c. 6. 2. ad Timot. cap. 1. v. 13. & 14.

Verùm, inquies, non ea est Anglorum mens & intentio, ut ista velut impia & falsa tueantur, quæ tamquam vera & Catholica agnoscunt ac profitentur. Quasi extiterit aliquando vel unus hæreticus, qui doctrinam, quam ut falsam & hæreticam agnoscebat, defenderit? Nonne in Ecclesia Christi certa est ac firma regula secernendi veritatem ab errore? An post solemne Judicium Ecclesiæ, cuiquam, ut ab errore excusetur, patrocinari potest prætensa illius bona fides & intentio? An in re sacramentaria, quando aliqua pars essentialis deest, eam supplere potest opinio & intentio ministri? Putet aliquis v. g. se baptizare in aqua, qui tamen reipsa in vino baptizat: an propterea ratus & validus est Baptismus? non certè. Quæcumque igitur supponatur esse Anglorum in sacris Ordinationibus perficiendis opinio ac intentio, si forma seu oratio essentialiter corrupta fuerit, ut eam verè corruptam esse ostendimus, nulla est ac invalida Ordinatio, ac iteranda, si eo ritu consecrati, redire ad nos desiderant. Ita usu ac praxi Ecclesia Romana hactenus confirmavit.

Probatur 4. Forma Ordinationis quam præscribit Rituale Eduardi VI. cùm

cùm primùm ad Parlamentum missa fuit, ut approbaretur, ab omnibus Catholicis Episcopis qui sub Henrico VIII. juxta formam Ritualis Romani ordinati fuerant; ac subinde depositi, improbata fuit ac rejecta; ab iis dumtaxat novis Episcopis admissa, qui in locum priorum suffecti fuerant.

Rem non dissimulat F. le Courayer. *Que les Ordinations*, inquit Differt. 1. parte pag. 142. *faites selon le Rituel d'Edouard, ayent ete regardees comme nulles par la plupart des Catholiques; c'est un fait qu'on ne conteste point*. Et parte 2. pag. 48. *Je ne contesterai pas ici à M. l'Abbè Renaudot, la veritè des faits. Il est certain que du tems de Marie, les Eveques qu'elle fit condamner à mort pour cause d'heresie, ne furent point degrades des Ordres qu'ils avoient recus selon le Formulaire d'Edouard; c'est un fait constant & public. Il est encore constant que sous Elisabeth, les Catholiques Anglois refuserent de reconnoitre Parker pour Eveque, aussi-bien que ceux qu'il avoit consacres. Sanderus, Stapleton, Harding, & tous ceux qui ont ecrit contre les Anglois, en fournissent des preuves autentiques; & c'est en consequence de leur conduite & de leurs decisions, qu'à Rome on suit aujourd'hui cet usage*. Ibid. pag. 61. *Je scai que Stapleton, Harding & d'autres Ecrivains Catholiques contemporains de Parker, ont soutenu en face aux nouveaux Eveques, que leur consecration etoit chimerique, & qu'ils ne pouvoient faire valoir leur Ordination, l'ayant tenue d'un homme dont l'Ordination etoit egalement insoutenable*. Rursur Densensionis To.2. p. 1. pag. 350. sic ait. *J'ai reconnu dans ma Dissertation, que veritablement plusieurs Theologiens Catholiques de ces premiers tems etoient contraires à la validitè de ces Ordinations: qu'on ne degrada Hopper que du Sacerdoce, & qu'à Rome l'usage de la reordination s'est introduit dans la suite, & a continuè jusqu'à present d'etre en usage* .·.·. Hæc candidè fatetur F. le Courayer.

Differt. 2. parte inter Instrum. p. 16. Deinde certum est anno primo regnantis Mariæ, in Parlamento an. 1553. rescissa fuisse quæcumque ab Eduardo VI. statuta fuerant, atque antiquum sacrarum Ordinationum usum Romanum restitutum fuisse. Certum est etiam anno secundo ejusdem Mariæ revocata pariter & abrogata fuisse, quæcumque adversùs Sedem Apostolicam ab anno vigesimo Henrici VIII. facta & attentata fuerant. Toto igitur regni Mariæ decursu invalidæ prorsus habitæ sunt Ordinationes factæ secundùm formam Ritualis Eduardi. Quin & Catholici regnante Eduardo totis viribus obstitere, ne Rituale ab ipso conditum à Parlamento probaretur ac confirmaretur. Regnante pariter Elisabetha quotquot erant Catholici formam Ordinationis Eduardi rejecerunt. Ergo judicio tum illorum Catholicorum sub Eduardo & Elisabetha, tum Parlamenti & totius Gentis Anglorum sub Maria Regina, Ordinationes factæ secundùm formam Ritualis Eduardi nullæ, irritæ ac prorsus invalidæ declaratæ fuerunt. An non eorum judicio stare debuisset F. le Courayer? Quis æquo animo ferat, apud virum Sacerdotem & Religiosum plùs momenti ac ponderis habere suffragia Hæreticorum, quàm Catholicorum? Isti, etiam apud Anglos, communi suffragio nullas & irritas habent Ordinationes, quæ ritu Eduardi perfectæ sunt; illi verò approbant: istos sequitur F. le Courayer, alios verò refellit; at quo tandem momento? isto. *Si ces temoignages* (Catholicorum) inquit ille defensionis suæ Tom. 1. *Defense t. 1. p. 1. p. 290.* parte 1. pag. 290. *etoient soutenus comme ceux de leurs adversaires, par des Actes originaux, par une suite des Registres tous plus autentiques les uns que les autres, par un concert general de titres & d'Historiens: si du moins ils n'etoient pas presque toujours en opposition avec eux; si ce qu'ils rapportent n'etoit pas* con-

contraire, je ne dis pas aux regles de la veritè, mais du moins à celles de la vraisemblance ; s'ils s'appuyoient sur autre chose que sur des oui dire en l'air, dont on ne connoit ni la source, ni l'origine ; s'ils se soutenoient meme par leur uniformitè, & n'etoient point en contradiction les uns avec les autres ; j'aurois tort alors de leur preferer des Ecrivains, dont l'autoritè ne pourroit prevaloir sur leur temoignage : mais dans une si grande inegalitè de preuves, doit-on me faire un crime de preferer des temoignages &c. Quorsum porrò ista ? Quàm vana! quàm inutilia! quasi juris seu dogmatis quæstio, de qua una hic loquimur, momentis hujuscemodi definiri posset. Valeant, per nos licet, ad discutiendam facti controversiam, seu historiam Ordinationis Parkeri in taberna : vera illa sit aut falsa, parum nobis curæ est ; hoc unum nobis hic sufficit, quòd juxta ritum Eduardi Parkerus sub Elisabetha fuerit ordinatus : hoc quippè uno caduca est ac nulla ejus Ordinatio. Neque verò aliis quàm ex jure seu doctrina Ecclesiæ depromptis momentis Sanderus, Stapletonius, Hardingus, cæterique Scriptores Angli Catholici ostendunt, nullas & invalidas esse Anglorum Episcoporum Ordinationes ; nempè quia nova & insolita est Ordinationis forma quam induxit Eduardus, Traditioni Apostolicæ contraria, multos involvens errores, ab omnibus Catholicis Episcopis rejecta. Quapropter Hardingus, quem citat F. le Courayer Defensionis Tom. I. parte I. pag. 339. declarat nullam esse suam in Diaconum Ordinationem : quantò magis de Ordinatione episcopali id asseruisset ? *Sentiebam*, inquit ille, *me non modò Sacerdotem non esse, sed neque legitimum Diaconum, per eam Ordinationem, quæ tempore Eduardi Regis conferri solebat*. Rationem reddit posteà, nempè quia forma Ritualis Eduardi nova est & ad hæc usque tempora inaudita : *quod clarè demonstrat*, inquit, *vos talem consecrationem, quæ in usu semper fuit, non quæsivisse, sed aliam novam, quam antiqui Episcopi despiciebant*. Addit novos sub Elisabetha Episcopos verè Apostolorum successores esse non posse ; *quippè qui*, ait, *omnium Episcoporum in orbe Christiano successionem abjicientes, novam congregationem suæ plantationis erexerunt, cujus forma ex proprio tantùm cerebro conficta, numquam antea in toto orbe vel visa fuit, vel in usu extiterit*. *Defense T. I. p. I. Pag. 339.* *Ibid. Pag. 342.*

Stapletonius verò confutans Hornum, ejusque collegas, ipsis exprobrat, quòd non tantùm contra leges Ecclesiæ, sed etiam Regni ordinati fuissent, eo quòd Rituale Eduardi, ad cujus normam illi ordinati fuerant, à Maria Regina rejectum ac rescissum fuisset, nec nondum apertè ab Elisabetha restitutum, cùm Parkerus cum suis ordinatus est. *Quis nescit*, inquit, *te tuosque collegas, non dico aliter quàm requirunt Canones, sed nec secundùm præscriptum statutorum vestrorum, ordinatos esse?* Cùm verò illi reponere possent, reipsa se contra statutum Reginæ Mariæ, quæ Rituale Eduardi abrogaverat, ordinatos fuisse ; at statutum illud Mariæ vicissim revocatum ac rescissum fuisse ab Elisabetha anno 1566. Ergo, concludebat Stapletonius, Ordinationes apud vos factæ ante annum 1566. nullæ erant ac vitiosæ, utpotè quæ & Canonibus Ecclesiæ, & legibus Regni contrariæ forent. *Si verò forsan dixerint, hunc defectum jam sublatum esse : meminerint tamen se tantùm Parlamenti, & non Ecclesiæ esse Episcopos, & per consequens non Catholicos, novo utique & inaudito more & ritu ordinatos*. *Ibid. pag. 327.* *Ibid. pag. 328.*

Ait deinde Stapletonius, Episcopos Protestantes Pseudoepiscopos esse : Cùm, inquit, *Pseudoepiscopos Protestantes omni legitima auctoritate carere probavero, quidquid faciunt irritum esse ac nullum liquidò constabit. Dico igitur* *Ibid. pag. 334.*

hos intrusos; si juxta S. Scripturam & primitivæ Ecclesiæ praxim judicemus, Episcopos non esse.

Ex his manifestum est Hardingum, Stapletonium, Sanderum, aliosque Catholicos Scriptores Anglos de sola dogmatis seu juris quæstione disputasse, non verò de quæstione facti seu historia Ordinationis Parkeri in hospitio seu taberna, de qua prorsus siluerunt, sive illam contempserint, tamquam nullius ad eam, quam versabant controversiam, momenti; sive pro falsa & commentitia illam habuerint. Id ultro agnoscit F. le Courayer. *On est toujours à concevoir*, inquit, *comment il se peut faire, que pendant plus de quarante ans que des Ecrivains connus attaquent ces Ordinations* (Barlovii & Parkeri) *aucun d'eux, quoiqu'il dut etre instruit, ne leur reproche ce qui sans aucun autre moyen pouvoit les aneantir sans ressource.* Missa igitur illa quæstione facti, de qua nonnulli ex nostris doctè & abundè disputarunt cum F. le Courayer, in una hæremus juris seu dogmatis controversia.

Ibid. pag. 323.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Oratio, seu forma Ordinationis in Rituali Eduardi præscripta, quam paulò ante retulimus, nihil planè continet à fide alienum, nullum errorem aut vitium: eò quippè tendit unicè, ut cœlestem gratiam pro electo Episcopo invocet ad functiones episcopales dignè & ut oportet ab illo exercendas; & quamquam vel consecrans, vel Ecclesia Anglicana errorem aliquem in ea oratione proferenda stabilire intenderet, non minùs tamen firma & valida illa foret, quamdiu sensus ejus essentialiter verus ac integer perseverat. *Additio verborum*, ait Nat. Alexander Theolog. dogm. & moralis Lib. 2. cap. 3. reg. 6. *quæ debitum formæ sacramentalis sensum corrumpunt, tollit veritatem Sacramenti .... Si verò ejusmodi additio fiat, quæ non auferat debitum sensum, non tollitur Sacramenti veritas. Quamvis porrò addatur aliquid contra fidei veritatem, si tamen formam non afficiat, nec in eam refundatur, aut ejus sensum variet, non tollit veritatem Sacramenti .... Quòd autem preces hæresim continentes non reddant irritum Sacramentum, cùm formæ sacramentali adjunguntur, nec eam tamen afficiunt & corrumpunt, docet S. Augustinus Lib. 6. de Baptismo cap. 25.*

Resp. dist. ant. Oratio Ordinationis in Rituali Eduardi in se ipsa præcisè & absolutè considerata, concedo: relativè ad ea quæ præcedunt, interrogata & responsa, nego. Ad quid enim invocatur Spiritus sanctus supra novum Episcopum, nisi ut constanter retineat ac doceat ea de quibus fuit interrogatus? Ea porrò falsa sunt, erronea, hæretica, quæ sensum ipsum formæ seu orationis intimè afficiunt ac corrumpunt: quasi rata & valida esse posset oratio, quin magis impia, quæ postulat à Deo vires & firmam voluntatem ad errores propugnandos & docendos. Per orationem autem non eam tantum hìc intelligimus, quæ incipit ab his verbis, *Omnipotens Deus, largitor &c.* sed, ut antea monuimus, seriem omnium orationum quæ in Ordinatione recitantur, ac moraliter inter se conjunctæ sunt, non omissis ipsis Litaniis, quas immediatè claudit ac sequitur mox dicta oratio, *Omnipotens Deus.*

Differt. 2. parte inter Instrum. pag. 38.

Instabis. Necesse non est ad valorem Sacramenti, ut in ipsius forma exspiratur finis seu effectus Sacramenti. Ita docent vulgò Theologi; & reipsa forma Baptismatis, *Ego te baptizo &c.* solam exprimit actionem externam bapti-

baptizantis, non finem & effectum Baptismi: non ergo necesse est ad valorem formæ Ordinationis apud Anglos, ut distinctè finem vel effectum illius exprimat; sed satis est, quòd generatim gratiam pro electo Episcopo ad functiones Episcopales dignè obeundas à Deo efflagitet.

Resp. Equidem necesse non esse ut in formis Sacramentorum distinctè illorum finis & effectus exprimatur; at omninò necesse est ut illæ, aut nihil in se contineant, aut saltem necessariò non sint connexæ cum iis quæ directè pugnant cum fide, fine ac effectu Sacramentorum: porrò, ex dictis, Ordinationis forma, seu oratio quæ formæ rationem habet in Rituali Eduardi, licèt in se absolutè spectata nihil mali contineat, attamen quatenus necessariò connexa est cum interrogatis & responsis quæ præcedunt, errores & hæreses confirmat, ac directè adversatur cum fine & effectu Ordinationis.

Instabis 2. ad declinandum illud nostrum argumentum: Nonne forma Ordinationis cum multis nostris Scholæ Theologis in istis verbis reponi potest? *Accipe Spiritum sanctum &c.*

Resp. 1. Neque Anglos, neque eorum Apologistam le Courayer formam Ordinationis in istis verbis, *Accipe Spiritum sanctum &c.* collocare: quapropter nostrum adversùs eos argumentum vim omnem suam retinet.

II. Non magis illi proficerent, si formam Ordinationis in citatis verbis vellent reponere: namque recurret tunc vis tota nostri secundi argumenti, quod ducitur ex defectu legitimæ ac validæ potestatis in ordinante, quam nimirum ab uno Principe trahit, tamquam à supremo Ecclesiæ Anglicanæ in rebus spiritualibus Capite, ac Judice controversiarum fidei.

Objicies 2. Nonne meritò suspicari possumus Anglos, qui ad nos ejurata hæresi redeunt, non idcircò ab Ecclesia Romana reordinari, quòd nullam & invalidam judicet Ordinationem illorum, sed quòd valdè dubium ac incertum sit, num Parkerus, qui caput & origo est illorum omnium Episcoporum, qui sub Elisabetha ordinati fuerunt, verè consecratus & ordinatus fuerit in Episcopum.

Resp. Esto dubium ac incertum sit num Parkerus verè ordinatus fuerit Episcopus: at illud pro certo statuimus, nullam & invalidam fuisse illius Ordinationem, si ritu Eduardi facta fuerit; si autem ordinatus ille fuit, non alio profectò quàm Eduardi ritu, qui solus regnante Elisabetha erat in usu apud Anglos: quapropter propositum dubium difficultatem fugit, non solvit.

Objicies 3. Inest unicuique Nationali Ecclesiæ jus quasi innatum, ritus suos ac disciplinam circa res ad Religionem & Sacramentorum administrationem pertinentes ordinandi: quæ summa est apud Græcam & Latinam Ecclesiam rituum & cærimoniarum varietas, etiam in materia & forma Sacramentorum, id apertissimè demonstrat. Hoc ipso communi jure usa Ecclesia Anglicana Rituale Eduardi VI. probavit & in suum adoptavit. *F. le Courayer Dissert. I. parte cap. 10. pag. 201. & seq.*

Resp. Ad omnem removendam æquivocationem nonnulla hìc distinguenda esse.

I. Quantùm ad disciplinam, alia est particularis, unicuique Ecclesiæ propria & quasi domestica, alia verò generalis, quam universa observat Romana Ecclesia, quæ cæterarum mater est ac magistra, centrum Ecclesiasticæ unitatis, à qua recedere nemini fas esse potest. Prius disciplinæ genus liberum est, ac unicuique Ecclesiæ permittitur: alterum verò ab omnibus Ecclesiis religiosè ac sedulò debet observari, nec sine schismate violari potest. Hujus distinctionis occasione exponendum est, quod vulgò circumfertur, nec

ſatis intelligitur, ſcilicet Concilium Tridentinum apud nos receptum quidem eſſe ac vim obtinere quantùm ad dogmata fidei, non verò quantùm ad diſciplinam. Æquivocatio eſt in nomine diſciplinæ. Vim quidem apud nos non habent certa quædam diſciplinæ particularis capita, quæ ſpectant v. g. formam judiciorum, ſeu juriſdictionis eccleſiaſticæ uſum & exercitium &c. & res quaſdam temporales quæ Regiæ auctoritati ac Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ adverſantur: hæc capita ſummatim collegit Laurentius Bochel in Libro cui titulus, *Decreta Eccleſiæ Gallicanæ* Lib. 5. pag. 916. 917. & 918. At verò diſciplina generalis quæ ubique per orbem obſervatur circa Sacramentorum adminiſtrationem, ritus, publicas & ſolemnes cærimonias &c. vim apud nos habet & omnes obligat, nec impunè ferret etiam Nationalis Eccleſia, quæ, Romana obſiſtente, ac contradicente, generalem diſciplinam invertere tentaret, v. g. uſum calicis populo reſtituere, Matrimonium majoribus Clericis permittere, aut conſecrare in fermentato pane &c. Porrò, ut mox dicemus, Eccleſia Anglicana generalem & ubique receptum in ſacris Ordinationibus perficiendis ritum immutavit, quando rejecto Rituali Romano, novum & inauditum Eduardi VI. Rituale induxit & adoptavit.

II. Inter ſolemnes cærimonias & ritus adminiſtrandi Sacramenta, alii ſunt eſſentiales qui ad eorum ſubſtantiam pertinent, ut materia & forma; alii non eſſentiales quidem, ſed ex uſu ac præcepto neceſſarii; alii denique nec eſſentiales, nec ex uſu ſeu præcepto Eccleſiæ totius neceſſarii, ſed omninò accidentales & libertati cujuſque Eccleſiæ permiſſi.

Ritus eſſentiales, id eſt ad ſubſtantiam ipſam Sacramentorum, materiam ſcilicet & formam pertinentes, Eccleſia mutare non poteſt, ſive à Chriſto immediatè ac in ſpecie determinatæ ſint, ut in Baptiſmo & Pœnitentia, ſive generatim tantùm, relicta Eccleſiæ libertate ipſas ſpeciatim determinandi, ut in aliis Sacramentis. Hæc eſt Concilii Tridentini doctrina Seſſ. 21. cap. 2: *Declarat ſancta Synodus hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Audis poſſe Eccleſiam in Sacramentorum diſpenſatione aliquid immutare, *ſalva* tamen remanente illorum *ſubſtantia:* quibus verbis apertè ſignificat, ſe nihil poſſe in ſubſtantiam Sacramentorum.

Tom. 14. Conc. pag. 846.

Et Seſſ. 7. Can. 12. diſtinguit inter id quod eſſentiale vel accidentale eſt in Sacramentis, ac declarat integrum eſſe ac validum Sacramentum, cùm adſunt omnia ipſi eſſentialia. *Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut non conferre Sacramentum; anathema ſit.*

Ibid. pag. 777.

Denique Can. 13. ejuſdem Seſſ. ſic decernit: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiæ paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.* His præſuppoſitis,

Reſp. Ad argumentum diſt. ant. ineſt unicuique Eccleſiæ Nationali jus ordinandi ritus aliquos accidentales & liberos in adminiſtratione Sacramentorum, concedo; ritus eſſentiales qui ad ſubſtantiam Sacramen-

torum

torum pertinent, vel qui ex usu ac præcepto Ecclesiæ Romanæ ubique observantur, nego.

Itaque Ecclesia Anglicana in iis maximè culpanda est.

Primò, quòd errore ac schismate ab Ecclesia Romana se separaverit.

Secundò, quòd auctoritate merè laica & temporali novum Eduardi Rituale conditum fuerit ac vim obtinuerit; hoc uno dumtaxat Episcopis reservato, ut Eduardus illos tamquam meros consultores non ut judices habuerit.

Tertiò, quòd agnoscat Principem supremum esse Caput Ecclesiæ, à quo tamquam à fonte defluit, quidquid est auctoritatis in Episcopis; imò supplere possit si quid essentiale in ritu Ordinationis defuerit.

Quartò, quòd solemnem ac ubique à tot sæculis receptum usum Ritualis Romani rejecerit, novumque ac insolitum, multisque erroribus refertum induxerit, quod quidem sine aperto schismatis crimine fieri non potuit.

Quintò, quòd sacræ Ordinationis Episcopalis, formam quoad substantiam & sensum adulteraverit, per orationem scilicet qua Spiritus sanctus invocatur in præsidium & confirmationem errorum, qui directè adversantur effectui & fini Ordinationis; per Litaniam, quæ brevis oratio est, qua postulat *à tyrannide Pontificis Romani liberari*. Fatetur ipsemet le Courayer in variis orationum formulis quibus variæ utuntur Ecclesiæ, integram semper debere servari substantiam seu sensum orationum, quæ referuntur ad finem & effectum Sacramentorum: an porrò oratio, quam Rituale Eduardi præscribit in Ordinatione Episcopali, substantialem illum sensum, quem exprimit Rituale Romanum, retinet ac conservat? Quàm dispar & diversus uterque est? Tantum unus distat ab altero, quantùm veritas ab errore, pietas à religione. *Dissert. 1. p. c. 10. p. 204.*

Objicies 4. Pius IV. S. Pontifex datis ad Reginam Elisabetham Litteris, fidem obligavit, se rescissurum sententiam, quæ adversùs matrem ejus Annam de Boulen lata fuerat; approbaturum Anglicanam Liturgiam, & Librum communium precum qui rituali Eduardi adjunctus fuerat; concessurum Laicis communionem sub utraque specie, dummodo Regina vellet ad unitatem & obedientiam Ecclesiæ Romanæ redire, agnoscere Primatum R. Pontificis, ejusque auctoritate dictam Liturgiam confirmatam fuisse. Quis porrò credat à Pio IV. probari umquam potuisse Liturgiam ac Rituale Anglicanum, si iis scateret erroribus, quos antea notavimus? *Le Courayer Defense T. 2. p. 2. p. 121. & seq.*

Resp. 1. Factum illud Pii IV. valdè dubium ac incertum esse, in rumore dumtaxat aliquorum innixum, quod Durellus Scriptor Anglus fabulosum appellat, & Fullerius L. 9. Hist. Eccl. pag. 69. refellit. Famosus Camden illud fama circumferri, non autem verum ac certum esse affirmat. *Fama obtinet*, inquit, *Pontificem fidem dedisse sententiam contra matris nuptias tamquam injustam rescissurum, Liturgiam Anglicanam sua auctoritate confirmaturum, & usum Sacramenti sub utraque specie Anglis permissurum, dummodò illa Romanæ Ecclesiæ se aggregaret, Romanæque Cathedræ primatum agnosceret*. Sunt inter Anglos, quos appellat F. le Courayer, qui factum illud tamquam verum agnoscunt. Nobis contrarium ista suadent. 1. quia per annos quadraginta latitarunt dictæ Pii IV. Litteræ, à nemine prolatæ. *Cur numquam ostensæ?* ait Apologista Garnet adversùs Cokum, *numquam prolatæ? nulla umquam earum mentio facta est in adversariorum nostrorum Libris? Unde eæ tandem 40. & eo amplius annis Elisabetha ipsa demortua extiterunt?* 2. non consentiunt de Pontifice Romano Litterarum illarum auctore, alii, ut Cokus, *An. Elisab. p. 59.*

S. Pium V. alii Paulum IV. alii verò Pium IV. appellant. 3. si veræ fuissent Litteræ Pii IV. haud dubiè Angli eas protulissent, quando S. Pius V. sententiam excommunicationis in Elisabetham pronuntiavit; nempè ut ostenderent, S. Pium V. suo prædecessori non consentire. 4. verisimile non videtur, rei Catholicæ tam ignarum & imperitum fuisse Pium IV. ut non animadverterit, in Liturgia Anglicana penitus convelli Catholicum sacrificii dogma, nec futurum umquam, ut Ecclesia Romana hujusmodi Liturgiam approbet. Non enim hìc agitur tantùm, ut falsò supponit le Courayer, de immutatione aliquarum orationum in alias, in quibus nullus error continetur, & quæ institutioni Christi, ut ipsi videtur, nec obstant, nec impedire possunt quin *æqualiter offeratur memoria passionis & mortis Christi sub præscriptis symbolis; in quo*, inquit, ille, *præcisè consistit sacrificium Ecclesiæ christianæ*. (In suo errore circa substantiam sacrificii hic Auctor semper perseverat;) sed agitur de capitali errore circa naturam sacrificii, quod Angli, eorumque apologista le Courayer, in una & mera mortis Christi repræsentatione ac commemoratione collocant, sicut ostendimus in Prælectionibus de sacrificio.

Defense T. 1. part. 2. pag. 148

Resp. 2. quòd etsi veræ supponerentur illæ Pii IV. ad Elisabetham Litteræ, colligi non idcircò posset, approbandam ab illo in omnibus Anglicanam Liturgiam, nulla facta immutatione: imò certum est mentem Pontificis fuisse ut nonnulla immutaret, sicut non obscurè colligitur ex iis quæ refert le Courayer loco mox citato pag. 132. & 134. immutasset autem procul dubio quæcumque dogmati catholico Ecclesiæ Romanæ adversantur: igitur ex iis Litteris, tametsi veræ supponerentur, probari non potest Pium IV. calculo suo Liturgiam Anglicanam in omnibus probasse ac confirmasse.

Objicies 5. Julii III. S. P. Breve ad Cardinalem Polum apud Anglos Legatum à latere, in quo potestatem ipsi facit absolvendi ab omni censura & excommunicatione, quotquot ex Anglis, cujuscumque conditionis fuerint, ad Ecclesiam Catholicam ejurata sincerè hæresi redire voluerint, imò & *rehabilitare* ex Clericis, eos qui Ordines aut numquam, aut malè susceperunt: *Etiam*, inquit, *circa Ordines quos numquam, aut malè susceperunt, & munus consecrationis quod iis ab aliis Episcopis vel Archiepiscopis etiam hæreticis & schismaticis, aut aliàs minùs ritè & non servata forma Ecclesiæ consueta impensum fuit, etiamsi Ordines & munus hujusmodi etiam circa altaris ministerium temerè executi sint, per te ipsum vel alios, ad id à te pro tempore deputatos, iis liberè uti possint*.

Le Courayer Disser. p. 2. cap. 53 p. 52. & preuves just. p. 51.

Idem statuit sine ullo planè discrimine de Archiepiscopis & Episcopis, sive qui tempore Henrici VIII. sive qui sub Eduardo ritu ab ipso præscripto fuerant ordinati, quique regnante Maria suis dignitatibus, earumque proventibus pacificè fruebantur; nempè ut illos omnes æqualiter rehabilitaret. *Nec non*, inquit, *de personis quorumcumque Episcoporum vel Archiepiscoporum, qui Metropolitanam aut alias Cathedrales Ecclesias de manu Laicorum etiam Schismaticorum, & præsertim qui de Henrici Regis & Eduardi ejus nati receperunt, & earum regimini & administrationi se ingesserunt, & earum fructus, reditus & proventus, etiam longissimo tempore, tamquam veri Archiepiscopi aut Episcopi temerè & de facto usurpanda, etiamsi in hæresim, ut præfertur, inciderint, seu antea hæretici fuerint, postquam per te unitati sanctæ matris Ecclesiæ restituti extiterint, tuque eos rehabilitandos esse censueris, si tibi alias digni & idonei videbuntur, eisdem Metropolitanis & aliis Cathedralibus Ecclesiis, denuò . . . . præesse permittas*. Non distinguit S. Pontifex inter Episcopos ordinatos sub Henrico VIII. & sub Eduardo VI. sed omnes promiscuè rehabilitandos esse

Ibidem.

esse mandat; ergo irritam & invalidam non judicabat Ordinationis formam, quæ in Rituali Eduardi præscribitur. Integrum Julii III. Breve refert le Courayer inter Instrumenta Dissert. part. 2. p. 46.

Resp. ad primum, numquam in mentem Julii venisse ut qui ordinati nullatenus fuissent, possent sine vera Ordinatione sacras obire functiones; sed hoc unum concedit S. P. ut hujusmodi homines, ejurata hæresi ac pœnitentes ad Ordines sacros, si digni fuerint, promoveri possent.

Ad secundum: Reipsa S. P. loquitur de Episcopis qui tum sub Henrico, tum sub Eduardo fuerant ordinati: at non eadem erat illorum conditio. Priores, qui ritu Romano fuerant validè ordinati, censet *munere consecrationis hactenus impenso uti*; hoc est, ipsis restitui debere liberum functionum suorum Ordinum exercitium: de aliis verò, qui ad formam Ritualis Eduardi Ordinationem susceperant, ait, *si illud eis nondum impensum extiterit, ab Episcopis vel Archiepiscopis Catholicis pro tempore nominandis suscipere liberè ac licitè possint*. Si Julius persuasum habuisset omnes Episcopos, qui tunc temporis Sedes Episcopales in Anglia occupabant, verè ac validè consecratos fuisse, ut quid distinxisset inter Episcopos consecratos, & non consecratos?

Deinde non ignorabant proculdubio Julius ejusque Legatus à latere Cardinalis Polus, quæcumque contra honorem Apostolicæ Sedis injuriosa & falsa sub Henrico & Eduardo factitata fuerant, primo anno regni Mariæ in Parlamento an. 1553. rescissa fuisse; abrogatum Eduardi Rituale, Ordinationes ad ejus formam factas ac receptas pro nullis & irritis ab omnibus Catholicis habitas fuisse: non ignorabant Episcopos, quos Maria ob crimen hæreseos & læsæ Majestatis capite punivit, è suis gradibus dejectos priùs non fuisse, quia sub Eduardo nullos legitimè ac validè susceperant; ad discrimen aliorum, qui sub Henrico validè ordinati, priùs quàm supplicio afficerentur, suis spoliabantur gradibus quos verè susceperant: non ignorabant Reginam Mariam, animo revocandi Anglos omnes ad unitatem Ecclesiæ Romanæ, injunxisse omnibus ditionis suæ Episcopis, ut suas Diœceses accuratè lustrarent; ipsis etiam, instructionis causa, datis articulis quibusdam, quorum hic erat 15. *Quantùm ad eos spectat qui ad Ordines promoti sunt juxta novum Rituale, cum illi verè ordinati non fuerint, Episcopus, si eos aliunde dignos judicaverit, supplere in iis poterit, quod deest, & eos ad sacrum ministerium admittere*. Non ignorabat ipsemet Cardinalis Polus creatus Archiepiscopus Cantuariensis, se die 8. Januarii anni 1555. Capitulo suo licentiam dedisse reconciliandi ac libero suarum functionum exercitio restituendi eos omnes de Clero qui ad Ecclesiam Catholicam sincero animo redire vellent, modò tamen ecclesiastica forma ordinati fuissent: *Quòdque*, inquit, *irregularitate & aliis præmissis non obstantibus, in suis Ordinibus, etiam ab hæreticis & schismaticis Episcopis, etiam minùs ritè, dummodo in eorum collatione ecclesiastica forma & intentio sit servata, per eos susceptis . . etiam in altaris ministerio ministrare possint*. Non ignorabant denique usum & praxim Ecclesiæ Romanæ, reordinandi eos qui apud Anglos ordinati ad nos redeunt, quia nimirum nullam & invalidam judicat esse Ordinationem ad formam Ritualis Eduardi peractam.

Quapropter cùm Julius III. in citato Brevi eadem voce *rehabilitationis* utitur erga Episcopos tum sub Henrico, tum sub Eduardo ordinatos, per accommodam, ut ajunt, distributionem vox illa interpretanda est, ita ut erga Episcopos Henrici, mera sit rehabilitatio, seu resti-

tutio libera functionum Ordinis, quia illi ritu Romano validè fuerant ordinati; erga verò Episcopos Eduardi, fit vera Ordinatio, eo quòd nulla erat & invalida, quam juxta illius Rituale perceperant.

QUÆSTIO TERTIA.

De materia & forma sacrarum Ordinationum.

Status quæstionis, ac variæ sententiæ exponuntur.

CUm certum sit apud omnes Theologos, materiam Sacramentorum reponendam esse in aliquo signo exteriori ac sensibili, formam verò in verbis quæ pronuntiantur dum sensibile illud signum subjecto applicatur, quæritur quodnam in Sacramento Ordinis exterius ac sensibile signum materiæ, quæ autem verba, formæ rationem habeant.

Quæstio autem hic non est de materia & forma singulorum Ordinum, de quibus postea sigillatim, sed de materia & forma Sacramenti Ordinis universim & in genere.

Quæstio pariter non est de iis Ordinibus qui Minores seu inferiores dicuntur, sed de Majoribus, seu sacris & hierarchicis, Episcopatu scilicet, Presbyteratu & Diaconatu.

Quæstio verò seu controversia de duobus dumtaxat hic excitatur, nempe de manus impositione, & porrectione instrumentorum tamquam materia; & de oratione, ac verbis instrumentorum porrectioni adjunctis; tamquam forma; an scilicet aut sola manus impositio cum oratione, aut sola instrumentorum porrectio cum verbis adjunctis, aut utraque simul constituant essentialem materiam & formam sacræ Ordinationis.

Versatur autem potissimum præsentis quæstionis nodus, in concilianda Græca Ecclesia cum Latina, imò & Latina cum semetipsa. Videntur enim Græci per solam impositionem manuum & orationem sacras Ordinationes perficere, nullis adhibitis instrumentis, nisi post completam ac essentialiter perfectam Ordinationem, sicut legere est in eorum Euchologio, ac fatetur Goarius in suis notis pag.256. n.11. *Qua qua ex parte*, inquit, *in hoc ritu Euchologium inspiciatur, legatur, evolvatur, nullam aliam indicat Ordinis materiam, præter dictam manuum impositionem*. Idem agnoscit & probat Arcudius de Sacramento Ordinis L.6. c.3. propositione 1. & 2.

Pag. 224. & 431.

Æquè constat, longo sæculorum tractu nullam apud Latinos occurrere in sacris Ordinationibus mentionem eorum instrumentorum quibus jamdiu utuntur: unde igitur hæc mutatio ac varietas; & quomodo concilianda cum veritate substantiali Sacramenti Ordinis, quæ constans esse debet, perpetua, & immutabilis? In hoc nodo dissolvendo multùm desudant Scholæ nostræ Theologi, variasque in partes more suo scinduntur.

Prima sententia solam assignat manus impositionem pro materia, & solam orationem pro forma essentiali Sacramenti Ordinis; instrumentorum verò porrectionem cum verbis adjunctis, vult esse dumtaxat materiam & formam accessoriam, adventitiam, accidentalem, aut integralem, ad majorem scilicet effectus seu potestatis concessæ expressionem ac significationem. Ita ex Veteribus videtur sensisse S. Bonaventura in 4. dist. 24. parte 2. articulo 1. qu.4. ubi disertissimis verbis non semel pronuntiat, *in pri-*

mitiva

mitiva Ecclesia tantùm per impositionem manuum Ordines collatos fuisse, & conferri potuisse. Ut tamen quodammodo conciliet veterem cum novo ritu ordinandi per impositionem manus simul & porrectionem instrumentorum, addit ibidem, in impositione manus, qua solùm Veteres utebantur, implicitè ac virtute contentum fuisse quidquid se habet per modum instrumenti; *quia*, inquit, *manus est organum organorum*. In eamdem sententiam maximè inclinat Petrus Soto Lib. de institutione Sacerdotum lectione 5. de Sacramento Ordinis: quamquam judicet tutius esse rem hanc sub dubio relinquere. Durandus in 4.dist.24. quæst.3. existimat Diaconi potestatem conferri per solam manus impositionem, quoniam non omnes Ecclesiæ retinent morem tradendi Diacono Codicem Evangeliorum: namque Ecclesia Aniciensis, cui ipse præfuit, non habebat tunc temporis ritum illum. Ex recentioribus verò idem sentiunt Morinus, de sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 1. cap.1. Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Tom.3. Oper. S. Gregor. Edit. BB. pag. 505. & seq. Goarius in notis ad Euchologium Græcorum pag. 256. num. 11. Pater Martene Benedictinus, de antiquis Ecclesiæ ritibus Lib.1. cap.8. art.9. num.17. Becanus de Sacramento Ordinis cap. 26. quæst.4. concl.3. Arcudius denique de Sacramento Ordinis cap.4. primùm docuit apud Latinos materiam essentialem Ordinationis esse tum impositionem manuum, tum instrumentorum porrectionem; postea verò meliùs consultus ac re penitiùs examinata, cap.7. censet solam impositionem manuum essentialem esse materiam, instrumenta verò quasi materiam, *non ad causandam potestatem*, inquit: *quippe eam Pontificis actio causat, sed ad eam magis determinandam*, (seu significandam.) Ibidem contendit, (quod antea refutaverat) illam manus impositionem non distingui, sed confundi cum actione Pontificis instrumenta porrigentis. Tom.5. p. 326. P. 434. Pag. 453. col.1. A.

Secunda sententia non aliam agnoscit essentialem materiam Ordinationis, quàm porrectionem instrumentorum, nec aliam formam quàm verba huic porrectioni adjuncta: ipsam verò impositionem manuum aut confundit cum porrectione instrumentorum; aut si distinguit, eam dumtaxat vult cærimonialem esse & accidentalem. Ita Dominicus Soto in 4.dist.24. quæst.1. art.4. concl.5. Capreolus in 4. eadem distinctione quæst.1. artic.3. ad 3. De Valentia disp.19. de Sacramento Ordinis quęst.1. punct.5. Estius in 4.dist.24. paragr.24. Vasquez in 3.part. disp.238. cap.4. de materia Diaconatus agens sic loquitur: *Communis sententia est, solum traditionem Libri Evangeliorum materiam esse hujus Sacramenti; & sola verba, quibus traditur, esse formam: quam quidem*, inquit, *ita veram existimo, ut oppositam non solùm nota temeritatis, sed erroris etiam inurendam esse censeam*. Verùm Arcudius & alii non ignobiles Theologi, vice versa hanc Vasquezii opinionem corrigendam esse ac notandam existimant, cùm, inquit Arcudius Lib.6. cap.7. videatur adversari & Scripturæ & perpetuæ praxi Ecclesiæ, quæ semper ac constanter ritum impositionis manuum retinuit in sacris Ordinationibus. Pag.704. col.1.

Habertus ad Pontificale Græcorum observat. 2. de consecratione Presbyteri, multùm improbat Scholasticos qui in problema verterunt an manus impositio sit essentialis in Ordinatione, *quod*, inquit, *numquam induci, numquam tolerari debuerat*. Maldonatus Tractatu de Sacramento Ordinis quæst.3. part.2. proposit.1. ait, *fide Catholica tenendum esse, manuum impositionem esse partem essentialem hujus Sacramenti*. Et prop.4. ait, *proximè ad fidem accedere, traditionem instrumentorum esse materiam necessariam*. Pag. 120. Pag. 398. Pag. 399.

Multi

Multi ex defensoribus hujus secundæ sententiæ, aut ignorasse, aut non satis attendisse videntur ad ritum Ordinationum qui semper in Ecclesia Græca, & in Latina per decem sæcula usurpatus fuit, per solam scilicet impositionem manuum sine ullis instrumentis: unde sequeretur, si ea staret opinio, vel nullam fuisse, vel non esse jam apud Græcos legitimam Ordinationem, & nullam pariter fuisse apud Latinos per decem priora sæcula: quod grave incommodum ut alii declinent, sentiunt, porrectionem instrumentorum in usu semper fuisse, quamvis de illa siluerint Veteres, qui summo studio Religionis mysteria Gentilibus abscondebant, nè fortè ab iis irriderentur. Ita Estius loco indicato. Alii dicunt, in ipsa impositione manus, de qua Veteres, implicitè ac virtute tamquam in organo organorum inclusa fuisse instrumenta, quæ postea magis distincta & explicata fuere. Ita Gravina disput.2. de materia & forma Sacramenti Ordinis paragr.3. Alii denique tam essentialem ac necessariam existimant v. g. porrectionem Libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi, ut velint Apostolos in Ordinatione Diaconorum, non Librum quidem Evangeliorum, qui nondum scriptus erat, sed ejus loco chartam tradidisse, in qua mysteria nostræ fidei descripta erant. Ita refert Isambertus de Sacramento Ordinis disp.3. art.6. quam ridiculam & planè absurdam opinionem ibidem explodit.

Tertia denique sententia eorum est, qui admittunt tum impositionem manuum, tum porrectionem instrumentorum esse materiam essentialem, orationem verò & verba quæ pronuntiantur dum porriguntur instrumenta, formam esse Sacramentis Ordinis. Ita Vasquez, Maldonatus, Bellarminus, Hallerius, Isambertus & multi inter recentiores, qui tamen non una ratione rem explicant, & utriusque Ecclesiæ Ordinationes simul conciliant. Sunt enim qui impositionem illam manuum distinguunt ab ipsa actione, qua porriguntur instrumenta; alii verò confundunt. Sunt qui in manus impositione Veterum, etiam aliquam instrumenti speciem agnoscunt; alii utrumque ritum planè separant ac distinguunt. Sunt qui instrumentorum porrectionem à Christo ipso institutam fuisse, ac continua traditione ad nos devenisse existimant, ut Vasquez disp.239. cap.4. num.37. alii hanc ab Ecclesia invectam fuisse contendunt cum Becano, de Sacramento Ordinis cap.26. quæst.4. conclusione 3. Sunt qui tardiùs, sunt qui citiùs apud nos incæpisse dicunt instrumentorum porrectionem. Sunt denique, & quidem numero longè plures, qui ad conciliandas Græcas & Latinas Ordinationes, imò & Latinas inter se diversis temporibus, docent Christum Dominum aliquorum Sacramentorum materias & formas generaliter tantùm instituisse; earum verò determinationem & designationem Apostolorum & Ecclesiæ auctoritati & prudentiæ commisisse; atque hinc materiarum & formarum varietatem fluxisse, dum Ecclesia Græca has materias & formas in specie, Latina verò alias, unaquæque pro libertate sibi concessa, definivit: si enim Christus eas definiisset in specie, eædem essent apud omnes Catholicos cujuscumque ætatis. Ita multi tum veteres tum recentiores Theologi quos appellat Morinus tum Lib.8. de Sacramento Pœnitentiæ cap.17. tum de sacris Ordinationibus part.3. exercitatione 1. cap.1. nu.14.

Idem Morinus, de sacris Ordinationibus parte tertia exercitatione undecima capite quinto causam & rationem investigans cur Græci solam manus impositionem, Latini verò præter illam instrumenta quædam etiam adhibeant, hanc conjicit occasionem fuisse hujus discriminis, quòd nempe Apo-

stoli

ſtoli Judæos imitati, quam unam ab illis videbant multis in ritibus uſurpari manus impoſitionem, hanc retinuerunt, ſicut & Græci Apoſtolorum veſtigiis preſſiùs inſiſtentes; Latini è contra qui Romæ præſertim verſabantur, cùm præ oculis quotidie haberent formulam qua Romani Magiſtratus creabantur, per traditionem ſcilicet alicujus ſigni ſeu ſymboli, hanc quoque in ſuis ordinandis miniſtris imitari voluerunt. Quòd verò Romani Magiſtratus ab Imperatore crearentur ſub certa verborum formula ac alicujus ſymboli traditione, patet ex Trajano, qui, ut auctor eſt Dion, Præfectum Prætorio creans, ei nudum gladium porrexit dicens; *Accipe hunc enſem, quo, ſi rectè imperavero, pro me uteris; ſin minùs, contra me vertes.*

Obſervat rurſus ibid. cap. 7. Græcos aliqua etiam inſtrumenta tradere verb. grat. in Lectoratu traditur Lectori Liber Apoſtolicus, & legit de Apoſtolo ſectionem aliquam: in Cantoratu datur Cantori Pſalterium, de quo pericopem aliquam legit: in Subdiaconatu datur Subdiacono mantile & malluvium, quibus Epiſcopo Sacra celebranti aquam manibus lavandis infundit, & lotas manus abſtergit: in Diaconatu datur Diacono flabellum, quo poſtea more græco ſacra dona ventilat. Porro obſervat rurſus, triplex diſcrimen eſſe inter Græcos & Latinos quantùm ad hanc inſtrumentorum traditionem. 1. quòd apud Latinos inſtrumenta dantur initio ritus Ordinationis, apud Græcos verò poſt factam Ordinationem. 2. quòd apud Latinos ſunt ſigna poteſtatis quæ confertur; apud Græcos ſigna poteſtatis conceſſæ, per quæ in poſſeſſionem veluti & exercitium illius actuale mittuntur. 3. quòd Græci cùm inſtrumenta dant ordinatis, nullis utantur verborum formulis; è contra Latini.

Obſerva cum Morino exercit. 7. cap. 3. cærimoniam manus impoſitionis à Judæis Apoſtolos deſumpſiſſe, & ab Apoſtolis Chriſtianos. Multas actiones religioſas facturi Judæi, manus ſolebant imponere iis quorum cauſa actiones illas inſtituebant. Benedicturi manus imponebant. Ita Gen. 48. v. 14. Jacob benedicturus nepotibus ſuis Ephraim & Manaſſe, *extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim &c.* Ita Dominus noſter pueris benedicens, *manus ſuper ipſos impoſuit*, Marci 10. v. 16. Sacrificaturi manus ſuper hoſtiam imponebant. Levitici 1. v. 4. & 3. v. 2. Teſtes imponebant manus ſuper caput hominis qui eorum teſtimonio interficiebatur, ut conſtanter teſtarentur ſe nihil niſi verum perhibuiſſe. Daniel 13. v. 34. Aliquando etiam in veteri Lege Dux populi per impoſitionem manuum creabatur, ut Num. 27. & Deuter. 34. In novo ſimiliter Teſtamento, Chriſtus & Apoſtoli manus impoſitionem in variis actionibus uſurparunt, ut Spiritum ſanctum darent, ut morbos curarent, ut miniſtros conſecrarent. Eccleſia pariter Chriſtiana ritum hunc ſolemnem retinuit, ac tribus potiſſimùm Sacramentis antiquitas nomen impoſitionis manuum indidit, ait Morinus, Sacramento ſcilicet Confirmationis, Sacramento Pœnitentiæ, & Sacramento Ordinis. Duo priora aliquando ſic diſtinguit: Sacramentum Confirmationis vocat manus impoſitionem in Spiritum ſanctum; Sacramentum Pœnitentiæ, manus impoſitionem in pœnitentiam; ſed Ordinis Sacramentum deſignat ferè ſemper per manus impoſitionem. Manus impoſitio ſignificat efficaciam divinæ potentiæ ac gratiæ quæ præſens adeſt iis quibus manus imponuntur. His præmiſſis ſit

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Materia essentialis Sacramenti Ordinis est impositio manuum, forma verò oratio.

Probatur : Quia ea statui debet materia & forma essentialis alicujus Sacramenti, cujus apertam mentionem facit Scriptura, quam Apostoli, Sacramentum istud conferendo ac perficiendo, usurparunt, quam usu constanti ac perpetuo Ecclesia, sive Græca sive Latina, qualibet ætate pariter retinuit & adhibuit : atqui & Apostoli & Ecclesia usu constanti ac perpetuo in sacris Ordinationibus perficiendis adhibuerunt impositionem manuum tamquam materiam, & orationem tamquam formam ; ergo &c.

Prima pars minoris propositionis patet ex iis Scripturæ testimoniis quibus jam probavimus Ordinem esse verum ac propriè dictum Sacramentum. Ut enim scitè observat hic Bellarminus, nisi manus impositionem assignemus pro ritu externo sacræ Ordinationis, numquam Hæreticos convincere poterimus Ordinationem esse verum Sacramentum, quia non alium hic externum ritum ab Apostolis usurpatum refert Scriptura, quàm impositionem manuum, & orationem : unde Conc. Trid. Sess. 23. cap. 2. observat Scripturam gravissimis verbis docere ea quæ maximè attendenda sunt in Ordinatione Sacerdotum ac Diaconorum. De istis Act. 6. v. 6. dicitur : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Et cap. 13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur : *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Et Apostol. 1. ad Timot. 4. v. 14. *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*, quibus in locis & aliis similibus, verum ac propriè dictum exprimi Sacramentum Ordinationis omnes Orthodoxi persuasum semper habuerunt : necesse igitur est, ut omnes pariter Orthodoxi fateantur, manus impositionem fuisse symbolum seu ritum externum vel materiam Ordinationis, cui Christus annexam voluit gratiæ promissionem. Quapropter Conclusionem nostram ad fidem pertinere contendit Maldonatus antea laudatus : atque causam Catholicam nostro quidem judicio multùm infirmant, qui negant impositionem manuum esse partem essentialem Sacramenti Ordinis.

Secunda pars Conclusionis, quæ est de usu constanti ac perpetuo Ecclesiæ in ordinandis sacris ministris per impositionem manuum & orationem,

Probatur 1. ex Conciliis. 2. ex SS. Pontificibus. 3. ex SS. Patribus, aliisque Scriptoribus ecclesiasticis.

I. ex Conciliis.

T. 2. Conc. p. 41. E. Nicænum I. generale ann. 325. Can. 9. *removet à clero eos, quibus peccata sua confessis, nulloque adhibito examine promotis homines manus imposuerunt.*

Ibidem p. 44. A. Et Can. 19. Diaconissas Laicis annumerat, *quia nullam habent manus impositionem.*

Ibidem p. 578. E. Antiochenum an. 341. Can. 17. *Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit, nec acquieverit ire ad Ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communione privari.*

T. 1. Conc. p. 1467. E. Ancyranum anno 314. Can. 9. *Diaconi..... quicumque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debebunt.*

Cartha-

Carthaginense IV. anno 398. omnium disertissimè ac minutatim declaravit quo ritu inaugurandi forent sacri ministri.

Cap.2. *Episcopus*, inquit, *cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* T.2.Conc. p. 1199. D. E.

Cap.3. de Ordinatione Presbyteri sic statuit : *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.*

Cap.4. de Ordinatione Diaconi sic statuit: *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Describitur his tribus capitibus ritus conferendi sacros & Majores Ordines, per unam scilicet manus impositionem, & benedictionem seu orationem, nulla prorsus injecta mentione porrectionis instrumentorum. Imò cap.5. sequenti, ubi refertur modus ordinandi Subdiaconum, expresè distinguit manus impositionem ab instrumentis, statuitque Subdiaconum per instrumentorum porrectionem esse promovendum, quoniam impositionem manuum non habet: qua in re distinguitur Ordo Subdiaconatus à cæteris sacris & Majoribus, qui conferebantur tunc per solam manus impositionem sine instrumentis. Audiatur Concilium cap.5. *Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.*

Toletanum IV. an. 633. Can. 28. quo præscribitur forma restituendi in pristinum gradum eos, qui injustè dejecti sunt, sic loquitur: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo injustè dejectus in secunda Synodo innocens repe-riatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum; si Presbyter, orarium, & planetam; si Diaconus, orarium & albam; si Subdiaconus, patenam & calicem: sic & reliqui gradus ea in reparatione sui recipiant, quæ, cùm ordinarentur, perceperunt.* T.5.Conc. p. 1714. A. B. Ex quo Canone rectè infertur, ait Hallerius, de sacris Ordinibus sect.2. cap.2. art.1. nu.7. (pag. 431.) nondum septimi sæculi initio Hispanicarum Ecclesiarum morem fuisse, tradendi aliqua in Ordinatione Presbyteri & Diaconi instrumenta. Si enim aliqua tradita fuissent; sicut in eorum degradatione fuissent ablata, ita in ipsorum restitutione palam ab Episcopis reddita fuissent: neque enim baculi pastoralis & annuli idcirco mentionem facit Concilium, quòd hæc instrumenta sint materia essentialis Episcopatus, ut nec orarium, nec planeta, Presbyteratus, sed quòd per illa sympola exteriora significaretur restitui functiones & officia suorum Ordinum, iis qui injustè fuerant depositi.

Hispalense II. an.619. cap.5. *Quinto judicio*, inquit, *ad cognitionem nostram Aniani Egrabensis Diaconi relatu deductum est, de quibusdam ipsius Ecclesiæ Clericis, quorum, dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis, contra Ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse*, quæ Ordinationes à Conclusio irritantur, quia benedictio, idest forma seu oratio, fuerat à Presbytero pronuntiata. T.5.Conc. p.1665.B

Concil. Meldense anno 845. Can. 44. majores Ordines usque ad Subdiaconatum; per manus impositionem conferri significat. *Chorepiscopi*, inquit,

T.7.Conc. p.1834.A inquit, *Ecclesiasticos Ordines qui per impositionem manus tribuuntur, idest, non-nisi usque ad Subdiaconatum, agere non præsumant.*

Tom. 14. Concil. p. 493. D. Coloniense I. an.1536. part.1. cap.1. ait, *manus impositionem esse ostium, per quod intrant qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur.*

Ibidem p. 679. E. Moguntinum anno 1549. cap.35. collationem Ordinum cum *impositione manuum* velut visibili signo tradi affirmat.

Concilium denique Tridentinum Seff.14. cap.3. loquens de ministro Sacramenti Extremæ unctionis, ait esse Episcopos aut Sacerdotes ritè ordinatos *per impositionem manuum Presbyterii.*

Ibidem p. 822. E. II. idem patet ex SS. Pontificibus.

T.2.Conc. p.1274 A Innocentius I. Epistola 22. ad Episcopos Macedoniæ cap.3. contendit *ab Hæreticis ordinatos vulneratum per illam manuum impositionem habere caput: Hæreticos per pravam manus impositionem damnationem dare.*

T.3.Conc. p.1070.B Cælestinus Epistola ad Concil. Ephesinum de Ordinatione Maximiani loco Nestorii in Episcopum Constantinopolitanum loquens, *Interfuimus*, inquit, *nec nos dixerimus absentes, cùm ejus capiti verba mystica dicerentur.*

Tom.I. p. 401. c.2. S. Leo Epistola 1. aliàs 87. ad Episcopos Africanos explicans istud S. Pauli, *Manus citò nemini imposueris: Quid est*, inquit, *manus cito nemini imponere; nisi ante ætatem maturitatis... sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Quomodo autem diceret S. Pontifex; manus imponere idem esse quod sacerdotalem honorem tribuere, nisi hæc actio vel unica, vel potissima saltem Ordinationis esset materia?

Tom. i. p. 1646. B. S. Greg. Magnus in fine Registri, decreto 5. *Quia*, inquit, *ordinando Episcopo Pontifex manum imponit, sicut Pontificem manum non decet, quam imponit, vendere, ita minister.* Et Homil. 39. in Evangelia eos à Christo è Templo ejectos dicit, *qui pro munere manuum impositionem tribuunt.*

Tom.3. p. 224. B. Denique in suo de Sacramentis Libro, *Presbyter*, inquit, *cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.*

III. idem probatur ex SS. Patribus aliisque Scriptoribus ecclesiasticis.

Ed. Ant. 1633. Tom.1. p. 364. & seq. S. Dionysius, aut quisquis Auctor est Librorum de Ecclesiastica Hierarchia, cap.5. fusè & ex professo exponens ritus quibus sacri ministri consecrantur, istos solùm refert. 1. *accessum ad divinum altare.* 2. *prostrationem & genuflexionem.* 3. *pontificiæ manus impositionem.* 4. *signum sanctæ Crucis.* 5. *singulorum acclamationem, seu declarationem sacram, gradus nimirum quo unusquisque donatus est*, quibus in Ordinatione Episcopi adjungit *divinorum eloquiorum super caput impositionem;* & in Ordinatione Presbyteri, *amborum pedum inclinationem*, idest genu utriusque flexionem. Ex his autem ritibus sola impositio manuum propriè est materia sacræ Ordinationis; de porrectione verò instrumentorum in hoc toto ritu tam exactè, tam accuratè descripto, ne verbulum quidem.

Pag. 114. S. Cyprianus Epist. 68. ad Clerum & plebem Hispaniæ, loquens de electione Sabini & Fœlicis in locum Basilidis & Martialis Episcoporum Hispaniæ, ait Ordinationem fieri per impositionem manuum.

T.2..App. p.363. E S. Ambrosius Lib. de dignitate sacerdotali antea citato cap.5. *Homo*, inquit, *manus imponit, & Deus largitur gratiam.*

T.3.p.432 S. Hieronymus in cap. 58. Isaiæ dicit per *manus impositionem* impleri Ordinationem, seu consummari.

Tom.9. p. 154. G. S. August. Lib.5. de Baptismo contra Donat. cap.20. *Si ergo*, inquit, *ad hoc*

ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatores Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas.

Plura hìc omittimus aliorum SS. Patrum testimonia. *Dicere autem*, ait hìc Bellarm. cap.9. de Sacramento Ordinis, *omnia Concilia, Pontifices & Patres loqui de accidentaria cærimonia, ridiculum est; cùm nusquam ponant aliam cærimoniam, & sæpè ex professo tractent de ritu Ordinationis. Quis enim credat tot Patres, & Concilia, cùm nihil frequentiùs tractent, quàm Ordinationes Sacerdotum, ne semel quidem attigisse id quod ad essentiam Sacramenti pertinet?* Tom.2. p. 496. B.

Adde nec Isidorum Hispalensem septimo sæculo, nec Amalarium Fortunatum, nec Rabanum Maurum, nec Alcuinum, nec VValafridus Strabonem nono, ubi ex professo de sacris loquuntur Ordinationibus, aliam commemorasse materiam, quàm impositionem manuum. Neque alia etiam occurrit in omnibus ferè antiquioris notæ Libris Ritualibus, sicut observant eruditissimi Scriptores in hisce rebus versatissimi, Morinus, Menardus, Martenius, &c.

Adde, non aliam quoque præter manuum impositionem à Græcis usurpari materiam in sacris Ordinationibus perficiendis, ut legere est in eorum Euchologio, ac fatentur Arcudius, Goarius, cæterique rituum Græcorum periti. Neque tamen legimus aliquando à Latinis reprehensas aut pro invalidis habitas ejusmodi Ordinationes, quoties aut cum ipsis disputatum fuit, aut pax inita: imò potius eas ratas ac validas esse expresse declararunt SS. Pontifices Leo X. Clemens VIII. Paulus V. Urbanus VIII. & alii, ut ostendit Morinus de sacris Ordinationibus part.1. cap. 3. & 4. necesse igitur est manuum impositionem agnoscere tamquam essentialem Sacramenti Ordinis materiam; aliàs Græci eo carerent Sacramento, nec veras haberent Ordinationes hac sola manuum impositione perfectas.

Adde denique, ita sentire veteres Scholæ Magistros.

S. Bonaventura in 4.dist.24. part.2. art.1. qu.4. non semel inculcat in primitiva Ecclesia Majores Ordines per manum impositionem tantùm collatum fuisse.

Altissiodorensis 4.part. de Sacram. Ordinis cap.1. ait, Archiepiscopatum non esse distinctum Ordinem ab Episcopatu, quia omnis Ordo conficitur impositione manuum, nulla verò hìc est impositio diversa.

Paludanus in 4. dist.24. quæst.2. art.3. probabile dicit in impositione manus dari gratiam justificantem.

Denique S. Th. 3.part. qu.84. art.4. in corp. reddit rationem cur in Sacramento Pœnitentiæ manus impositio non requiratur, sicut nec in Baptismo; in Sacramentis verò Confirmationis & Ordinis requiratur, *Quia*, inquit, *impositio manuum in Sacramentis Ecclesiæ fit ad significandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodam modo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti; & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis. Unde & 2. ad Timot.1. dicitur Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Idem probatur

ex

ex objectione quam sibi proponit S. Doctor, de impositione scilicet manuum quæ fiebat super ægros ut benè haberent; ad quam respondet, illam manus impositionem non fuisse sacramentalem, sed ad miracula dumtaxat perficienda ordinatam. Agnoscit ergo esse aliquam impositionem manus sacramentalem, quæ nempè adhibetur in perficiendis Sacramentis Confirmationis & Ordinis.

Quæres an illa manuum impositio sit actio quædam manus peculiaris, an verò confundi possit cum porrectione instrumentorum, quæ manus impositio dicatur, eo quòd manu porriguntur seu præbentur instrumenta, sicut exponunt nonnulli Theologi cum Arcudio Lib.6. de Sacramento Ordinis cap.7. Estio in 4.dist.24. paragr.24.

Refellitur opinio quæ confundit manus impositionè cum porrectione instrumentorum.

Resp. Omnino improbabilem nobis videri opinionem eorum qui manus impositionem confundunt cum actione manus instrumenta porrigentis.

I. Quia Veteres per illam impositionem manus, semper significare voluerunt specialem manus actionem quam S. Dionysius appellat *protectionem*, Tertullianus *adumbrationem*, alii omnes *expansionem*, *extensionem*, *impositionem* manus supra capita confirmandorum vel ordinandorum.

S. Dionysius, *Manus Pontificis impositio simul divinum præsidium annexum declarat, vimque ecclesiastici Ordinis largitur*. Tertull. Lib. de resurrectione carnis, *Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut anima spiritu illuminetur*.

Mor. Exercit. 7. c.3.p.139.

II. Ridiculum omninò & absonum videtur confundere impositionem manuum cum porrectione instrumentorum, iis præsertim Ecclesiæ sæculis quibus sacri ministri per solam impositionem manuum sine instrumentis ordinati fuere. At per decem Ecclesiæ sæcula, & etiamnum apud Græcos, ita fuisse ordinatos sacros ministros manifestè colligitur testimoniis hìc laudatis.

III. Conc. Carthag. IV. cap.5. & Meldense Can.44. expresè distinguunt Ordinationem Sacerdotum & Diaconorum, ab Ordinatione Subdiaconorum, quòd in ista nulla fit mentio impositionis manuum; sed tantùm porrectionis instrumentorum, *Subdiaconus cùm ordinatur*, ait Concil. Carthag. IV. *quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum*. Si autem manus impositio supponeretur contineri in ipsa porrectione instrumentorum, immeritò dixisset Concilium, Subdiaconum cùm ordinatur, non accipere manus impositionem: eam etenim accepisset, juxta sententiam quam hìc refellimus, simul cum instrumentorum porrectione.

IV. Si Ordinationis Sacramentum idcirco dici potest perfici per impositionem manuum, quòd fiat per instrumentorum porrectionem quæ manu exhibentur, sanè & Baptismus, & Extrema unctio, imò & omnes inferiores Ordines dici poterunt conferri ac perfici per impositionem manus, siquidem per actionem manus & infunditur aqua in Baptismo, & ungitur infirmus, & Subdiacono calix cum patena, Exorcistæ & Lectori Liber, & Ostiario claves exhibentur. At quàm istud absurdum sit & à communi Theologorum sensu alienum, nemo non intelligit.

Tom. 13. Conc. p. 538. E.

Dices 1. Eugenius IV. S. P. in Decreto seu Institutione Armenorum, singulorum Ordinum materias & formas accuratè recensens, nulla prorsus facta mentione impositionis manuum, sola dumtaxat commemorat instrumenta quæ ordinandis porriguntur. Qui verò fieri potuisset, ut si manus impositio esset essentialis, eam prætermisisset?

Resp.

Respondent aliqui, hocce Decretum, seu Instructionem non habere auctoritatem totius Concilii, siquidem quo tempore conditum est, Græci discesserant, & soli remanserant Latini cum S. Pontifice Eugenio; adeoque nulla lege adstringi volunt Theologos, ut subscribant iis omnibus quæ in ea Instructione continentur, præsertim verò quæ Sacramentorum aliquorum materiam & formam spectant.

Verùm Arcudius L. 6. de Sacramento Ordinis c. 5. observat responsionem hanc *tutam non esse ac hæresim sapere*; quia licet aliqua in Concilio Florentino peracta sint Græcis non præsentibus, cùm tamen ipsis consentientibus unio Armenorum subsequuta fuerit, censetur illa totius Concilii nomine confirmata: unde in ipso decreto dicitur, *sacro approbante Concilio, & ipsis etiam Oratoribus consentientibus, data Armenis Instructio quædam sub compendio orthodoxæ fidei*. Deinde verò, etsi dicta Instructio solius esset S. Pontificis, nonne vim & auctoritatem obtinere debet apud omnes Catholicos, præsertim cùm totius Ecclesiæ consensu accedente firmata est ac probata? Pag. 443. col. 1. D.

Respondent alii, Concilium Florentinum sibi non proposuisse referre omnem Ordinationis materiam, sed eam solùm, quæ & expressiùs effectum Ordinum explicaret, & eorum discrimen evidentiùs oculis subjiceret: seu Concilium in eo Decreto potissimùm spectasse Armenorum instructionem, eamque proinde materiam præcipuè tradidisse, de qua præsertim Armeni unionem Ecclesiæ Romanæ ambientes, instruendi erant. Ita Hallerius de sacris Ordinationibus sectione 2. cap. 2. artic. 1. paragr. 12. Addunt alii, Eugenium non exclusisse impositionem manuum, imò magis præsuppositam voluisse, siquidem remittit ad Pontificale Romanum, ubi manus impositio tamquam essentialis præscribitur. Ita Arcudius Libro citato cap. 6. Addit Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii *idcirco S. Pontificem* nullam fecisse mentionem impositionis manuum, *quia jam erat in usu apud Armenos, quibus peculiarem Ecclesiæ Romanæ ritum tradere volebat*. Pag. 441. n. 24. Oper. S. Greg. T. 3. p. 507. D.

Respondent nonnulli, mirum videri non debere quòd Eugenius solam commemoraverit instrumentorum porrectionem, cùm hæc sola statuenda sit pro materia essentiali Ordinis, aut saltem ab ea non sit distinguenda impositio manuum de qua tam frequenter Veteres.

Verùm hæc responsio subsistere non potest cum iis quæ jam exposuimus.

Respondent denique multi è recentioribus, S. Pontificem in dicta Instructione materiam Ordinationis accidentalem dumtaxat, accessoriam, aut integrantem voluisse designare, quia illa tantùm carebant Armeni, quos instruit. Ita Becanus, Menardus, & alii.

Verùm pendet ea responsio ex iis quæ Conclusione secunda dicturi mox sumus.

Dices 2. Innocentius Cap. *Pastoralis*. Extrav. *De Sacramentis non iterandis*, & Gregorius IX. ibid. Cap. *Presbyter*, dicunt *iterandam non esse Ordinationem factam sine manus impositione, sed supplendum esse quod omissum est*. Addit Gregorius IX. *impositionem manuum esse ritum ab Apostolis introductum*. Decret. p. 281. & 282.

Respondent aliqui, eo in casu non iterari Ordinationem, sed de novo conferri, non enim propriè iteratur, quod nullum fuit: at nulla est Ordinatio absque impositione manus.

Respondent alii cum Bellarmino, de Sacramento Ordinis cap. 9. SS. Pontificum decreta nostræ favere Conclusioni. *Quod enim Pontifices nolint*

Tom. 3. p. 496. F. *repeti cærimonias ritè peractas, & tamen suppleri quod est omissum; indicat eas cærimonias posse dividi, & dari diverso tempore, & esse efficaces quocumque tempore dentur. Quod autem Gregorius dicit,* (pergit Bellarminus) *manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, non sic debet accipi, quasi Apostoli hunc instituerint, sed quia ipsi primi cæperunt illum usurpare in Ordinationibus.*

Pag. 441. n. 25. Respondet Hallerius loco sæpius citato paragr. 12. *Innocentii ac Gregorii mentem esse, ut velint in Sacramentis, cùm essentialia omissa sunt, accidentales cærimonias ritè adhibitas, non esse iterandas; cùm verò accidentaria omissa sunt, essentiales ritus non esse repetendos. Et ita si cui, dum ordinaretur, instrumenta tradita sunt, manus autem imposita non fuerit, non esse necessarium ut de novo instrumenta ipsi porrigantur, sed tantùm ut manus ei imponatur.* Addit ibid. idem Theologus, eo in casu cum manus impositione simul repetendam formam, quæ eam debet comitari, ne fortè longiori intervallo temporis dissita forma à materia, nullum redderet Sacramentum.

Dices 3. Pontificale Romanum eos qui impositionem manuum suscepere, tam Diaconos, quàm Presbyteros, ordinandos vocat; tùmque demum eos ordinatos appellat, Diaconos quidem, cùm Librum Evangeliorum, Presbyteros autem, cum calicem cum vino, & patenam cum hostia consecranda susceperunt; ergo non censetur manus impositio perficere ac complere sacram Ordinationem.

Resp. infirmum prorsus esse illud argumentum, quæcunque tandem eligatur sententia circa necessitatem porrectionis instrumentorum. Qui enim istam simul & manus impositionem essentialem esse materiam contendunt, dicent non immeritò Diaconos & Presbyteros post factam impositionem manuum ordinandos appellari, non ordinatos, quia nempè manus impositione Ordinatio inchoatur, non verò perficitur: qui è contra sentiunt solam manus impositionem essentialem esse, instrumenta verò esse dumtaxat accidentalem, accessoriam, vel integrantem materiam, ii pariter dicent, non immeritò Diaconos & Presbyteros ordinandos, non autem ordinatos appellari post factam impositionem manuum, quia instrumentorum porrectio necessaria est usu ac præcepto Ecclesiæ ad integralem perfectionem Ordinationis, nec simpliciter & absolutè potest quis ordinatus dici, nisi qui ritus omnes perceperit quos exigit Ecclesia in qua vivit.

Dices 4. Si tam impositio manuum, quàm traditio instrumentorum est materia Ordinationis Presbyteri ac Diaconi, Ordinatio Presbyteri duplex Sacramentum constituet, quemadmodum & Ordinatio Diaconi, quia duplici constabit materia & forma.

Resp. argumentum illud nullum esse in eorum sententia qui essentialem Ordinationis materiam constituunt in una & sola manuum impositione, formam in una oratione: qui verò utramque admittunt essentialem materiam, & manus impositionem & porrectionem instrumentorum, ii negant sequelam argumenti. Licèt enim in Ordinatione Presbyteri duplex sit materia, imò multiplex, unicum tamen est moraliter Sacramentum, quia materiæ illæ sunt partiales: eo modo quo Sacramentum Eucharistiæ unicum est, quamvis duas habeat partiales materias, panem & vinum, & duas formas eisdem correspondentes.

SECUNDA CONCLUSIO.

Instrumentorum porrectio cum verbis adjunctis omninò adhibenda, non quidem ut pars essentialis, sed integralis Sacramenti Ordinis.

Prima pars à nullo quod sciam, in controversiam adducitur. Ille quippè ritus sedulò retineri & observari debet, quo Ecclesia Latina à septingentis ad minùs annis utitur, quem Ordo Romanus & omnes Rituales Libri continent, & assignat Eugenius IV. in suo Decreto seu instructione Armenorum, *Sextum Sacramentum*, inquit, *est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo*, qui denique apertiùs & significantiùs exprimit uniuscujusque Ordinis finem & effectum. Tom. 13. Concil. p. 538.

Si verò quæsieris quæ prima fuerit apud Latinos origo, quodve primum initium traditionis instrumentorum, dicam difficile admodum esse primum illud tempus figere. *Hæc non modò est difficilè*, ait Arcudius L. de Sacramento Ordinis c. 4. *sed planè impossibile. Dicat qui resciverit*, inquit Hallerius de sacris Ordinationibus sect. 2. cap. 2. art. 1. paragr. 10. *Ego libenter adducar, ut ex veteri in re obscura formula, pronunciem non liquere.* P. 438.

Morinus de sacris Ordinationibus parte 3. Exercitat. 7. cap. 1. n. 16. conjicit decimo sæculo primùm in usu fuisse porrectionem instrumentorum. *Interrogabis forsan*, inquit, *quando igitur hic ritus & illius formula superaddita sunt? Difficile dictu.... cùm ista sæpè non fiant aliquo provinciali decreto, sed alicujus Episcopi pii doctive & famosi instinctu, qui religiosis & devotis aliquot rationibus ductus hoc addendum esse arbitratur; deinde paulatim vicini Episcopi id probantes, cum Rituales novos exscribi curant, id in iis addi procurant, aut etiam nova descriptione non expectata, antiquorum margini. Inde est quòd posteriores Rituales semper sint prioribus ampliores, & cærimoniis angustiores. Tandem ab aliquot sæculis Romani Pontifices his additamentis modum imposuerunt, & à Ritualibus & Pontificalibus quæ superflua judicata sunt, resecuerunt. Si tamen conjecturis locus est, anni sunt septingenti vel circiter, cùm initium huic additamento factum est. Reperitur enim in codice Abbatis Constantini Caetani, cujus character hanc ætatem sapit, & videtur planè scriptus ante annum Christi millesimum: eodem modo reperitur in Ordine Romano edito.... In secundo codice Bellovacensi, licèt post sexcentos annos scripto, hoc addimentum non erat, sed post Libri scriptionem infima margine alia manu & charactere additum erat.... Denique omnes codices post annos quingentos scripti hoc habent additamentum uniforme in textu: vix aliquis eo carens deprehenditur.* Hæc Morinus. P. 439. P. 134.

Quibus eruditus P. Martenius Benedictinus, Lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 8. articul. 9. numer. 17. addit, *hanc instrumentorum traditionem præscriptam reperiri in Pontificali Radbodi Noviomensis Episcopi, cujus character accedit ad annos octingentos.* P. 519.

Secunda pars ostenditur. I. Ea materia non est essentialis, sed integrans dumtaxat, ad clariorem acceptæ potestatis declarationem, cujus neque Scripturæ meminit, ubi de sacris Ordinationibus, nec ullus usus in Ecclesia Latina deprehenditur per decem priora sæcula, qua etiamnum hodierna caret Græca Ecclesia. Porro unum ex duobus necessarium est, aut nullas & invalidas fuisse apud Latinos per decem sæcula, & etiamnum esse apud Græcos, Ordinationes sacras, defectu traditionis instrumen-

 torum,

torum, quod certè nemo Catholicus dixerit ; aut illam instrumentorum traditionem ad essentiam seu substantiam Sacramenti Ordinis non pertinere.

II. Nonne manus impositio & oratio, quam Scriptura memorat in sacris Ordinationibus, id omne continet sensibile & externum quod sufficit ad materiam & formam essentialem Sacramenti? Quidquid ergo additur, materia est accessoria accidentalis vel integralis ; maximè cùm Traditio, quæ altera est fidei nostræ regula, sero admodum instrumentorum in sacris Ordinationibus mentionem faciat.

III. Partes essentiales Sacramenti debent esse fixæ, constantes, immutabiles, à Christo Domino institutæ, à quo solo vim habent conferendi gratiam; Ecclesia etenim nihil potest in substantiam Sacramentorum. *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse*, declarat Conc. Trid. Sess. 21. cap. 2. *ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi.... magis expedire judicaret*. Non potest igitur Ecclesia naturam seu substantiam Sacramentorum mutare, nec efficere ut quod ipsis essentiale est, non sit amplius essentiale; vel quod ab initio, seu Christi institutione essentiale non fuit, subinde tractu temporis essentiale fieret: atqui tamen si traditio instrumentorum haberetur pro parte essentialis Ordinationis, materia hujus Sacramenti nec constans foret, nec perpetua & immutabilis, cùm per decem sæcula in usu apud nos non fuerit; nec Christum, sed Ecclesiam haberet auctorem.

Dices, infirma, imò prorsus nulla esse hæc momenta quibus facilè occurritur, in eorum sententia, qui existimant Christum Dominum non omnium Sacramentorum materiam & formam in specie determinasse, sed generatim tantùm, relicta Ecclesiæ suæ libertate eas in specie determinandi, sicut nos ipsi exposuimus in Prælectionibus de Sacramentis universim sumptis pag. 20. & sequentibus. Quo fundamento innixi docuimus, unctionem chrismatis esse partem essentialem Sacramenti Confirmationis.

Resp. ad primum, nihil nos pronuntiasse circa illam nonnullorum Theologorum sententiam, sed eam duntaxat exposuisse, ut indicaremus quo fundamento nitantur Theologi, qui tum unctionem in Confirmatione, tum instrumentorum traditionem in Ordine, tamquam materiam essentialem admittunt. Ad secundum, longa disparitas est inter illam unctionem confirmatoriam, & traditionem instrumentorum. Priorem commendant vel ab initio Ecclesiæ SS. Patres & Canones Conciliorum, atque spiritualem effectum ipsi assignant. De porrectione verò instrumentorum, altum in Ecclesia per decem sæcula silentium.

Dices 2. Maxima pars Theologorũ Scholæ Conclusioni nostræ adversantur.

Respondet Morinus, *His Scholasticorum pronuntiatis tantum creditur, quantùm argumentis demonstratur*, quamquam & multi sunt, qui Conclusioni nostræ suffragantur. Verùm hujuscemodi controversiæ non Scholasticorum numero, sed rationum pondere ac auctoritate dirimendæ sunt.

De sacris Ord. p. 3. Exerc. c. 9. p. 22.

Ne quis verò hac sententiarum varietate turbetur, & anxius sit circa veritatem collatæ Ordinationis, necesse est in praxi ea omnia sedulo & ritè observentur, quæ præscribit Ecclesiæ usus; & si quid omissum fortè fuerit, illud cautè ac prudenter suppleatur, seposita illa sententiarum varietate, quam ad exercitium Scholæ divina permissit providentia, cui visum non est rem enucleatiùs nobis aperire. Ita facilè omnis animorum scrupulus & anxietas sedabitur.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

De causis, hoc est, auctore, ministro, & subjecto Sacramenti Ordinis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Auctore seu institutore Sacramenti Ordinis.

Ex communi Theologorum doctrina, ubi de Sacramentis in genere, certum est ac exploratum Christum esse auctorem seu institutorem omnium Sacramentorum novæ Legis, ipsiusque adeo sacræ Ordinationis, quam inter vera & propriè dicta Sacramenta recensendam esse antea demonstravimus. Itaque sit

CONCLUSIO.

Christus Sacramentum Ordinationis instituit.

Probatur 1. Quia definiente Synodo Trid. Sess. 7. Can. 1. Christus omnia Sacramenta novæ Legis instituit: & Sess. 23. Can. 3. de Sacramento nostro ita pronuntiat, *Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum.... anathema sit.* Tom. 14. Concil. p. 776. D. Ibid. pag. 864. A.

Probatur 2. Quia Christus ex Apostolo 1. Corinth. 12. v. 28. *quosdam posuit in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores &c.* uno verbo varios ac sacros ministros ad opus ministerii & consummationem Sanctorum esse voluit. Atqui nonnisi per ritum, quem Sacramentum dicimus, inaugurantur & consecrantur illi ministri.

Probatur 3. Quia reipsa Christus suis Apostolis potestatem & gratiam Ordinationis concessit. Lucæ 22. v. 19. in ultima Cœna post datum corpus ac sanguinem suum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tunc verò Apostolos Sacerdotes à Christo fuisse institutos docet Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. Joan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Joan. 20. v. 21. *Pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ibid. pag. 853. A.

Probatur 4. Quia solus Deus potest rebus sensibilibus vim alligare gratiæ sanctificantis effectricem.

Dices: In citatis Scripturæ testimoniis nulla fit mentio symboli alicujus externi, quo usus fuerit Christus dum Apostolis potestatem Ordinis dedisse creditur; igitur ex his testimoniis inferri meritò non potest, institutum ab ipso Sacramentum Ordinationis, quod necessariò exigit signum exterius.

Resp. nego consequens. Cùm enim Christi virtus non sit signis exterioribus alligata, potuit suis Apostolis Ordinis auctoritatem & gratiam conferre sola sua voluntate, absque ullo symbolo externo, iis nihilominus injungere, ut per aliquod signum exterius successores suos ordinarent; ita enim revera ordinatos fuisse Diaconos, Episcopos, Presbyteros, legimus in sacris Litteris. Esto igitur Apostoli Ordinis potestatem & gratiam non percepe-

rint per verum Sacramentum seu symbolum exterius, sicut Spiritum sanctum perceperunt absque vero Confirmationis Sacramento; an inde consequens est, nec Ordinis, nec Confirmationis Sacramenta esse à Christo instituta? minimè profectò. Vasquez in 3. partem S. Th. 239. cap. 1. respondet, *ipsa traditione Eucharistiæ ad manducandum, tamquam materiæ traditione, & illis verbis* (Hoc facite) *tamquam forma, Sacerdotes fuisse à Christo consecratos, quantùm attinet ad potestatem consecrandi Eucharistiam; sicut nunc traditione calicis cum vino & aqua, & patenæ cum hostia, verbis illis, Accipe potestatem &c. Sacerdotes ordinantur.*

P. 714. col. 2.

ARTICULUS II.

De ministro Sacramenti Ordinis.

Status quæstionis, error Novatorum, nostrorum Scholasticorum diversa exponuntur placita.

DUplex distingui potest Sacramenti Ordinis minister: unus ordinarius, qui ex officio ac institutione Christi; alter extraordinarius, qui ex commissione seu delegatione Ecclesiæ, Ordinis Sacramentum confert & perficit.

Inter Ordines ecclesiasticos aliqui sunt omnium sententia superiores, sacri & hierarchici, nempè Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus; de Subdiaconatu enim dissensio est inter nostros, an sit sacris Ordinibus annumerandus vel non: alii verò sunt qui Minores vocantur, non sacri, non hierarchici, quorum primus est Tonsura clericalis, & alii quatuor vulgò Minores dicti, nempè Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum.

Quæstio hìc movetur de ministro tum ordinario, tum extraordinario, sive sacrorum, sive inferiorum Ordinum, an nempè solus Episcopus ita sit jure divino institutus minister Ordinationis, ut hæc provincia simplici Presbytero delegari nunquam possit, sive in majoribus, sive in minoribus Ordinibus conferendis.

Tria verò distinguere oportet in Ordinatione ministrorum, electionem scilicet, ordinationem seu consecrationem, & vocationem seu missionem. Electio est designatio certè personæ ad Ecclesiasticam præfecturam; ordinatio, est sacra cærimonia, qua certo ritu initiantur & consecrantur ministri præsertim superiores; missio seu vocatio jurisdictionem tribuit, ac reipsa pastorem ac præsulem facit.

Novatores posteriorum temporum, Lutherani & Calvinistæ, electionem, vocationem, & ordinationem ministrorum Ecclesiæ ad omnes Fideles pertinere contendunt. *Habemus*, ait Calvinus L. 4. Institutionis c. 3. paragr. 15. *esse hanc legitimam ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu & approbatione creantur, qui visi fuerint idonei. Præesse autem electioni debere alios Pastores, ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum à multitudine peccetur.* Et paragr. 16. ministris imponendas esse manus non negat. *Licèt*, inquit, *nullum extet certum præceptum de manuum impositione, quia tamen fuisse in perpetuo usu Apostolis videmus, illa tam accurata eorum observatio præcepti vice nobis esse debet.* Et infrà: *Hoc postremò habendum est, non universam multitudinem manus imposuisse suis ministris, sed solos pastores.* In opinione igitur Novatorum, Pastores ministris manus imponunt, non autem tota populi multitudo; non quidem defe-

P. 391. Ibid. P. 392.

defectu auctoritatis in populo, sed ad evitandam confusionem: unde auctoritas ordinandi ministros, in toto populo tamquam in fonte residet: executio verò, Pastorum est, qui populi nomine & auctoritate ministerium exercent. Vviclefus inter alia multa ausus est dicere, *Confirmationem juvenum, Clericorum Ordinationem, locorum consecrationem reservari Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*, quam proterviam, ut & ipsius auctorem tamquam hæreticum, proscripsit Synodus Constantiensis Sess. 8.

Nostri Scholæ Theologi communi quidem suffragio docent Episcopum solum esse ministrum ordinarium & ex officio Sacramenti Ordinationis; sed de ministro extraordinario & ex commissione non consentiunt. Aliqui cum Adriano planè inficiantur posse simplici Sacerdoti concedi licentiam conferendi validè non tantùm sacros, sed etiam minores Ordines: alii verò non tantùm minores, sed omnes sacros, uno excepto Episcopatu posse à simplici Sacerdote ex delegatione seu commissione Ecclesiæ administrari existimant: atque ex praxi Ecclesiæ, variisque SS. Pontificum privilegiis, maximè verò ex facto Chorepiscoporum, quos ordinatione sua simplices Presbyteros fuisse putant, invictè id demonstrari posse gloriantur. Lege Vasquesium in 3. partem S. Th. q. 243. art. 3. & 4. ubi fusè de hoc argumento disserit, & in postremam inclinat sententiam, declarans à se lectam Bullam Innocenti VIII. qua indulget Abbatibus Cisterciensibus privilegium conferendi Ordinem Subdiaconatus & Diaconatus Monachis ejusdem instituti. Lege & Morinum, De Sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 4. cap. 3. ubi plures in eamdem sententiam appellat Scholæ Theologos; & cap. 4. probat Chorepiscopis, quos existimat Ordinatione simplices fuisse Presbyteros, datam olim facultatem alios Presbyteros ordinandi. Itaque sit

PRIMA CONCLUSIO.

Solus Episcopus jure divino ac vi suæ Ordinationis est minister sacrorum Ordinum.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ non aliis quàm Apostolis, eorumque successoribus Episcopis jus & auctoritatem conferunt ministros Ecclesiæ ordinandi, Act. 6. v. 6. Apostoli septem primos Diaconos à multitudine Fidelium electos, per manuum impositionem & orationem ordinarunt. Et c. 14. v. 22. Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituunt. Et Apostolus 2. ad Tim. 1. v. 6. testatur Timotheum per impositionem manuum suarum fuisse ordinatum. Et c. 4. v. 14. prioris Epistolæ ad eumdem, *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*, quo loco Presbyterium, Episcoporum cætum significat, ut testantur omnes ferè interpretes ac præsertim Græci: Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. *Non de Presbyteris*, ait S. Chrysostomus, *hic loquitur, sed de Episcopis: neque enim profectò Presbyteri ipsum ordinarent*. Denique idem Apostolus 1. ad Timoth. 3. & 5. & ad Titum 1. declarat Timotheo & Tito tamquam Episcopis, quibusnam manus imponere, seu quos Episcopos, vel Presbyteros deberent ordinare: præsertim verò ne cuiquam citò manus imponant, id est præcipitanter, non probatis priùs eorum moribus ac vitæ sanctitate. (Ed. Commel. pag. 1587.)

Probatur 2. ex constanti ac perpetua Ecclesiæ fide ac Traditione, cujus, inter multa, hæc illustriora sufficient monumenta.

An. 355. S. Cornelius Romanus Pontifex in Epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, apud Eusebium L. 6. Hist. c. 43. narrat, qua ratione Novatianus, cùm Episcopatum Romanum ambiret, tres Episcopos plane rudes ac simplices fraudulenter deceperit, atque eos inclusos hora decima, temulentos & crapula oppressos, adumbrata & inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim coegerit.

Euseb. Pag. 243.

Synodus Alexandrina ex Ægypto, Lybia, Thebaide & Pentapoli congregata anno 319. probat Ischyram Athanasii accusatorem verum Presbyterum non fuisse, cùm à Collutho simplici dumtaxat Presbytero & non Episcopo ordinatus fuisset. Ischyras scilicet, qui se Presbyterum mentiebatur, seductus ab Arianis, accusabat Athanasium, quasi per Macharium, quem apud se miserat, sacrum calicem tempore ipso sacrificii fregisset. Synodus ut purget Athanasium duo probat: primum, falsam omninò esse fracti calicis accusationem qua postulabatur Athanasius; alterum, Ischyram verum non esse Presbyterum. Primum sic demonstrat: *Locus ille in quo fractum esse poculum ajunt, non erat Ecclesia: Presbyter non erat qui in illo loco habitabat: dies, qua id fecisse Macharium volunt, non erat Dominica. Cùm igitur neque ibi Ecclesia esset, neque qui Sacra faceret, neque dies hoc ipsum requireret, quale, aut quando, aut ubinam mysticum poculum fractum est.* Alterùm verò sic ostendit Synodus. *Is autem est famosus Ischyras, qui nec ab Ecclesia ordinatus est, neque cùm Presbyterorum à Miletio ordinatorum, Alexander Catalogum recepit, iis ille annumeratus est; & sic neque hinc ordinationem habuisse potuit. Unde igitur Presbyter Ischyras? quo ordinante? num Colluthо? id enim solùm restat. Atqui Colluthum, Presbyterum obiisse, ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse, ac omnes qui ab eo schismatis tempore ordinati sunt, ad Laicorum statum redactos ita conventibus interesse, omnibus notum, ac nulli dubium est: quomodo igitur privatus homo in privata domo habitans, poculum mysticum habere credatur?* Idem prorsus testantur omnes qui in Mareote sunt Presbyteri & Diaconi. *Ischyras*, inquiunt, *minister Ecclesiæ nunquam extitit; sed cùm sese jam pridem jactaret Colluthi esse Presbyterum, cognatis exceptis, ejus nemo verbis fidem adhibuit.*

Apud S. Athan. Apol. contra Arianos L. 1. n. Edit. Pag. 133. & 134. & T. 2. Conc. t. 547.

Ibid. Pag. 190.

S. Epiphanius hæresi 75. Aerium confutat qui Presbyteros & Episcopos auctoritate pares & æquales esse contendebat: è contra magnum discrimen inter illos esse probat S. Epiphanius, isto præsertim titulo, quòd Episcopi patres Ecclesiæ generent per Ordinationem, Presbyteri verò filios dumtaxat Ecclesiæ, per Baptismum. Unde sic concludit, *Quinam fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet?*

Tom. 1. p. 908.

S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos ostendit cum Hilario Diacono & Heresiarcha totam sectam periisse, quia cùm Diaconus tantùm esset, nullum potuit ordinare ministrum. Et in Epistola ad Evangelium 85. aliàs 91. *Quid enim*, inquit, *facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Ergo istud singulare ac eximium est Episcoporum privilegium, quòd ministros Ecclesiæ creare seu ordinare possit; quod nullatenus possunt Presbyteri.

T. 4. p. 2. p. 303.

S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius in caput 3. & 4. & prioris ad Timoth. idcircò Episcopos cum Presbyteris ab Apostolo confundi asserunt, quòd seposito Ordinationis jure specialiter Episcopis addicto, parum intersit Episcopum inter ac Presbyterum; atque nomine *Presbyterii* apud Apostolum, Episcopos intelligendos esse, cùm absurdum sit,

sit, credere divum Paulum Presbyteris auctoritatem dedisse Ordines conferendi. *Sola Ordinatione*, ait S. Chrysostomus Hom. 11. in primam ad Timoth. *superiores sunt Episcopi, atque hoc tantùm, plus quàm Presbyteri habere videntur.* Ed. Commel. pag. 1574.

Concilium Hispalense II. an. 619. cap. 5. judicat irritam esse Ordinationem, in qua Presbyter benedictionem dederat, idest verba formæ, seu orationem pronuntiaverat, dum Episcopus, qui præ oculorum dolore legere non poterat, manus imponebat. Tom. 5. Conc. p. 1665.

Concilium denique Tridentinum, ut alia multa mittamus, Sess. 23. Can. 7. sic statuit: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ∴ anathema sit.* Eamdem doctrinam exposuerat cap. 4.

SECUNDA CONCLUSIO.

Simplex Sacerdos, accedente Ecclesiæ vel S. Pontificis dispensatione, potest conferre Tonsuram, minores Ordines, & Subdiaconatum; non verò alios majores seu hierarchicos Ordines, scilicet Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum.

Prima pars probatur. 1. Quia quæ ex una pendent Ecclesiæ institutione, ea possunt conferri per ministrum ab Ecclesia designatum; quemadmodum ea quæ à solo Christo sunt instituta, non ab aliis, quàm ministris à Christo Domino constitutis possunt administrari: atqui Tonsura clericalis, minores Ordines & Subdiaconatus ex sola Ecclesiæ institutione suam ducunt originem, siquidem de illis ne vel minima quidem fit in Scripturis mentio, neque Traditio docet eorum institutionem ad Christum esse referendam; ergo &c.

Probatur 2. Quia de facto Ecclesia Presbyteris aliquando privilegium indulsit, ut conferrent illos Ordines inferiores non hierarchicos.

Dicuntur privilegium illud habere Cardinales, consuetudine quadam veteri per SS. Pontifices approbata. Privilegium Abbatum in Jure expressum est, ut nempè suis Monachis minores conferre possint Ordines. Ita Can. 14. Synodi VII. generalis, ubi dicitur: *Lectoris autem manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi, si dumtaxat Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum.* Duo hìc desiderat Synodus in Abbate, ut possit aliquem ex suis ordinare in Lectorem. 1. ut ipse Abbas ab Episcopo fuerit benedictus per impositionem manuum. 2. ut sit Presbyter. Idem privilegium firmatum legimus Cap. *Requisivit*, quod est Alexandri III. Extrav. *De ordinatis ab Episcopo*. Et Cap. *Contingat*, quod est Innocentii III. Extrav. *De ætate & qualitatibus ordinandorum*. Privilegium illud confirmavit Concilium Trid. Sess. 23. cap. 10. *Abbatibus*, inquit, *& aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit Tonsuram, vel minores Ordines conferre.* Hall. p. 566. Tom. 7. Conc. p. 607. E. Tom. 14. Conc. p. 868. B.

Dum prohibet Synodus ne Abbates cuicumque extraneo sibi non subdito conferant Tonsuram clericalem ac minores Ordines, haud dubiè non improbat sed consentit, ut suis subditis eos conferant.

Probant aliqui Conclusionem nostram exemplo & facto Chorepiscoporum, quo-

quorum plerique cùm simplices essent Ordinatione sua Presbyteri, ordinasse tamen leguntur inferiores ministros, etiam Subdiaconos. Concilium enim Meldense cap. 44. vetat *ne Ordines ecclesiasticos, qui per impositionem manuum tribuuntur, idest non nisi usque ad Subdiaconatum, conferant*. Idem legimus statutum Can. 10. Concilii Antiocheni, & 4. Concilii Hispalensis. Verùm cùm non levis sit inter Theologos controversia circa veram & intrinsecam Chorepiscoporum potestatem, an nempè veri fuerint Ordinatione sua & charectere Episcopi, an dumtaxat simplices Sacerdotes, de qua re inferiùs, idcircò ab ea probatione hìc supersedemus.

Tom. 7. Conc. p. 1834. A.

Probatur 3. ratione veluti à priori: Quia nempè Ordines illi inferiores nec immediatam habent relationem ad corpus & sanguinem Christi, sed dumtaxat potestatem deserviendi sacro Missæ sacrificio largiuntur, quæ aliis etiam non ordinatis convenire potest; nec ad populum regendum, aut ullo Sacramento juvandum spiritualem vim ullam conferunt: unde nihil mirum est, quòd minister eorum Ordinum non sit ex divina institutione ita determinatus, quin ex Ecclesiæ commissione mutari possit. Consentaneum nempè est, ut cùm functiones istorum Ordinum aliis, quàm qui solito more ordinati sunt, convenire possint, minister quoque eorum Ordinum, alius ab Episcopo; qui Ordines istos conferre solet, esse queat.

Hall. pag. 58. B.

Secunda pars Conclusionis, nempè Ordines sacros & hierarchicos, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, à solis dumtaxat Episcopis validè & legitimè conferri posse.

Probatur 1. Quia & Scriptura, & universa Traditio Ecclesiæ non alium assignat eorum Ordinum ministrum, quàm solum Episcopum; & nulli alii legitur unquam concessa talis facultas ac licentia, quantacumque fuerit aliunde necessitas. Quid ita? quia quæ sunt juris & institutionis divinæ immutari non possunt, & quæ pendent essentialiter à charactere seu Ordinatione Episcopali, à nullo alio præterquam Episcopo perfici possunt. Revocanda hìc sunt ea omnia Scripturæ & Traditionis testimonia quæ Conclusione prima laudata sunt.

Et verò probabile non est, ait hìc Hallerius, quòd, si Christus Ecclesiæ suæ potestatem reliquisset dispensandi cum simplici Presbytero, ut alios Presbyteros posset creare, otiosa per tot sæcula mansura fuisset: præsertim, cùm, si quæ unquam occasiones hac potestate utendi futuræ prævideantur, vix cum iis comparandæ sint, quæ olim sese obtulerunt, cùm Episcopi laterent in cryptis, quærerentur ad necem, Imperatorum paganorum, vel hæreticorum Regum edictis nominatim proscriberentur, vetarentur Episcoporum Ordinationes, ut iis sublatis totus Clerus, Ecclesiaque ipsa (si fieri posset) deficeret.

Hall pag. 572. B.

Addit Hallerius communem hanc esse Doctorum sententiam. *Doctorum autem communis iste consensus in re quæ à traditione pendet, maximi momenti censendus est. Nulla enim*, pergit ille sapienter ac verè, *periculosior via est indagandæ veritatis Catholicæ circa Sacramenta, & alia, quæ à divina institutione dependent, & aliter atque aliter contingere potuerunt absque aliqua fidei injuria, absque ulla divinæ providentiæ injusta absurditatis nota, quàm humanis argutiolis, & ex Philosophiæ petitis conjecturis eam expiscari, quæ sola traditione constat.*

Ibid. A.

Probatur 2. Quia non magis conferri potest simplici Presbytero facultas ordinandi alios Presbyteros, quàm facultas consecrandi Eucharistiam & absolvendi à peccatis conferri possit ei qui non sit Ordinatione sua Sacerdos:

cerdos: atqui istud posterius fieri non potest, ergo neque prius. Neque hic alia quærenda est ratio, quàm Christi voluntas atque institutio.

Solvuntur Objectiones adversùs primam Conclusionem.

Objicies 1. Concil. Nicænum generale I. in Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, & ad fratres, Ægyptum, Lybiam & Pentapolim incolentes, discrimen statuit inter eos qui à Meletio schismatico fuerant ordinati, ut qui ejus schismati adhæserant, redeuntes ad signum Ecclesiæ, tamquam Clerici recipiantur, dempta tamen illis in pœnam schismatis facultate suo suffragio probandi ac confirmandi eos, qui à populo & Clero in ministros Ecclesiæ electi & nominati fuerant. *Illi autem*, inquit Concilium, *qui Dei gratia* ∴ *ad nullum schisma defecisse comperti sunt, & se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt; jus habeant, & ordinandi, & eos qui digni Clero fuerint, nominandi*. Ergo tunc temporis Presbyteri jus & potestatem habebant ordinandi. *Apud Theodor. L. 1. c. 9. Socrat. L. 1. c. 19.* *Tom. 2. Conc. p. 250.*

Resp. potestatem illam *ordinandi* quam Clericis non schismaticis Concilium permittit, in hoc uno positam fuisse, ut licitum ipsis foret, non quidem consecrare, seu verè ordinare, (quod nusquam aliis quàm Episcopis datum est) sed suo suffragio eligere, probare, confirmare ministros à populo electos & nominatos, etiam non expectata cæterorum de Clero approbatione ac confirmatione. Aliis verò, qui Meletiano schismati adhæserant, permittit quidem Concilium in Clero manere, imò & eligere ministros, (verisimile quippè non videtur voluisse Concilium jus illud eis adimere, quod populo concedebatur,) sed prohibet, ne suo solo suffragio electionem ministrorum à populo factam approbent ac confirment, non expectata aliorum Clericorum sententia.

Neque verò est quòd verbum græcum προχειρίσεσθαι, quo Synodus utitur, nobis objiciatur: nihil enim aliud significat, quàm præordinare, designare, eligere. Quo sensu usurpatur in Actibus Apostolorum cap. 22. v. 14. ubi verbum προεχειρίσατο, Vulgata reddit, *præordinavit*, ut significet S. Paulum à Deo præordinatum seu designatum fuisse Gentium Apostolum.

Objicies 2. Concilium Hispalense II. an. 613. cap. 5. refertur dist. 23. Cap. *Quorumdam*, sub nomine Concilii Toletani, in quo *cùm relatio facta fuisset de quibusdam Igabrensis Ecclesiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterium, duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis, contra ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse* ∴ Decrevit dicta Synodus, *ut à gradu sacerdotalis vel Levitici Ordinis, quem perversè adepti sunt, depositi, æquo judicio abjiciantur: tales enim meritò judicati sunt removendi, quia pravè inventi sunt constituti*. Atqui ab Ordine non removerentur, nisi priùs eum recepissent. *Tom. 5. Conc. p. 1665.*

Resp. hac Concilii Hispalensis auctoritate Conclusionem nostram confirmari potius, quàm infirmari. Siquidem idcircò perversè illi dicuntur ordinati, quia Sacerdos benedictionem dederat, hoc est, orationem, quam Episcopus præ oculorum dolore legere non poterat, pronuntiaverat, in qua oratione posita erat Ordinationis forma. Deponendi autem illi ministri dicuntur, non quidem ab Ordinatione, quam verè ac validè non susceperant, sed ab exercitio & ministerio illius, quod injustè sibi arrogabant.

Objicies 3. Populus in primitiva Ecclesia jus habuit suffragii in Ordinatione

ne ministrorum, ex cap. 6. Act. Apostolorum, & ex S. Cypriano Epist. 33. & 68. Ergo jus Ordinationis ad solos non pertinet Episcopos.

Resp. nego consequentiam. Nam aliud est habere jus & suffragium eligendi, & aliud habere jus ordinandi. Potuit aliquando Ecclesia concedere jus suffragii in deligendo Pastore, sicut videmus etiamnum jus nominandi ad Beneficia interdum concedi Laicis; at jus Ordinationis, quod fundatur in Ordine ac charactere Episcopali, Laicis concedi non potest.

Objicies 4. Presbyteri in Ordinatione Presbyterorum simul cum Episcopo manus imponunt, ex Concilio IV. Carthag. cap. 3. & ex praxi hodierna, quod voluit procul dubio indicare Apostolus 1. ad Timoth. 4. v. 14. cùm dixit: *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*. Ergo saltem cum Episcopo Presbyteri sunt comministri Ordinis sacerdotalis.

Resp. nego conseq. Jam observavimus nomen Presbyterii ab Apostolo usurpari pro cætu seu consessu Episcoporum: manus ergo illa impositio quam simplices Presbyteri adhibent in Ordinatione Presbyterorum, non est sacramentalis, sed cærimonialis, ad fraternitatem & consensionem, societatemque quam cum Presbyteris de novo consecratis ineunt, demonstrandam: cui ritui apud Græcos respondet salutatio, quam Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis, de novo consecratis exhibent. Eam porrò impositionem manuum sacramentalem non esse, vel inde maximè demonstratur, quòd Presbyteri manus imponentes nulla verba proferant; illa ergo impositio manuum materiæ essentialis Ordinis locum hìc non habet, nec vices gerit.

Objicies 5. Aaron fuit ordinatus Sacerdos à Moyse, qui tamen non videtur fuisse Sacerdos, cùm sacerdotium pertineret ad solum Aaronem ejusque filios.

Resp. pertinuisse quidem sacerdotium legale ad Aaronem ejusque filios; attamen satis probabile videtur Moysen fuisse quoque Sacerdotem, sicut censuit & probat S. Leo Epistola 88. ex illo textu Psal. 98. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*.

Tom. 2. p. 633. col. 1.

Objicies denique: Qui potest majus, potest & minus: atqui simplex Sacerdos potest Eucharistiam consecrare, quod sanè longè quid majus est ac præstantius quàm Ordines conferre.

Resp. 1. ista argumenta nullius esse ponderis in iis rebus quæ pendent ex libera Christi Domini voluntate & institutione.

Resp. 2. eum, qui potest majus, posse minus ejusdem generis subordinatum & naturale, esto: in rebus diversi generis non subordinatis, & à sola concedentis voluntate dependentibus, quales sunt Eucharistiæ consecratio, & Ordinis collatio, nego.

Solvuntur Objectiones adversùs secundam Conclusionem.

Objicies 1. Eugenius IV. S. P. in Decreto seu Instructione Armenorum ait, ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis esse Episcopum; ergo Sacerdos potest esse minister extraordinarius.

Resp. nego conseq. Nam ideo ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis Episcopum dixit Eugenius, quia cùm ibidem Subdiaconatus expressam, minorum verò Ordinum mentionem saltem subobscuram fecisset, nisi hanc particulam *ordinarius*, cùm de ministro Ordinis loquitur, adhi-

adhibuisse, tam Subdiaconatus, quàm minorum Ordinum simplices Presbyteros ministros extraordinarios non posse affirmare visus fuisset; qua de re litigare inter se Theologos non ignorabat. Quapropter non immeritò conjici potest, noluisse Summum Pontificem hoc suo Decreto seu Instructione ulli parti præjudicium inferre.

Instabis: Cùm idem Pontifex in eodem Decreto dixit, ministrum Confirmationis ordinarium esse Episcopum, hac loquendi ratione innuit, simplicem Presbyterum posse ex concessione Sacramentum illud administrare. Idem etiam colligitur ex Concilio Trid. tum Sess. 7. Can. 3. ubi definit ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis esse Episcopum; tum Sess. 23. Can. 7. ubi definit utramque potestatem, & confirmandi & ordinandi, Episcoporum propriam esse nec Presbyteris communem. Sicut ergo meritò inferunt Theologi, Sacerdotem esse posse extraordinarium ministrum Confirmationis, ita prorsus & de ministro extraordinario Sacramenti Ordinis sentiendum.

Resp. ad primum, Eugenium S. P. in ea fuisse mente atque sententia, Sacerdotem ex concessione Ecclesiæ posse administrare Sacramentum Confirmationis, cujus concessionis aliqua exempla exstare non obscurè significat in hoc ipso Decretò. Non idem porrò asseruit de ministro Sacramenti Ordinis; & ne vel minimùm quidem innuit, datam aliquando Presbyteris licentiam ordinandi alios Presbyteros.

Resp. ad secundum, Concilium Trid. Sess. 7. Can. 3. noluisse quidquam definire circa ministrum extraordinarium Sacramenti Confirmationis, de quo litigare inter se Theologos non ignorabat, quorum diversis opinionibus ne præjudicium inferret, de industria apposuit vocem hanc *ordinarius*, cum qua negari vel affirmari potest, simplicem Sacerdotem posse, vel non posse ex dispensatione Ecclesiæ conferre Sacramentum Confirmationis, Concilium enim, ait sæpius Pallavicinus, *congregatum non fuerat ad decidendas Scholasticorum opiniones, sed ad errores Novatorum damnandos.*

Ad testimonium verò ex sess. 23. Can. 7. dico, Synodum ne vel leviter quidem nostram impetere sententiam. Etsi enim utramque potestatem ordinandi & confirmandi conjungat, non ideo tamen utriusque eamdem rationem esse censet, præsertim cùm ex professo agens de Sacramento Confirmationis, expressè definiat simplicem Sacerdotem non esse illius ordinarium ministrum; agens verò de Ordinis Sacramento, potestatem ordinandi Episcopis solis simpliciter attribuat, ministri ordinarii nullam faciens mentionem.

Objicies 2. Innocentius VIII. S. P. an. 1489. concessit Abbati Cisterciensi facultatem conferendi Ordines Diaconatus & Subdiaconatus Monachis sui Ordinis, *ne fortè*, ait privilegium, *Monachi extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur*. Bullam hanc se legisse, ac in Collegio Complutensi Societatis Jesu asservari testatur Vasquez in 3. p. S. Th. disput. 243. cap. 4. Ejusdem meminit Navarrus consiliorum L. 5. de privilegiis agens, consilio 13. ubi ait, Abbates Cisterciensis Ordinis ante Concilium Trid. semper hoc privilegio & facultate usos fuisse. Idem confirmat Morinus, de sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 4. cap. 3. n. 2. Exstat istud privilegium Lib. 1. privilegiorum Ordinis Cisterciensis, privilegio 118. Major in 4. dist. 7. qu. unica, paragrapho, *Secundò arguitur*, affirmat generatim per Bullas Pontificum aliquando illis Abbatibus concessum fuisse, ut omnes Ordines, excepto sacerdotio, conferrent. Refert citato locò Vasquez, multos

tos

tos recentiores Auctores testari se vidisse similem Bullam concessam Abbatibus Benedictinis: addit, nec deesse Theologos, qui dicunt se accepisse à viris fide dignis, hoc idem privilegium Prælatis Franciscanis in India concessum fuisse. Ita revera testatur Henriquez in Summa, in additionibus ad Librum 10. de Ordine.

Resp. 1. ex monumento dubiæ ac incertæ auctoritatis nonnisi incertum ac dubium deduci posse argumentum: at si suppostitium non est ac fictum istud privilegium, ad minùs dubiæ admodum ac incertæ auctoritatis illud esse fatendum est.

I. Quia ita sentiunt nonnulli graves Theologi. Navarrus loco paulò antè citato vocat privilegium illud *exorbitans*. Hallerius sectione 5. de ministro sacræ Ordinationis art. 2. parag. 2. nu. 21. ait probabilius videri, illud fictum esse ac suppostitium. Addit, *nec nostra nec patrum no-*
P.564. C. *strorum memoria Cistercienses eo privilegio usos fuisse: quod si à sancta Sede obtinuissent, nusquam procul dubio ab ejus usu tamdiu se continuissent, præsertim in Gallia*. Sylvius in Supplementum S. Thomæ qu. 38. art. 1. eadem ratione motus ait, se *cum aliis ambigere an illud privilegium, quod Vasquez refert se vidisse, emanaverit à Pontifice*. Victoria in Summa n. 235. ait, se vidisse Bullam qua Cisterciensis Abbas jus habet conferendi Subdiaconatum; additque aliquos idem affirmare de Diaconatu. Bulla ergo quam vidit Victoria, non illa ipsa est, quæ hìc objicitur, in qua tam expressè mentio fit Diaconatus, ut de Subdiaconatu aliquid legi non potuerit, quin simul de Diaconatu legeretur; neque Victoria alienis, sed suis propriis oculis rem haud dubiè statim deprehendisset.

Concilium denique Trid. Sess. 23. tum cap. 8. quo sacram Ordinationem Episcopis reservat, tum cap. 10. quo Abbatum & aliorum Exemptorum privilegia restringit, nullam omnino facit mentionem hujus privilegii, quod sanè silentio non prætermisisset, cùm alia plura minoris momenti abrogaverit.

II. Bulla hæc nec in Bullario Romæ edito, nec in publicis monumentis, quibus Pontificum Constitutiones referuntur, invenitur.

III. In prima hujus Bullæ parte seu supplicatione Abbas hoc unum postulat, ut sibi renovetur privilegium Monachis suis conferendi Tonsuram & minores Ordines; in posteriori autem parte, sive in concessione, datur facultas conferendi Subdiaconatum & Diaconatum. Ultra petita S. Pontifex concedit.

III. Concilium Trid. Sess. 23. de reformat. cap. 10. vetat ne Abbates aliis quàm suis Tonsuram & Minores conferant.

Resp. 2. dato & non concesso verum esse, non fictum istud privilegium, mentem Innocentii VIII. istam dumtaxat fuisse, ut Abbates Cistercienses Litteras dimissorias Monachis suis dare possent, quibus potestas fieret cuilibet Antistiti Catholico ritè promoto, Monachos Cistercienses ordinandi, non habita Diœcesum & Provinciarum ratione. Ita Bullam hanc interpretatur Bensonius Lib. 2. de Anno Jubilæi cap. 23. & asserit hoc ipso sensu expositam fuisse à sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete an. 1592. imò & à Clemente VIII. in Bulla Cisterciensibus data.

Objicies 3. Non pauci, tum veteres tum recentiores Scholæ Magistri ac Cononistæ quos appellat Morinus, de Ordinationibus parte 3. Exercitatione 4. cap. 3. docent esse penes S. Pontificem delegare simplicem Presbyterum, non tantùm ut Diaconos & Subdiaconos, sed etiam Sacerdotes possit ordinare.

nare. Ipse Vasquez qui de Subdiaconis & Diaconis affirmatè pronuntiat, dubius videtur de Presbyteris, neque rem definire audet, sed quæstionem versat in utramque partem, permisso lectoribus judicio. *Porro*, inquit disput. 243. in 3. partem S. Th. cap. 4. in fine, *in hoc & præcedenti capite* P. 776. col. 2. *opposita Auctorum placita, & eorum fundamenta circa hanc quæstionem* (de delegatione simplicis Presbyteri ad ordinandos Presbyteros) *memoramus, & qua potuimus diligentia, expendimus: judicium autem lectori relinquere visum est.*

Resp. salva quæ his Theologis debetur reverentia, potiorem à nobis habendam esse rationem Scripturæ sacræ, ac Traditionis Ecclesiæ, qua nobis exploratum est Ordinationem sacram ita pendere à dignitate ac charactere Episcopali, ut cuicumque non Episcopo committi ac delegari non possit potestas conferendi sacros & hierarchicos Ordines: neque in iis quæ facti sunt, & à libera Christi instituentis voluntate pendent, juvat ratiociniis & conjecturis indulgere. *Mentis nostræ partus non audemus tradere*, inquiebat S. Basilius, *ne verba pietatis censeantur humana; sed quæ à sanctis Patribus edocti sumus, ea nos interrogantibus annuntiamus. Porro constat*, ait Catechismus Concilii Trid. parte 2. de Sacramento Ordinis num. 53. *ad Episcopum eam administrationem* (Ordinis) *pertinere; quod etiam sanctarum Litterarum auctoritate, certissima Traditione, omnium Patrum testimonio, Conciliorum decretis, sanctæ Ecclesiæ usu & consuetudine facile erit comprobare.*

Objicies 4. Presbyteri possunt consecrare Episcopos, quantò magis & Presbyteros?

Antecedens probatur testimonio Eutychii Alexandrini Patriarchæ in Chronico arabicè scripto, quod latinè reddidit Joannes Seldenus, in quo testatur, morem Ecclesiæ Alexandrinæ fuisse, ut cùm vacaret Patriarchatus, eligerent unum ex duodecim Presbyteris, & reliqui undecim ipsum per impositionem manus consecrarent in Episcopum. Addit ibidem, ab Anania, quem Marcus Evangelista constituit Patriarcham Alexandrinum, usque ad tempora Demetrii Patriarchæ, per ducentos annos nullum in Ægypto fuisse Episcopum.

Resp. totam hanc Eutychii narrationem falsam videri ac commentitiam quoad duo illa dicta capita. Namque 1. omninò videtur commentitium quod ait, undecim Presbyteros manus imposuisse duodecimo, & in Patriarcham Alexandrinum consecrasse: tum quia S. Hieronymus, qui totus est in asserenda, quantùm potest permittere Ecclesiæ Traditio, Presbyterorum cum Episcopis paritate, hanc demonstrans ab antiqua Ecclesiæ Alexandrinæ praxi, quæ aliarum Ecclesiarum morem in Episcoporum suorum consecratione non sequebatur, sed tantùm defuncto Episcopo, alium de corpore suo sufficiebant Presbyteri, non convocatis Provinciæ Episcopis, ut in aliis Ecclesiis fieri solebat; sanctus, inquam, Hieronymus non refert hanc Eutychii historiam, illam profectò non omissurus, si nota ipsi fuisset, ex qua scilicet gravissimum in rem quam agebat duxisset argumentum: tum quia manifestè adversatur doctrinæ S. Hieronymi, qui postquam retulit morem illum Alexandrinæ Ecclesiæ, ex illo propositionem infert huic Episcopi consecrationi factæ à Presbyteris planè contrariam, Epistola 91. aliàs 85. ad Evangelium. *Quid enim*, inquit, *facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter* T. 4. p. 2. p. 803. *non faciat?* 2. Non minùs à vero alienum videtur, per annos ducentos nullum extitisse in omni Ægypto Episcopum. Id verò patet in Epistola Alexandri

dri Patriarchæ Alexandrini, quam exoriente primùm hæresi Ariana scripsit ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, apud Socratem L. 1. Historiæ cap. 6. *Nos quidem*, ait, *unà cum Ægypti ac Lybiæ Episcopis*, *prope centum numero*, *in unum congregatis*, *tum ipsum*, (Arium,) *tum eos qui illi adhæserunt*, *anathemate perculimus*. Unde autem tanta Episcoporum frequentia, si annis ante hoc tempus circiter nonaginta, nullus erat in toto Patriarchatu Alexandrino Episcopus? Idem patet ex S. Athanasio Apologia contra Arianos: *Sunt autem*, inquit, *ex Ægypto & Lybia & Pentapoli Episcopi propemodum centum*, *quorum nemo nos accusavit*. Huic numero consentit Epistola Concilii Sardicensis ad universos Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, cui subscripserunt nonaginta quinque Episcopi Ægypti, ut legere est apud S. Athanasium in eadem Apologia. Sed de hoc Eutychii testimonio recurret inferiùs adhuc dicendi occasio.

Ed. Vales. p. 11. C.

Tom. 1. p. 187. B.

Objicies 5. Cassianus Collatione 4. c. 1. refert Paphnutium Presbyterum Monachorum patrem, ordinasse Danielem suum discipulum, primò in Diaconum, secundò in Presbyterum.

Resp. dist. ant. refert illum ordinasse suum discipulum in Diaconum & Presbyterum, offerendo illum consecrandum Præsulibus Ecclesiæ, concedo: quasi per se manus illi imposuerit, nego. Dicitur enim tantùm Daniel ille à Paphnutio prælatus ad Diaconi officium, & provectus honore Presbyteri; quibus verbis satis apertè significatur, hoc unum duntaxat curasse Paphnutium, ut Daniel ad Ordines illos promoveretur, modo scilicet Ecclesiæ consueto.

Objicies 6. Corepiscopi erant simplices Ordinatione sua Presbyteri: sed alios Presbyteros ex licentia proprii Episcopi ordinabant; ergo &c.

Resp. majorem propositionem gravem pati apud Theologos difficultatem, quam inferiùs, Deo dante, expendemus; inter illos enim Chorepiscopos aliquos fuisse Ordinatione sua veros Episcopos, alios autem simplices Sacerdotes, multi opinantur, à qua controversia hìc supersedemus.

Objicies 7. exemplum Novati Presbyteri, qui, teste S. Cypriano Epist. 49. *Felicissimum satellitem suum Diaconum suum sua factione & ambitione constituit*: hanc verò Ordinationem irritam & cassam non habuit S. Cyprianus.

Resp. 1. dist. maj. Novatus Felicissimum constituit Diaconum, idest constitui seu ordinari curavit sua factione & ambitione, inscio S. Cypriano, per aliquem Episcopum, (haud dubiè Evaristum) qui schrismaticæ Novati factioni se adjunxerat, *quique*, ait S. Cyprianus, *de Episcopo nec Laicus remansit*, *Cathedræ & plebis expers*, *& de Ecclesia Christi exul*, concedo: Diaconum constituit, idest per se ordinavit absque ministerio manus Episcopi alicujus, nego. Eodem quippe sensu ac modo Novatus Felicissimum Carthagine Diaconum constituisse dicitur à S. Cypriano, quo Romæ Episcopum Novatianum: *Qui istic*, inquit, *adversus Ecclesiam Diaconum fecerat*, *illic Episcopum fecit*. Atqui certò constat, Novatum Romæ Episcopum non fecisse ordinando manibus suis Novatianum, sed advocando tres Episcopos seductos ac temulentos, qui in privato cubiculo manus ipsi imposuere; ergo pariter & Felicissimum sic ordinari curavit Diaconum, ministerio alicujus Episcopi vel schismatici vel seducti.

P. 63.

Ibid.

Resp. 2. nego min. Quamquam enim expresse non legamus à S. Cypriano irritam & cassam fuisse declaratam hujusmodi Ordinationem, (si à simplici Presbytero facta est) nihilominus apartè declarat eam fuisse

adver-

advèrsùs Ecclesiam, se nec permittente, nec sciente, sed factione & ambitione Novati factam. *Ibid.*

Objicies 8. Philostorgius in Eclogis L.2. c.5. narrat regnante Valeriano & Gallieno, Scythas irruptionem in solum Romanum fecisse, ac multos secum etiam Clericos captivos abduxisse, qui è Barbaris plures pia sua conversatione ac prædicatione ad fidem adduxerunt. Inter illos verò Clericos fuisse quasi ducem Ulphilam, qui ab Imperatore primus eorum Episcopus constitutus est, & ab Eusebio consecratus fuit. Inde colligit Blondellus per annos 70. ab anno scilicet 260. ad 327. quo sedem Nicomediensem recuperavit Ulphilæ primarius ordinator Eusebius, Clericos captivos pleno jure administrasse Ecclesias Gothicas, ac ministros ordinasse.

Resp. 1. Esto Clerici illi Ecclesias illas administraverint communi consilio ac regimine, an consequens est, aut eos jus Ordinationis sibi usurpasse, aut inter illos nullos fuisse veros Episcopos, qui ordinandis ministris manus imponere posent? minimè profectò.

Resp. 2. falsò supponere Historicum Arianum, Ulphilam fuisse primum Gothorum Episcopum, siquidem Socrates Lib.2. Hist. c.41. testatur, Theophilum Gentis illius Episcopum Nicæno Concilio adfuisse & subscripsse: nulla igitur Philostorgio fides habenda, qui legationem Ulphilæ, cujus occasione Episcopus constitutus est, ad tempora Constantini refert, quam Socrates L.4. c.33. Sozomenus L.6. c.37. & Theodoretus Lib.4. c.37. sub Valente contigisse narrant. Ideo autem Philostorgius Arianus Historicus Ulphilam primum Gothorum Episcopum fuisse scripsit, ut Antistitem illum, qui ab Eudoxio deceptus & muneribus illectus Gothos ad Arianam hæresim perduxit, amplius commendaret, & illam Ecclesiam ab Arianis fuisse fundatam ac institutam persuaderet.

Objicies 9. Cùm an.370. decreto Valentis Imperatoris Orthodoxi Præsules in exilium amandati fuissent, Meletius Antiochenus in Armeniam, Pelagius Laodicenus in Arabiam, Eusebius Samosatenus in Thraciam, Ægyptii in Palęstinam, Flavianus & Diodorus Presbyteri gregis cura suscepta, non modò Hæreticorum impetum propulsarunt, sed ubicunque necesse fuit, novis viduatas Ecclesias Episcopis regendas commiserunt. Ita significat S. Epiphanius hæresi 73. Inde colligit Blondellus, populos per Orientem complures, sæviente persecutione, Episcopos sibimet constituisse, non per se, sed per reliquos Presbyteros qui ipsos fide imbuerant, ordinantes: quandoquidem nec Orthodoxi Præsules longè semoti, nec Ariani à quibus secessionem faciebant, nec Paulinus, quem Meletio superpositum indignabantur, nec Ægyptii Confessores Paulini partibus addicti à Populis expetitos provehere poterant.

Resp. nego illationem Blondelli. Presbyteri quidem & Fideles eligebant quos in Episcopos ordinari opus esset: at illi per se non ordinabant, sed Episcopis ordinandos offerebant. Id ita esse patet 1. exemplo & historia sancti Eusebii Samosatensis Episcopi, de quo hæc refert Theodoretus L.4. Hist. Ecclesiast. c.13. *Hic namque*, inquit, *cùm multas Ecclesias Pastoribus viduatas esse comperisset, militarem habitum sumens, & tiara capiti imposita, Syriam, Phœnicem ac Palæstinam peragravit, Presbyteros ordinans ac Diaconos, aliosque Ecclesiæ Ordines supplens. Ac si quando Episcopos eamdem cum ipso doctrinam fidei profitentes reperisset, eos Antistites Ecclesiis indigentibus præficiebat.* *Edit. Vales. p.166. B.*

Patet 2. ex Synodo Arausicana an.441. Can.30. quo statuit, *ut si quis*

Tom. 3. Conc. p. 1451. F. *Episcopus per infirmitatem debilitatemque aliquam, aut hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea quæ nonnisi per Episcopos geruntur, non sub præsentia sua Presbyteros agere permittat, sed Episcopum evocet, & quod in Ecclesia agendum fuerit, imponat.* Porro si Presbyteris delegari posset jus & potestas ordinandi ministros Ecclesiæ, ad quid necesse fuisset Eusebium, de quo mox Theodoretus, mutato habitu cum tanto vitæ discrimine, longinquas peragrare Provincias, ut Presbyteros ordinaret? Quid pariter necesse fuisset statuere, ut Episcopus, qui aliqua infirmitate detinetur, nec per se suas obire potest Episcopales functiones, alium evocet Episcopum? Ista certè Conclusionis nostræ ac fidei veritatem demonstrant.

Objicies 10. Cato Presbyter post obitum Galli Arvernorum Episcopi à Clericis postulatus Episcopus, absque consecratione & ordinatione Episcopalia munia obivit, Presbyteralem inaugurationem sibi sufficere ratus; qua de re legendus Greg. Turonensis lib. 4. Hist. Francorum cap. 5. 6. 7. 11. & 15.

Resp. Catonem illum absque consecratione obiisse quidem aliqua Episcopalis jurisdictionis officia, sed non omnia quæ ad Episcopos pertinent, imprimis verò jus ordinandi Presbyteros, quod nusquam superbus ille ac tumidus Presbyter ausus est sibi arrogare. Persuasum verò nostris Episcopis Gallicanis eo tempore fuisse, præter electionem & postulationem alicujus in Episcopum, necesse esse ut accedat consecratio per manus Episcoporum facta, demonstrant ista verba Episcoporum, qui cùm sancto Gallo justa persolvissent, Catoni dixerunt: *Veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad*
P. 145. E. *Episcopatum*, quibus valere jussis, Cato dixit: *Ego canonicè assumpturus sum hunc honorem*. Nullus autem alius est canonicus modus accipiendi dignitatem Episcopalem, quàm per consecrationem ab Episcopis factam.

Objicies denique exemplum S. Briecii, qui cùm an. Christi 433. stupri insimulatus, iteratis miraculis innocentiam suam confirmasset, non credentibus Turonicis, sed contradicentibus, calumniatur, ejicitur .... quo ejecto Justinianum in Episcopatu constituerunt; ergo &c.

P. 529. A. Resp. Turonicos electum à se Justinianum Episcopis ordinandum obtulisse, non verò propriis suis ordinasse manibus. Ita colligitur ex Gregorio Turonensi lib. 10. c. 31. *Expulso eo*, inquit, *Justinianum Episcopum ordinaverunt*.

Hæc ferè sunt præcipua momenta quæ Blondellus Calvinista in sua pro S. Hieronymo Apologia sect. 3. à pag. 309. usque ad 379. fusè prosequitur, ut probet non constitutione divina, sed Ecclesiastica dumtaxat disciplina jus ordinandi solis Episcopis reservatum fuisse, quod aliquando tamen ipsis Presbyteris commune fuit.

ARTICULUS III.

Quis sit Episcopus à quo percipi debeat Ordinatio.

QUæres 1. An à quocumque promiscuè Episcopo possit Ordinatio percipi.

Resp. Negativè: viguit enim semper hæc in Ecclesia Christi disciplina & praxis, ut Clericus quilibet à proprio suo Episcopo ordinaretur; ab alieno verò nec ordinari posset, nec ulteriùs promoveri, aut retineri, nisi de licentia proprii. Ita vel primis Ecclesiæ sæculis sancitum legimus,

mus, ac serie non interrupta ad Concilium usque Trid. nostraque tempora propagatum & observatum videmus: cujus rei multa testimonia per ætates singulas digesta suppeditabit Hallerius, De sacris Ordinationibus sect. 5. de ministro sacræ Ordinationis cap. 4. art. 1. parag. 1. Unde intelligimus, disciplinam hanc, cujus initium consignari non potest, ex Apostolica Traditione derivari: unum aut alterum, inter multos veteres, retulisse nobis sufficiet Canonem. *Pag. 600. & seq.*

Nicænum decimum sextum, cujus hæc verba sunt: *Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, & in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit is, qui regulæ mancipatur, Ordinatio hujusmodi irrita comprobetur.* *Tom. 2. Conc. p. 43. B.*

Sardicensem decimumnonum in quo hæc legimus, *Ut quicumque ex alia Parochia* (id est Diœcesi) *voluerit alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius & sine voluntate ordinare, non sit rata Ordinatio ejus. Quicumque autem hoc usurpaverit, à fratribus & Coepiscopis nostris & admoneri debet & corrigi.* *Ib. p. 650. C. D.*

His consentiunt plura aliam Conciliorum & SS. Pontificum Decreta, quæ renovavit & auctoritate sua confirmavit Concil. Trident. sess. 23. de reformatione cap. 8. his verbis: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quòd si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Et sessione 7. cap. 11. de reformatione, dixerat: *Facultates de promovendo à quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam: & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.* *Tom. 14. Conc. p. 867. E.* *Ibid. p. 782. B.*

Si verò rationes & causas postulaveris legis tam sapienter institutæ, istas passim tibi suggerent Scriptores Ecclesiastici. *Hall. ib. par. 7. p. 633.*

I. Cùm Episcopus primus sit animarum pastor ac rector, cujus curæ commissa est æterna earum salus, nec aliunde possit ipse solus omnibus & singulis Sacramenta ceteraque vitę spiritualis subsidia, dispensare, ad ipsum maximè pertinet in partem suæ sollicitudinis dignos vocare & ordinare ministros, quorum veluti se vadem ac sponsorem præbet, *Nemo enim assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Contra hunc primarium officii Episcopalis finem agit quisquis alienum Clerum vel ulteriùs promovet, vel retinet invito proprio Episcopo. *Mem du Clergé Tom. 1. p. 831.* *Heb. 5. v. 4.*

II. Clericos inter præcipua Ecclesiæ bona numerandos esse omnes facilè consentiunt; injuriam ergo facit Episcopo, quisquis ab eo ordinatum ad ulteriores gradus eo invito evehit, sibique addicit & alligat: rem quippe alienam usurpat invito Domino. Nam, ait S. Leo Epist. ad Anastasium Thessalonicensem 12. aliàs 82. *gravis injuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia, id quod est utilius, aut pretiosus audet vel allicere, vel tenere.* *To. 1. p. 442. c. 9.*

III. Ad pacem atque concordiam inter Episcopos servandam sapienter omnino provisum fuit, ne unus in alterius jura involaret. Unde Concilium Carthaginense primum cap. 5. paci id conducere dixit, quòd Episcopus alienum parochianum non usurpet; & Concilium Veneticum Can. 10. Clericos ab aliquo promotos, ideo ad superiorem gradum ab alio *Tom. 2. Conc. p. 715. D. E.*

Tom. 4. Conc. p. 1056. B evehi prohibet, *ne concordiam fraternam*, ait, *injuria violata contaminet*. Nemo ignorat quantùm Origenis Ordinatio turbarum ac dissidii excitaverit inter Demetrium Alexandrinum, cujus in Ecclesia Lectoris partes exercuerat, & Theoctistum Cæsareensem ac Alexandrum Hierosolymitanum, à quo Presbyter fuerat ordinatus inconsulto Demetrio. Totus pariter Oriens commotus fuit gravis excitata controversia inter SS. Hieronymum, Epiphanium, & Joannem Jerosolymitanum, eo quòd S. Epiphanius in Monasterio Bethleemitano Paulinianum S. Hieronymi fratrem ad Ordines promovisset. His dissidiis sapienter occurrit lex quam hìc exponimus.

Quarta ratio est, quòd nempe ex illa usurpatione Clericos insolescere, atque in proprios Episcopos rebelles fieri ut plurimum contingeret; vix enim contineas hominem, qui tuo excusso jugo, potest se alteri subjicere, à quo sperat se ad majora promoveri, ac dignitate augeri posse: è contra verò si hac dempta libertate Clerici à suo solùm Episcopo virtutis suæ ac meriti præmia expectent, si nonnisi ab illo, ordine, gradu, dignitate augeri possint, ei proculdubio se magis probare contendent, in officio faciliùs continebuntur, & ipsi ad obediendum promptiores erunt & alacriores.

Quinta denique ratio est, quia proprius Episcopus longè meliùs novit mores, indolem, vitæ institutum suorum, quàm quilibet alius externus & alienus. Cùm igitur ad sacrum ministerium non alii sint promovendi, quàm qui vitæ probitate ac sanctimonia conspicui sunt, ideo alienum Clericum ab alio Episcopo ordinari prohibuit Ecclesia, ne fortè inobedientem vel immorigerum, aut aliquo impedimento canonico detentum, propter quod ab ulteriori gradu repulsus fuerat à proprio Episcopo, alius in damnum Ecclesiæ ac contemptum episcopalis judicii ad superiorem gradum promoveat. Hinc rectè ab Ecclesia institutum, ut qui voluerit ab alieno Episcopo ordinari, deferat Litteras testimoniales, quas vocant dimissorias, proprii sui Episcopi, quibus declarat consentire se ut talis ordinetur, & nullum sibi notum obstare impedimentum. Id si observasset Origenes, non tot turbas ac dissidia excitasset ejus Ordinatio, quam illegitimè factam fuisse causabatur Demetrius, propter canonicum impedimentum quo ille obstrictus erat. Juvenili scilicet impetu ductus Origenes, ut castitatem tutiùs servaret, & calumniandi causam Ethnicis eriperet, virilia sibi absciderat, quæ fortè occasio fuerat cur tam diu sine Presbyteratus dignitate à suo Episcopo relinqueretur. Hoc autem impedimentum cùm in suis Litteris commendatitiis siluisset Demetrius, ab Alexandro & Theoctisto illud ignorantibus, in Presbyterum ordinatus est Origenes, atque hinc gravis illa dissensio quæ viros gravissimos & sanctissimos inter se commisit.

Quæres 2. an & quæ fuerint exceptiones ob quas Clericus ab alieno Episcopo poterat ordinari.

Resp. istas fuisse. 1. si vacantes essent Ecclesiæ, & ab hostibus devastatæ Provinciæ in quibus Clerici erant ordinati, licebat ipsis ad alios se transferre Episcopos, à quibus poterant ulteriùs promoveri. Ita Concilium Chalcedonense Can. 20. & S. Gregorius Magnus Libro 6. aliàs Lib. 5. Epistola 11. qua Fortunato ejusmodi Clericum pro sua Ecclesia postulanti sic

To. 2. p. 799. C. respondet: *Fraternitatem tuam à nobis petiisse recolimus, ut Gratianum Ecclesiæ Venefranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum. Et quoniam nec Episcopum cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non prævidimus*

diffe-

differendam; idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, nostra interveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio constituere Cardinalem. Ratio hujus disciplinæ hæc erat, quòd æquum non videretur, ut tales Clerici vel in suscepto ministerio otiosi esse permitterentur, vel acephali diutius manerent.

II. Cùm plebs alicujus extranei Clerici eximia pietate commota eum in Episcopum aut ministrum postulabat, poterat ille ab alieno Episcopo ordinari. Ita S. Paulinus narrat Epistola 3. aliàs 45. ad Alipium, se *quamquam Burdegalæ à Delphino baptizatum, à Lampio apud Barcinonem in Hispania per vim inflammatæ subitò plebis sacratum fuisse*. Si tamen in Ordinatione sua contestati fuissent, nolle se addici Ecclesiæ in qua ordinabantur, poterant à suis propriis Episcopis repeti & vendicari. Sic idem S. Paulinus Epistola 1. aliàs 6. ad Severum, ait, *ea conditione in Barcinonensi Ecclesia se ordinatum fuisse, ut huic Ecclesiæ non illigaretur*. Unde in Epistola ad Alipium mox citata, profitetur se in sacerdotii ordine cum *Ambrosio consoveri*, à quo Clero suo vindicatus & assertus fuit, *ut etsi*, inquit, *diversis locis degam, ipsius Presbyter censear*. Cui affine illud est quod de Piniano refert S. Augustinus Epistola 126. ad Albinam aliàs 225. cum nimirum, cùm à plebe Hipponensi non sine tumultu ac magnis clamoribus in Presbyterum etiam invitus ordinari postularetur, contestatum fuisse quòd discederet, si vis sibi inferretur, ac ordinaretur invitus. Sic etiam S. Hieronymus à Paulino Antiocheno Presbyter ordinatus, Antiochenum se Clericum negat, quia in Ordinatione sua nullius se Clero addicendum protestatus fuerat.

Edit. Parif. 1685. p. 11. nu. 4.

Ib. p. 7. n. 10.

To. 2. p. 367.

III. Cùm proprius Episcopus aut expressè consentiebat, aut saltem consentire præsumebatur, poterat Clericus ab alio Episcopo promoveri ad superiores Ordines. Sic cùm Origines vitæ suæ ac morum à suo Episcopo laudatrices ac commendatrices gereret Epistolas, ab Episcopis Palæstinæ ex præsumpta Episcopi ipsius voluntate ordinatus est. S. quoque Epiphanium alienę Parœciæ Clericos ordinasse Historici referunt: hocque sibi mutuò Cypri Episcopos libenter concessisse, ipse testatur in Epistola adversùs errores Joannis Jerosolymitani. Quàm malè tamen hæc ipsi cesserint, docent Joannis Jerosolymitani ob id adversùs eum querelæ, & S. Chrysostomi accusationes.

To. 2. p. 313.

Quæres 3. Utrum lex Ecclesiastica, de qua hactenus, non modò Clericos, sed etiam Laicos alterius Diœcesis, vetaret ab alieno aliquo Episcopo ordinari.

Resp. 1. Hanc re ipsa nonnullorum Canonum fuisse mentem, ut nullus Episcopus Laicum alterius Diœcesis suæ Ecclesiæ per Ordinationem alligaret inconsulto proprio ipsius Episcopo. Ita colligere est ex Can. 5. Concilii primi Carthaginensis sub Julio S. P. an. 347. Privatus quippe Episcopus Vegesclitanus suggessit ut statueretur, *non licere Clericum alienum ab aliquo suscipi sine Litteris Episcopi sui, neque apud se retinere, nec Laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus Episcopi, de cujus plebe est*. Gratus Episcopus dixit: *Hæc observantia pacem custodivit. Nam & memini, in sanctissimo Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet; sed si fortè erit necessarius, petat à Collega suo, & per consensum habeat*. Duo hoc in Canone observa ad rem nostram. Primum, ad ætatem usque Concilii hujus primi Carthaginensis observatum fuisse quod

To. 1. Conc. p. 715. D.

proposuit Privatus Episcopus, atque ita pacem custoditam fuisse: alterum, referente ipso Grato, qui cum triginta aliis Africanis Episcopis Synodo Sardicensi interfuerat & subscripserat, hoc ipsum ab illa Synodo statutum fuisse, nempe ut nullus Laicum usurpet alienum, & sine conscientia proprii Episcopi ad Ordines promoveat.

Ibid. p. 487. D. Hoc idem à Concilio Nicæno fuisse observatum testatur Julius S. P. in Rescripto contra Orientales pro Athanasio: *Ut nullus Episcopus*, inquit, *alterius parochianum præsumat retinere aut ordinare, absque ejus voluntate, vel judicare .... quia sicut irrita erit ejus Ordinatio, ita & dijudicatio*. Ex quo Decreto intulit Hostiensis in Summa, De temporibus Ordinationis n. 5. quòd sicut nec Clericus nec Laicus ab alieno Episcopo potest judicari, ita nec ordinari. Simile Decreto Calixti primi, qui diu ante Julium sedit, refert Gratianus: quamquam fatendum sit, istud tum Julii, tum Calixti Decretum multis dubiæ fidei videri.

Antiochenum pariter Concil. an. 341. sedente Julio I. S. P. Canonem edidit qui decimustertius est, ex quo hæc disciplina confirmata potest intelligi. Quamvis enim eò præsertim collimet, ut Ordinationes extra terminos suæ Diœceseos unicuique Episcopo facere prohibeat, videtur tamen ex eo Canone pariter argui posse, Episcopis non licere quemquam ex alienis Ecclesiis ad quodlibet Ecclesiasticum ministerium assumere; generatim enim prohibet, *ne quis Episcopus, nullo vocante, ad aliquorum Ordinationem*, Tom. 2. Conc. p. 567. C. *& Ecclesiasticarum rerum ad se non pertinentium constitutionem inordinatè insolenterque procedat*: quòd si fecerit, pœnas ferat, & quæ attentavit, sint irrita. At Laicum alterius Diœcesis ordinare, pertinet haud dubiè ad rerum Ecclesiasticarum constitutionem, seu disciplinam.

Utilissima verò erat Ecclesiæ ista disciplina, per quam indigni à sacris Ordinibus arcebantur faciliùs: periculum enim erat ne Laicus ex altera Diœcesi veniens, qui alibi natus, alibi diu commoratus erat, quantumcumque etiam per aliquot annos frugi & innoxius videretur, aliquam in tenera ætate vel contraxisset irregularitatem, vel simulatam & larvatam pietatem haberet; neve virus suum, quod in patria effudisset, aliquandiu occultaret: cujus rei exempla habemus in Cerdone, Valentino, Marcione, Origene ipso, quorum primus ex Syria, alter ex Ægypto, tertius ex Ponto Romam venientes, simulantes catholicam fidem, catholicam communionem suffurati sunt, à qua postmodum dejecti fuere. Origenes autem occulto quodam impedimento, quod juvenis in patria sua contraxerat, ligatus, in Presbyterum fuit ordinatus ab iis, à quibus, si impedimentum illud perspectum habuissent, ordinatus proculdubio non fuisset, nisi accessisset expressus proprii ipsius Episcopi consensus.

Resp. 2. disciplinam hanc & legem non semper fuisse religiosè observatam: Laicos enim alterius Diœcesis, si inculpatæ vitæ fuissent, Episcopi ordinare poterant, modò eos suæ Ecclesiæ alligarent in ea permansuros & ministraturos. Ita colligimus ex Can. 9. Concilii I. Arausicani Tom. 3. Conc. p. 1449. B. an. 441. *Si quis*, inquit, *alienos cives, aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinati in ullo accusantur; aut ad se eos revocent, aut gratiam ipsis eorum impetrent, cum quibus habitant*. Et Can. 8. *Si quis alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, priùs definiat ut cum ipso habitet*. Ibid. A. *Sic quoque non sine consultatione ejus Episcopi, cum quo antè habitavit, eum, qui fortasse non sine causa diu ab alio ordinatus non est, ordinare præsumat*. Supponere videtur

istud

illud Concilium, licitum fuisse Episcopis Laicos alterius Diœcesis in Clerum suum dicta conditione cooptare: neque enim aliquas pœnas legimus in eos eam ob rem decretas.

Accedunt vetera exempla benè multa Laicorum qui ab aliis Episcopis promoti sunt ad Cleri ordinem. Origenes Alexandriæ natus, in Palestina à Theoctisto & Alexandro Cæsareæ & Jerosolymorum Episcopis in Presbyterum est ordinatus, S.Paulinus Nolensis Episcopus patria Burdigalensis à Lampio Barcinonensi Episcopo Presbyter creatus est. S.Martinus Sabariæ in Pannonia natus, ab Hilario Pictaviensi Exorcistæ gradum adeptus est. Pariter S. Epiphanius, S. Hieronymus, Paulinianus Hieronymi frater, Augustinus & alii quamplures ab aliis, quàm à suæ originis Episcopis sacram Ordinationem perceperunt. Inde est quòd S. Augustinus Epistola 64. aliàs 235. ad Quintianum, designans Canonem 21. Concilii III. Carthaginensis ann.397. quo prohibetur ne quis alienum Clericum, nisi concedente ejus Episcopo, audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita, observat Canonem loqui de Clericis, non verò de Laicis. *Recense*, inquit, *Concilium, & omnia quæ ibi legeris commenda memoriæ; & ibi etiam invenies, de solis Clericis fuisse statutum, non etiam de Laicis ut undecunque venientes non recipiantur in Monasterium ... Sic enim institutum est, ut Clericum alienum nemo suscipiat. Recenti autem Concilio statutum est, ut de aliquo Monasterio qui recesserint, vel projecti fuerint, non fiant alibi Clerici aut Præpositi Monasteriorum.*

Hal. p. 608. n. 18. & 19.

Tom. 2. p. 152. C.

Quæres 4. quis sit proprius Episcopus à quo percipi debet Ordinatio. Resp. triplicem à Bonifacio VIII. S.P. distingui proprium Episcopum, c. *Nullus. De temporibus Ordinationis*, in Sexto, his verbis: *Cùm nullus Clericum Parochiæ alienæ, præter superioris istius licentiam debeat ordinare, superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet ecclesiasticum; seu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.*

Ob. an. 1303. Edit. Ro. 1582. p. 215.

Ante Bonifacium Clemens IV. qui decimotertio sæculo clavum R. Ecclesiæ tenebat, in ea decretali Epistola, qua vetat Ultramontanum ullum ab Italiæ Episcopis Clericum ordinari sine summi Pontificis, aut Episcopi, de cujus Diœcesi originem traxit, speciali licentia, duplicem assignat proprium Episcopum, *originis nempe, & Beneficii*. In Jure quoque veteri, triplicis illius Episcopi aliquam mentionem fieri, non obscurè colligitur ex antiquis Ecclesiæ monumentis, ut mox patebit. Post Bonifacium verò qui labente decimotertio Ecclesiæ sæculo rem expressiùs definiit, plures Synodi ut Lingonensis anno 1404. Senonensis ann.1528. in Decretis morum, Aquensis an.1585. titulo, *De iis quæ ad Sacramenti Ordinis administrationem pertinent*, & aliæ quamplurimæ triplicem distinxere Episcopum, originis, Beneficii, & domicilii, & ab eorum quolibet licere dixerunt Ordines suscipere.

Ob. an. 1268.

Quæres 5. qui sit proprius originis Episcopus.

Resp.1. Jure veteri proprium Episcopum originis eum fuisse, in cujus Ecclesia quis baptizatus fuerat. Extat eam in rem illustre argumentum in Concilio Carthaginensi III. Can.44. ubi Epigonius Episcopus conquestus est de Juliano, quòd suis manibus baptizatum puerum, impensis educatum, domicilio exceptum, Lectoris grado donatum, Diaconum ordinasset. *Qui*, inquiebat, *à tenera ætate à me baptizatus est, multis annis a me nutritus, & in*

Quis sit Episcopus originis.

Tom. 2. Conc. p. 1175. A. B.

& in Mapalitanorum Parochia Lector factus est, & duobus jam annis illic legit; eum, nescio quonam mediocritatis meæ contemptu subripuit Julianus, & dicit eum esse civem loci Uzaritani ad eum pertinentis: eoque præter meam sententiam usus est, eum enim Diaconum ordinavit. Quibus verbis triplici titulo sibi ereptum restitui petit Clericum, nempe titulo Baptismi, domicilii, Ordinis atque officii.

Resp. 2. Jure novo Episcopum proprium originis eum esse in cujus Diœcesi quis natus est; sine cujus licentia nullus, sive Laicus ordinari, sive Clericus ad ulteriores gradus promoveri potest. Ita Bonifacius VIII. c. *Nullus*, mox citato. Ita Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1657. Ita denique communis Ecclesiarum usus & praxis.

Hujus discriminis ratio aperta est. Olim quippe grandiores & ætate provecti baptizabantur, nunc infantes: unde contingebat sæpius ut alius esset Episcopus nativitatis carnalis, alius spiritalis regenerationis. Cùm verò in ordinandis ministris nulla haberetur ratio eorum quæ ante Baptismum egerant, quæ fuerant aquis Baptismatis perfectè deleta) sed vitæ dumtaxat post Baptismum actæ, longè satius erat ut ordinandi eum proprium haberent Episcopum, & ab eo testimonium vitæ & morum exhiberent, qui fuerat fidei magister, pietatis testis, & actæ post Baptismum vitæ inspector ac censor, quàm qui de anteacta extra Ecclesiam vita nihil ad eum pertinente, nihil ad Ordinationem, aliquid rescire potuisset.

Si verò quæras cujus origo sit necessaria, an patris, an filii; hoc est, loci in quo emissus est in lucem.

Respondebo, in Italia, jure recepto, rationem haberi originis paternæ; ita ut v. g. qui Mediolani natus est, ex patre Genuensi, possit pro arbitrio ad Ordines suscipiendos eligere vel Mediolanensem vel Genuensem Episcopum. Ita docet Zerola in Praxi Episcopali p. 2. verbo *Dimissoriæ*. In Gallia verò nulla solet haberi ratio paternæ originis; & consuetudo sic legem interpretata est, ut per Episcopum originis non alius intelligatur, quàm ille in cujus Diœcesi aliquis natus est.

Duo nihilominus excipiuntur casus.

Primus, si quis Reipublicæ causa absens fuerit, & ad aliquam Regionem missus pro quodam certo tempore, non ita diuturno ut constituendo domicilio sufficiat, tunc si aliquos suscipiat liberos, à paterna origine potius censendi sunt, quàm à propria.

Secundus; si quis fortuitò in aliquo loco natus est, in eo scilicet quem mater pertransibat, aut in quem animo minimè comorandi pervenerat.

Quis Episcopus domicilii.

Quæres 6. Quis sit Episcopus domicilii.

Resp. Episcopum domicilii eum esse, cujus in Diœcesi aliquis ita commoratur, ut perpetuò manendi, nec umquam in locum originis suæ remeandi gerat animum; quique res suas seu fortunas ibidem collocat. Ita domicilium definit Lex civilis cap. *De incolis*. *In eodem loco*, ajunt Imperatores Diocletianus & Maximianus, *singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cùm profectus est, peregrinari videtur; quòd si redit, peregrinari jam destitit*. Inde inferes eos qui studiorum causa in aliqua Academia commorantur, unde absoluto studiorum stadio discessuri sunt; pariter eos qui ad aliquod tempus Reipublicæ causa aliqua in Regione versantur, propriè his in locis domicilii jus non habere.

Lici-

Licitum olim fuisse ab Episcopo domicilii Ordines suscipere, colligitur tùm ex paulò antè citatis Canonibus Concilii I. Arausicani & Carthaginensis III. tum variis exemplis eorum qui ab Episcopis locorum in quibus degebant, sunt ordinati, quales fuere Origenes, S. Hieronymus, S. Paulinus, S. Martinus & alii benè multi quos appellat Hallerius sectione 3. De sacris Ordin. c. 3. art. 4. atque necessariam aliquando fuisse legem hanc & disciplinam demonstrat ibidem paragr. 2. ratione manifesta. *Quippè cùm*, inquit, *Episcopi domicilii ordinandi mores, ingenium, anteactam vitam aliquando meliùs nossent, quàm Episcopi originis*. Propterea quod & Laici sine commendatitiis Episcoporum suorum Litteris, & Clerici excusso proprii Episcopi jugo, nulloque amplius perpetuo Beneficii vel Officii vinculo alligati, quo ferret animus proficisci poterant & evagari. Hall. p. 623. n. 1.

Quoad tempus verò necessarium ut acquiratur jus domicilii, alii decennium, cum Synodo Mediolanensi IV. an. 1576. & Aquensi ann. 1585. alii triennium sufficere existimant. Verùm cùm istud domicilii jus pendeat ex animo seu intentione permanendi perpetuò in aliquo loco, ex spatio illo temporis: quo quis in eodem loco commoratur, nonnisi præsumptio haberi potest, non autem certa probatio acquisiti veri domicilii.

Atque inde factum est, ut Episcopi Gallicani in Comitiis generalibus ann. 1657. dixerint, Constitutionem Bonifacii VIII. *De tribus Episcopis propriis*, in Galliis vix obtinuisse, tum quia difficile est dignoscere quanti temporis domicilium sit necessarium; tum quia jam Clerici non sunt Ecclesiis suis, ut olim, perpetuo Beneficii vel Officii vinculo addicti: quod cùm ad libitum sine proprii Episcopi licentia deserere possint, facile ipsis erit ab uno ad alium transire, & ita nullum certum ac fixum habere proprium Episcopum, etiam Beneficii, à quo possint vel ordinari, vel licentiam obtinere ut ab alio ordinentur. Et re ipsa quidem Episcopi nostri Gallicani nulla ferè habita ratione domicilii, ab Ordinatione Clericorum, qui alibi nati sunt, abstinere solent, eosque ad Episcopos originis mittere: jus etenim originis juri domicilii multùm præponderat; illud enim naturale, istud civile est; illud necessarium, istud voluntarium; illud immutabile, istud variabile. Mem du Clergé t. 3. p. 823.

Quæres 7. quis sit proprius Episcopus Beneficii.

Resp. eum esse in cujus Diœcesi aliquis obtinet Beneficium, sive simplex sit, sive residentiam postulet; sive in titulum, ut vocant, sive in commendam possideatur; sive opimum sit, sive non; sive unum, sive multiplex; aut in una, aut in pluribus Diœcesibus. Quis Episcopus Beneficii.

Olim præcipuus titulus quo Clericos ordinare poterat Episcopus, erat Beneficium, seu Officium quo quis alicui Ecclesiæ obligabatur seu alligabatur. Erant enim ecclesiastici tituli, quibus Clerici addicebantur seu incardinabantur Ecclesiis quarum reditibus alebantur; quibus titulis successerunt postea, quæ jam vocamus Beneficia: solus autem, secundùm ecclesiasticos Canones, Episcopus poterat Clericum ordinare, qui eumdem alicui Ecclesiæ poterat addicere, unde non licebat ipsi sine licentia Episcopi discedere. Ex illa verò antiqua Ecclesiæ praxi nova lex promanavit, quam apertè declaravit Bonifacius VIII. ut nempe ab Episcopo Beneficii, Clericus in ejus potestatem translatus ordinari posset.

Nihilominus Episcopi nostri Gallicani in Comitiis generalibus an. 1657. congregati, censuerunt expedire magis si unus dumtaxat assignetur Episcopus, originis scilicet, à quo percipi possit Ordinatio; ac decreverunt ma-

monendos esse & hortandos omnes Regni Episcopos, ne alios ordinarent, quàm ex suis Diœcesibus oriundos, propterea quòd dicta Constitutio Bonifacii VIII. vix apud Gallos in usu fuisset, ob eas, quas paulò antè ex eodem Clero Gallicano rationes adduximus. In iisdem Comitiis statutum fuit, ut admoneretur Nuntius Apostolicus, Litteræque scriberentur ad S. Pontificem Alexandrum VII. quibus exorabant eum, ut tanquam subreptitias declararet impetrationes Rescriptorum ad Ordines in aliena Diœcesi suscipiendos, inconsulto nec consentiente proprio Episcopo. *Denique decretum fuit*, ajunt Acta Cleri Gallicani, *ut enclycicis Litteris Episcopi Regni omnes invitarentur ad eos Tonsura Ordinibusque arcendos, qui istiusmodi Rescripta proferrent, nisi (ut sancitum est à Concilio Tridentino) Litteras afferant Episcopi Diœcesani testimoniales de vita, moribus & doctrina.*

Anciens Memoir de Clergè to. 1. p. 823.

Quæres 8. an Episcopus, qui Beneficium alteri contulit, eo fine ut eum absque proprii Episcopi licentia ad Ordines promoveret, possit eum licitè ordinare?

Resp. negativè; sed potius eum Episcopum incurrere pœnas quas Canones decernunt in eos qui *quocumque figmento quæsito præsumpserint alienum Parochianum ordinare*, ut ait Gregorius X. in Concilium generali Lugdunensi, & refertur c. *Eos qui*. *De temporibus Ordinationum*, in Sexto. Ratio est, quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent: at supponitur Episcopus ille contulisse Beneficium isti Clerico, ut eum proprii Episcopi, ex cujus Diœcesi est oriundus, examini & Ordinationi subduceret.

P. 211.

Hinc similiter inferes, non posse Episcopum Ordines alicui conferre propter tenuissimum quod habet in sua Diœcesi Beneficium, si ex aliena Diœcesi sit oriundus, in eaque domicilium habeat: quia nempe tunc fraudis legitima præsumptio est: ut si v.g. Beneficium quatuor dumtaxat ducatos annuatim reddat, vel ad summum septem. Ita censent Zerola in Praxi Episcopali parte 1. verbo *Beneficia*, pargr. 3. Soto, Barbosa &c.

Quæres 9. an Episcopus familiarem suum sibi non subditum ordinare possit.

Resp. Synodum Tridentinam ea de re sic statuisse Sess. 23. de reformatione cap. 9. *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat: consuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.*

Tom. 14. Conc. p. 868. A.

Quæres 10. an possit Episcopus suos subditos in aliena Diœcesi ordinare.

Resp. negativè: quia non potest Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia munia exercere sine licentia Ordinarii loci: at Ordinatio ministrorum Ecclesiæ spectat officiū Pontificibus solemniter & in Pontificalibus, ut ajunt, celebrantis.

Quæres 11. an Regulares debeant à propriis suis Episcopis ordinari; & quis sit eorum proprius Episcopus.

Resp. ad primum, certum esse Regulares à proprio suo Episcopo debere Ordines suscipere, aut ab alieno de ipsius licentia. Ita Synodus Tridentina Sess. 23. c. 8. initio hujus Articuli citato, ubi generalem legem ac regulam statuit, qua omnes vult adstringi, ipsis non exceptis Regularibus. Unde cùm S. Pius V. Constitutione sua quadragesima prima quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordines*. Fratribus mendicantibus indulsisset, ut à quocunque Antistite ritè & catholicè promoto gratiam Sedis Apostolicæ habente, Ordinarii loci minimè requisita licentia, sive in domibus eorumdem Fratrum, sive alibi, ad sacros etiam Ordines promoveri possent, Constitutionem

Bull. Rom. Tom. 2. p. 173. n. 7.

tionem hanc Gregorius XIII. revocavit, & ad juris communis Conciliique Tridentini terminos reduxit, sua Constitutione nona, *In tanta rerum &c.* ubi testatur *multas magnasque dissensiones & lites, inter locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi divini cultus & animarum detrimento ac populorum scandalo ex Bulla prædicta S. Pii V. fuisse concitatas*; quibus etiam S. Pius ipse V. si vixisset, mederi cogitabat. *Ib. p. 280.*

Idem longè ante Concilium Tridentinum statuerat & Synodus Carthaginensis V. Can. 13. & Arelatensis III. an. 455. in controversia excitata inter Theodorum Antipolitanum, Valerianum item, & Maximum Episcopos ex una parte, & Faustum Abbatem ac Monachos Insulæ Lirinensis ex altera, quæ ea lege composita fuit, *ut Clerici atque altaris ministri à nullo, nisi ab ipso Ordinario loci, vel cui ipse injunxerit, ordinentur*. Idem statutum fuit à Clero Gallicano in Comitiis generalibus an. 1625. *Tom. 2. Conc. p. 1217 D. Tom. 4. Conc. p. 1024.*

Resp. ad secundum, proprium Episcopum Regularium eum esse, in cujus Diœcesi situm est Monasterium in quo Regulares illi permanenter degunt. Ita statutum habemus in Synodo Provinciali Burdigalensi c. *De Ordine*, prope finem. *Superioribus Monasteriorum*, inquit, *in quibus Religiosi fixam & firmam commorandi sedem habent, prohibemus ne Litteras dimissorias Religiosis suis, ut à quocunque ordinentur, concedant; sed à suo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos esse dumtaxat decernimus: eos verò, qui pro instituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum Litteris Provincialium suorum de voto Religionis emisso fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantùm præcipimus; ab aliis nunquam, nisi attestatione præhabita a Pontifice loci seu ejus Vicario generali obtenta, qua, cur apud se nequiverint ordinari, perhibeatur.* *Tom. 15. Conc. p. 1650. D.*

Non pigebit hìc exscribere quid jussu Clementis VIII. circa præsens argumentum declaravit Congregatio Concilii. En verba: *De mandato sanctissimi Domini nostri Papæ Clementis divina providentia Papæ VIII. Congregatio Concilii censuit, Superiores Regularium posse suo subdito item Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, Litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit; & si Diœcesanus absens fuerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriam in id tempus quo Episcopus Diœcesanus vel absfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes: verum cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationem non habente, Litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse, quod qui non fecerint, officii & dignitatis suæ administrationis, ac vocis activæ, & alias arbitrio S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent.*

Quæres 12. quæ in Jure Canonico sint pœnæ adversùs eos statutæ qui vel alienos ordinant, vel ab alienis ordinantur Episcopis.

Resp. hìc distingui debere Jus antiquum, medium, & novum.

Jure veteri Conciliis Nicæno, Sardicensi, Moguntino &c. sancito, Ordinatio Clerici alieni irrita erat? (quoad executionem nempe, non quoad characterem) id est, ordinati suspensi erant à functionibus suorum Ordinum, & ipsi Episcopi ordinantes pariter deponendi declarantur, corripiendi in Concilio, suspendendi à suis Officiis.

Jure medio, ipso facto suspensi declarantur qui ab alieno Episcopo fuerunt ordinati. Namque Gregorius X. cap. *Eos qui. De temporibus Ordinationum,*

P. 211. n.30. num, in Sexto, revocat & confirmat omnem veterum Canonum ea in causa severitatem. His, inquit, *quæ jura statuunt, contra taliter ordinatos in suo robore duraturis*. Bonifacius VIII. *De temporibus Ordinationis*, in Sexto, ita decernit. *Qui verò contra fecerit*, (id est, qui homini Diœcesis alienæ clericalem præsumpserit conferre Tonsuram) *per unum annum à collatione clericalis Tonsuræ dumtaxat noverit se suspensum: eos autem qui Clericos Parochiæ alienæ absque Superioris ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocunque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, per annum à collatione Ordinum, Gregorius X. decernit esse suspensos*.

Jure novo per Concilii Tridentini & quasdam Ss. Pontificum Constitutiones inducto, suspensio aliqua, tum in Laicos, tum in Clericos ab alieno Episcopo ordinatos, nec non etiam in Episcopos ordinatores lata est. Namque 1. cùm statuisset Synodus Tridentina ne Laicus alterius Diœcesis, absque proprii Episcopi expresso consensu, aut Litteris dimissoriis, ad aliquos sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promoveretur, pœnam istam statim subjungit Sess. 14. de reform. cap. 2. *Contra faciens, ab exercitio Pontificalium per annum; taliter verò promotus, ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi*. Item postquam præcepit Sess.23. de reform. c.8. ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur, istam contra infractores legis pœnam imponit, *Si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum; & ordinatus, à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus*. Pius II. Bulla sua anni 1461. sic statuit: *Ordinamus quòd omnes & singuli qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora à Jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis Litteris ... ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione, ipso jure suspensi sint; & si hujusmodi suspensione durante, in iisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea, ultra alias pœnas in tales generaliter à Jure inflictas, Beneficiis ecclesiasticis possint jure privari*.

(Marginal notes: Tom.14. Conc. p. 827. E. — Ib.p.867. E. — Bull. Ro. tom.1.p. 292.)

An ex suspensione illa sequatur irregularitas, omnes non consentiunt. Vide ex utraque parte momenta apud Hallerium, pag.633. & seqq.

Quæres 13. utrùm Episcopus proprius cogi possit in foro exteriori, ut & Laico clericalem Tonsuram, & Clerico sacram Ordinationem conferat, sive iste Beneficium habeat cui sit Ordo annexus, sive non habeat; sive sit occulti criminis reus, sive non.

Resp.1. quamquam debeant Episcopi Laicos, qui debitis instructi sunt dotibus, clericali Tonsura donare, nullo tamen jure ad id compelli & cogi possunt in foro exteriori: quia eos tantùm tenentur ordinare, quos exigit Ecclesiarum suarum necessitas. Ita colligitur ex Concilio Tridentino Sess.21. de Reformatione c.2. *Patrimonium*, inquit, *vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum*.

(Marginal note: Tom. 14. Conc. p. 849. A.)

Resp.2. ex Constitutione Alexandri III. Cap. *Ex tenore*. *De temporibus Ordinationis*, non potuisse aliquando Episcopos à sacris Ordinibus arcere Clericos in foro quidem exteriori dignos, sed tamen quodam occulto crimine Episcopis cognito, maculatos: *Verumtamen*, ait S. P. *quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere*. S. Raymundus L. 3. Summæ, titulo. *De ætate ordinandorum*, paragr. 11. &

Bar-

Barbosa parte 2. *De officio & potestate Episcopi*, allegatione 4. paragr. 66. citatum Alexandri caput intelligi volunt de Clerico dumtaxat habente Beneficium cui Ordo sit annexus.

Resp. 3. per Concilium Trid. immutatam videri hanc Alexandri III. Constitutionem, atque nulla ratione jam cogi posse Episcopum ut ad sacros Ordines promoveat, quos novit occulto peccato sordidatos. Ita loquitur Concilium Sess. 14. cap. 1. De reform. *Cùm honestius, ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quàm cum Præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros Ordines à suo Prælato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus; aut qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, & dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.* Non distinguit eò loci Concilium inter Clericum Beneficium habentem, vel non habentem. Ita citatum caput intelligit doctissimus Canonista Prosper Fagnanus: nihilominus existimat posse à S. Pontifice committi vel Metropolitanum vel vinciniorem Episcopum, qui causam resciant propter quam ab ordinario Episcopo Clericus ille, qui habet Beneficium ad quod sacerdotium requiritur, repulsus sit ab Ordinibus: quæ quidem causa si legitima & justa non fuerit, censet idem Auctor, posse Episcopum à S. P. delegatum Clerico de quo loquimur, sacros Ordines administrare. Ib. p. 817. B.

Quæres 14. quid sint Litteræ dimissoriæ; ad quos pertineat eas dare; & quomodo extinguantur, seu vim habere desinant.

Resp. ad primum, Litteras illas dimissorias appellari, quòd per eas Clericus à suo proprio Episcopo dimittitur, ac libera conceditur ipsi facultas ab alio Episcopo suscipiendi Ordinationem. Vocantur etiam Litteræ *commendatitiæ*, quòd morum ac vitæ commendationem contineant, *canonicæ*, quòd à Canonibus exigantur, & regulæ seu Canoni conformes sint: *pacificæ*, quòd per eas pax & concordia inter Episcopos conservetur; *formatæ*, quòd earum certa forma præscripta foret, ac communionis Catholicæ certum essent argumentum. Ab aliquibus recentioribus ex Concilio Trid. Sess. 7. De reform. cap. 10. *Reverendæ* dicuntur, præsertim ab Hispanis, quòd nempe à salutatione, qua Episcopi se invicem *Reverendos & Reverendissimos* appellant, ut plurimùm incipiant.

Resp. ad secundum, solis Episcopis id datum ex Concilio Trid. Sess. 23. De reform. cap. 10. ut Litteras dimissorias suis subditis concedant, quibuscunque in contrarium non obstantibus privilegiis. Non igitur Officiales, non Archidiaconi, non Vicarii generales, nisi specialiter ab Episcopo indultum sit, possunt Litteras illas scribere; & qui à Papa dimissorias habet ut à quocunque Antistite promoveri possit, debet priùs quàm ordinetur, habere ab Ordinario suo Litteras commendatitias, quibus sua probitas ac mores laudentur & commendentur. Nec ipsi pariter Abbates aut Regularium Superiores hoc possunt; nisi fortè dimissorias concedere dicantur, quatenus sibi subditos Regulares ad Episcopum Diœcesanum ordinandos præsentant, vel ad alium Episcopum, sed priùs à Diœcesano probatos & examinatos, si ipse absfuturus sit, nec Ordinationes habiturus, dimittunt, dum-

modo

modo tamen nulla fraus subsit, ut suorum Ordinationem in tempus absentiæ Episcopi Diœcesani, aut quo ipse non est Ordines habiturus, ex professo distulerint.

Capitulum, Sede vacante, nonnisi elapso anno à die obitus Episcopi numerando, dimissorias dare potest. Ita Conc. Trid. Sess.7. De reform. c.10.
Tom. 14. Conc. p. 781. E. *Non liceat*, inquit, *Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut Litteras dimissorias, seu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere: si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto &c.* Exceptio quam hìc subjicit Concilium, illius nempe, qui *Beneficii ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione non coarctatur*, innuere videtur, Capitulum ante elapsum annum, hoc in casu necessario, posse Litteras dimissorias, aut ordinandi licentiam concedere.

Litteræ verò hujusmodi dimissoriæ non debent ab Episcopis concedi nisi ex juxta causa, & prævio examine illius, cui conceduntur; nec generatim ad omnes, sed speciatim, ac seorsim ad singulos Ordines. Ita Concilium Trid. Sess.23. cap.3.
Ib. p. 866. E. *Episcopi*, inquit, *per semetipsos Ordines conferant: quòd si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quàm jam probatos & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* Ita pariter præcipiunt Episcopi Gallicani in Comitiis generalibus an.1657.

Resp. ad tertium, non extingui Litteras dimissorias per mortem Episcopi à quo datæ sunt, quia quæ sunt gratiæ ac favoris non cessant per mortem concedentis. *Quia Sedes ipsa non moritur*, ait Caput, *Si gratiosè. De rescriptis*, in Sexto, *gratia durabit perpetuò nisi à successore fuerit revocata.* Non ita est de mandato, quod extinguitur morte mandantis: at Litteræ illæ ex gratia & favore conceduntur, quibus nihil præter usum vel executionem deest; sola igitur revocatione vel Episcopi concedentis, vel ejus successoris extingui possunt: debet autem illa revocatio significari, vel saltem decreto publico confirmari & promulgari.

ARTICULUS IV.

De subjecto Ordinationis, seu de eo qui capax est percipiendæ Ordinationis.

Plura hìc occurrunt exponenda.

I. an solus homo viator sit Ordinationis capax.

II. an solus homo baptizatus possit ordinari.

III. an infantes, amentes, aliique rationis usu destituti possint validè ordinari.

IV. an possit ordinari omnino ac plenè invitus.

V. an mulieres sint Ordinationis capaces.

VI. an Hæretici, scelerati, indocti, validè possint ordinari.

VII. quæ sint dispositiones prærequisitæ ut quis legitimè Ordinationem percipiat.

VIII. quæ sit Ordinatio per saltum, an licita & invalida.

An

An solus homo viator sit Ordinationis capax.

CONCLUSIO.

Solus homo viator est capax Ordinationis.

Probatur. Quia solis hominibus, iisque viatoribus, dictum est, Joan.20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Matth. ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* De solis pariter hominibus dixit S.Paulus, Hebr.5. v.1. & seq. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate; & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*, quibus verbis rationem veluti à priori reddit Apostolus, cur solus homo viator Pontificis officium exercere possit, quòd nempe cùm pro viatoribus hominibus infirmitate circumdatis orare debeat & sacrificia offerre, non pro aliis, & ipse quoque homo esse debeat viator, infirmitate pariter circumdatus, qui propria sua edoctus experientia, aliorum infirmitatibus, erratis, ignorantiis condolere possit; imò & pro sepetipso Deum exorare ac sacrificiis propitium reddere.

Hinc inferes 1. Angelos incapaces esse Ordinationis: *Nusquam enim* Christus *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, ait Apostolus Hebr.2. v.16. *Unde debuit per omnia fratribus similari; ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi*. Si ergo necesse fuit Christum hominem fieri ut esset idoneus Pontifex, multò magis homines esse debent qui ad sacerdotium assumuntur; neque tantæ dignitatis capaces possunt Angeli, qui ab humanis infirmitatibus segregati, iis condolere non possent. *Si enim*, ait eleganter S. Chrysostomus homil. in Ss. Petrum & Eliam, *Angelus esset Sacerdos, & quempiam fornicatum deprehenderet, cùm ipse huic morbo addictus non esset, statim illum interficeret. Quamobrem si Angelus potestatem sacerdotalem accepisset, non docuisset, sed occidisset ira commotus, quia ipse non hujusmodi esset &c.* To. 2. p. 723. C.D.

Inferes 2. propter easdem causas ac rationes animas separatas Ordinationis, & functionum Ordinum esse incapaces: anima quippe separata hominis quidem pars est, sed non homo; & quamvis character in Ordinatione collatus minimè deleatur in anima etiam separata, non tamen sufficit ut Ordinis munia exercere possit, quia per mortem dissolvitur vinculum contractum inter Sacerdotem & Ecclesiam: unus Christus est, qui Sacerdos est æternum permansurus. Quod discrimen exponit Apostolus Hebr.7. v.23. his verbis: *Alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem* (Christus) *eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Quæres 1. an qui à morte ad vitam suscitaretur, sive mortalem, sive immortalem, posset Ordinationem percipere.

Resp.1. dubium non esse quin Ordinationis capax foret ille qui à morte ad vitam mortalem suscitaretur, qualis fuit Lazarus, quem ferunt primum fuisse Massiliensium Episcopum. Ratio est, quia verus ille homo foret viator, iisdem quibus cęteri, humanis infirmitatibus obnoxius.

Resp. 2.

Resp. 2. probabilius videri eum Ordinationis aut functionum Ordinum fore incapacem, qui à morte suscitaretur ad vitam immortalem in corpore glorioso, quales futuri sunt Sancti post generalem omnium hominum resurrectionem. Ratio est, quia sicut Sacramenta instituta sunt pro solis viatoribus ita & solos viatores oportet habere potestatem ea conficiendi vel administrandi. Adde rationem suprà memoratam ex humanis infirmitatibus, quibus obnoxius non foret qui ad immortalem vitam in corpore glorioso revocaretur: adde denique, nullam satis firmam reddi posse causam, cur tale ministerium exercere possent Beati, & non possent damnati, cùm in istis character sacerdotalis remaneat ad ignominiam, sicut in illis ad ornatum & gloriam. Nihilominus communis ferè est Theologorum opinio, damnatos non posse, etiam post resumpta corpora, sacerdotalia officia exercere.

Quæres 2. an qui cùm viveret Ordinibus initiatus erat, si post mortem iterum ad vitam moriturus revocaretur, susceptos Ordines exercere posset.

Resp. affirmativè, quia characterem ille gerit Ordinationis indelebilem; aliunde verò mortalis est, viator, cæterasque conditiones habere supponitur necessarias ad legitimam Ordinum functionem.

An solus homo baptizatus possit validè Ordinationem percipere.

Decret. p. 1391. Tempore Innocentii III. S. P. qui obiit an. 1216. mota fuit ista quęstio, utrum qui secundùm Evangelii formam baptizatus non fuerat, Sacerdotii nihilominus obtinuerat gradum, iterum ordinari deberet: de qua quęstione interrogatus S. P. Innocentius III. hæc respondit ad Episcopum Ferrariensem, ut refertur in Jure Canonico Cap. *Veniens. De Presbytero non baptizato.*

I. de illa Ordinatione diutius disputatum fuisse; quibusdam affirmantibus eam non valere, quia Baptismus est omnium Sacramentorum fundamentum; aliis verò contendentibus validam illam esse, quia sicut potest quis per fidem Sacramenti sine ipso Sacramento fieri membrum Christi, ita & potest fieri capax percipiendi alia Sacramenta.

Ibid. p. 1391. n. 40. II. inclinat ipse S.P. in priorem sententiam. *Quia verò*, inquit, *in Concilio apud Compendium legitur constitutum, quòd si quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum; baptizetur, & iterum ordinetur: nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes, Mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad sacerdotium promovere procures, & permittas eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum: nec malè de Sacramento sentitur, cùm illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.*

Ibid. p. 1393. n. 10. III. Ne fortè quis facilè scrupulum patiatur de collato sibi Baptismo hæc addit S. P. *Certè de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.* Itaque sit

CONCLUSIO.

Solus homo baptizatus potest validè Ordinationem percipere.

Probatur 1. Quia hæc semper fuit Ecclesiæ praxis ac traditio, ut qui ritè baptizati non fuerant & tamen in Clericorum numerum adscripti, iterum bapti-

baptizarentur, & postea rursus ordinarentur. Patet id ex Can. 19. Conc. generalis I. Nicæni, quo statuitur, Paulianistas, apud quos Catholica Baptismi forma non servabatur, rebaptizari, & eos qui ab illis Clero cooptati fuerant, similiter reordinandos: in quem Canonem hæc habet Zonaras: *Nam quòd antea, dum hæresi tenerentur, initiati fuerint, ea res omnino irrita, ac planè nulla fuisse censenda est. Qui enim ritu alieno ab orthodoxa fide baptizatus est, ejus animo manuum impositione sanctum Spiritum insedisse quis credat?* T. 2. Conc. p. 43. E. Pag. 65. C.

Idem patet ex Canone Compendiensi citato ab Innocentio III. cui & ipse subscribit S. P. verbis mox relatis.

Probatur 2. ratione & auctoritate Eugenii IV. in Decreto: *Primum*, inquit, *omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Ex quibus certè verbis rectè infertur, nullum valere Sacramentum, quod non baptizato collatum sit. Si enim Sacramentum Baptismi vitæ spiritualis janua est, quomodo ad vitam non solùm habendam, verùm etiam aliis conferendam aditus cuiquam esse potest sine Baptismo? Si per ipsum membra Christi efficimur, ac de corpore Ecclesiæ, quomodo sine ipso nobilissima Ecclesiæ membra, quæ Christo arctissimè & proximè connexa sint, aut populi Christiani visibilia capita sub Christo capite invisibili dici vel esse possunt? Quomodo cohærere Christo, influere in corpus Christi, non incorporati Christo per Baptismum? Tom. 13. Concil. p. 535. B. C.

Addi potest & alia ex S. Thoma ratio 3. part. q. 72. art. 6. Certum nempe est nos spiritualiter renasci per Baptismum, qui naturali generatione corporaliter antea nascimur: quemadmodum igitur ex eo principio D. Thomas probat characterem Confirmationis non primò animæ complantari, sed characteri baptismali inseri, quia nimirum per Baptismum spiritualiter nascimur, per Confirmationem augemur, augmentum autem generationem præsupponit; simili quoque modo arguere fas est, inseri characteri baptismali characterem Ordinis, quia nempe prius est spiritualiter nasci, quàm agere, & generare: spiritualiter autem nascimur per Baptismum, per Ordinationem verò ad aliorum generationem concurrimus, & spiritualiter Deo parturimus. Hall. p. 521.

Dices 1. Per fidem, quæ sine Sacramento infundi potest, evadimus membra Christi: quidni ergo capaces evadimus Ordinationis, etiam sine Baptismo?

Resp. dist. ant. evadimus membra Christi, per adhæsionem internam cum Christo, concedo: per adhæsionem exteriorem sufficientem ut quis censeatur pertinere ad Ecclesiam, nego. Porro ut quis sit verum Ecclesiæ membrum, atque eam percipiat Ordinationem, quæ ad totum Ecclesiæ corpus pertinet, debet visibili Sacramento Baptismatis cum Ecclesia colligari.

Dices 2. Homo non baptizatus suscipere potest Sacramenta Eucharistiæ & Matrimonii: ergo est etiam capax Ordinationis.

Resp. ad primum, hominem non baptizatum suscipere posse Sacramentum Eucharistiæ materialiter, sed non formaliter, ut est Sacramentum ad gratiam nutritionis conferendam ordinatum.

Ad secundum, dico hominem non baptizatum capacem esse contrahendi Matrimonii, quatenus est contractus humanus ac civilis in officium naturæ, non verè quatenus est Sacramentum novæ Legis.

Quæres, an Sacramentum Confirmationis sit etiam prærequisitum ad validam susceptionem Ordinis, sicut Baptismus.

Resp. negativè: tum quia Confirmatio non est tantæ necessitatis ac Baptismus;

ptifmus: tum quia Apoſtoli priùs conſecrati ſunt Sacerdotes in ultima Cœna, quàm confirmati in die Pentecoſtes poſtquam Chriſtus cœlos repetiiſſet. Ita docent SS. Patres, Cyprianus Epiſtola 12. ad Jubajanum, Ambroſius Lib.3. de Sacramentis cap.2. Hieron. Dialog. adversùs Luciferianos, Auguſt. Tract. 6. in Epiſtolam S. Joan. &c. Nihilominus tamen vel ab initio Eccleſiæ Sacramentum Confirmationis habebatur tamquam prævia diſpoſitio ſeu præparatio ad Ordines ſacros percipiendos; inde eſt quòd Cornelius S. P. Novatiano hæretico exprobret, quòd omiſſa Confirmatione ordinatus fuiſſet. Apud Euſeb. Lib.6. Hiſtor. cap.43.

An infantes, amentes, aliique rationis uſu deſtituti poſſint validè ordinari.

Controverſia hìc non movetur de licita, ſed de valida dumtaxat Ordinatione data infantibus ante rationis uſum, & amentibus: certum quippe eſt apud omnes non ſine inſigni ſcandalo, nec ſine ingenti diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbatione, temeraria Canonum violatione, gravi Eccleſiæ & Sacramento illata injuria, poſſe infantes ante rationis uſum, vel amentes ad Ordines promoveri.

Igitur ſolùm in eo verſatur quæſtio, an ſi conferatur illius Ordinatio, valida ſit & rata, aut invalida & nulla.

Durandus in 4.diſt.25. q.2. irritam & nullam eſſe contendit; alii verò communiter Scholaſtici validam & ratam exiſtimant, excepto tamen Epiſcopatu, de quo major eſt difficultas. Nam SS. Thom. & Bonaventura in eamdem diſtinctionem, quos ſequuntur Henriquez, Sylveſter, & alii, Epiſcopatum excipiunt, iſta ratione moti, quòd Epiſcopus ſit ſponſus Eccleſiæ, infantium verò irritum ſit Matrimonium. Archidiaconus tamen, Præpoſitus, Paludanus, Sotus & multi è recentioribus, Hallerius ipſe, nequidem gradum Epiſcopi excipiunt, quem validè infanti conferri poſſe arbitrantur.

Habet utraque opinio negans & affirmans ſua non contemnenda momenta, quibus innititur: verùm placet magis ſententia Durandi, quæ ad mentem & praxim Eccleſiæ accedere magis nobis videtur. Itaque ſit

CONCLUSIO.

Veriſimilius videtur, nullam & irritam fore Ordinationem quæ infantibus ante rationis uſum, vel amentibus daretur.

Hall. p. 525. Probatur 1. Quia nec in Scripturis, nec in tota Eccleſiæ Traditione ullum occurrit exemplum, quod probatum fuerit, Ordinationis collatæ infantibus ante rationis uſum, vel amentibus; imò quotquot exſtant eccleſiaſtici Canones, exſtant autem benè multi, qui conditiones ac dotes præſcribunt in ordinandis requiſitas, ætatem, ſcientiam, probitatem, conſenſum, & alia hujuſmodi, procul dubio excludunt ab Ordinatione, tamquam incapaces, eos in quibus conditiones illæ ineſſe penitus non poſſunt, quales omnium conſenſu infantes ſunt & amentes. Nec dicas eos Canones de illicita ſolummodo, non verò de invalida Ordinatione debere intelligi. Quo enim fundamento id probatur ex Scripturis, & Traditione? nullo prorſus, ſed ſcholaſticis dumtaxat aliquibus ratiociniis, quæ niſi in Scripturis ac Traditione in fundamentum habeant, parum

rum

rum habent ad persuadendum momenti ac ponderis; in his etenim quisque pro sensu suo abundat: quòd si momentis ex rationibus theologicis hic pugnandum est, vincit haud dubiè nostra Conclusio.

Probatur itaque 2. Quia, ut arguit Durandus in 4.dist.25. qu.2. nu.8. ad susceptionem cujuslibet Sacramenti requiritur propria intentio suscipientis, si sit adultus; vel aliena & interpretativa, si sit parvulus: atqui in parvulo, si ordinetur, non potest esse propria voluntas suscipiendi Ordinem, cùm non habeat usum rationis; nec aliena aut interpretativa, quia licèt voluntas parentum vel eorum qui vicem parentum gerunt, vel Ecclesiæ ipsius, possit esse interpretativa voluntatis parvulorum in iis quæ sunt de necessitate salutis eorum spiritualis vel corporalis, voluntas tamen parentum non videtur sufficere in aliis quæ non sunt de necessitate salutis, sed vitæ statum ac conditionem spectant; inde est quòd intentio Ecclesiæ generalis sufficiat ut baptizetur parvulus; nulla autem præsumi debet adesse Ecclesiæ intentio, ut idem ordinetur, imò potius reluctatur, & contradicit Ecclesia quæ talem prohibet Ordinationem. Prætereà, vel ipsa institutio & natura Ordinis obstare videtur: cùm enim quivis Ordo ad functiones aliquas exercendas institutus sit, hominemque in sublimiori gradu constituat, tamquam inutilis futurus non debet nec potest ei conferri, qui functionum illarum prorsus est incapax.

Denique, cùm Ordinibus sacris annexa sit lex continentiæ & cœlibatus, non videntur ea lege obstringi posse, qui non consentiunt; quemadmodum adultos, qui cùm Diaconi ordinarentur, protestabantur se castitatem non posse servare, ab illius observantia immunes aliquando fecit Ancyrana Synodus Can.10. Quæ autem foret disciplinæ ecclesiasticæ perturbatio, quæ confusio, si ordinati infantes, postea cælibem vitam agere recusarent, nemo non intelligit. *T.1.Conc. p.1459.*

Dices 1. Infantes sunt capaces Baptismi, Confirmationis & Eucharistiæ, quidni pariter & Ordinationis? Et ratio à priori est, quòd Sacramenta quæ characterem imprimunt, actum ex parte suscipientis non requirunt, sed unam ministri actionem Sacramentum conferentis.

Resp. nego consequentiam & paritatem, tum quia in rebus hujusmodi quæ à libera Dei instituentis voluntate pendent, non licet unum ex alio inferre; tum quia in his tribus Sacramentis quæ ad salutem æternam infantium conferunt, intentio Ecclesiæ supplet illorum infantium intentionem. At non ita est in Sacramento Ordinis, quod nec ad salutem necessarium est, nec infantibus conferre intendit Ecclesia; quin potius reluctatur & contradicit, ut jam diximus. Nulla igitur hìc præsumi debet voluntas percipiendi Ordinis: non privata infantium, non publica Ecclesiæ; ergo nullum esset sic infantibus collatum Ordinationis Sacramentum. Inde patet solutio ad rationem subjunctam.

Dices 2. Minores Ordines possunt infantibus validè conferri. Probatur, ex Cap. unico, *De Clerico per saltum promoto*, ubi Innoc. III. eum, qui omisso Diaconatu ad sacerdotium promotus fuerat, & ante discretionis annos Ordines inferiores perceperat, jubet creari Diaconum, non præcipit autem Ordines inferiores ante rationis usum collatos iterari. Igitur censuit S. P. illos minores Ordines datos infanti valuisse.

Resp.1. Non constat an per illa verba, *ante discretionis annos*, intellexerit S. P. parvulos destitutos omni usu rationis, vel solummodo eos

qui nondum illam ætatem assequuti sunt, in qua perspecta est discretio. 2. Idcirco fortè non jussit iterari collatos inferiores Ordines, quòd existimaret illos non esse Sacramenta, sed tantùm cærimonias aliquas ab Ecclesia institutas, quæ omnino non præexiguntur ad Diaconatum. 3. Ratiocinium istud est merè negativum, ex quo sanè concludere non licet aliquid quod videtur planè adversari praxi antiquæ Ecclesiæ, quæ numquam ordinavit, nisi adulta jam ætate & rationis tempus & usum assequutos.

An possit ordinari omnino ac planè invitus.

Philosophi duplex distinguunt involuntarium, unum simpliciter & absolutè, cui nusquam assentitur voluntas; alterum secundùm quid, cui, licèt invita & reluctans, assentitur. Talis est v. g. voluntas projiciendi merces in mare, ad vitæ conservationem: vellet enim mercator simul & vitæ & mercium suarum conservationi consulere; nec nisi invitus, ut mortem effugiat, eas projicit: voluntas tamen hæc etsi invita, voluntas est.

Quadruplex verò fingi potest hominum genus qui inviti ad Ordinationem rapiuntur.

I. eorum qui nec precibus, nec minis, nec adhortationibus ullis adduci possunt ut Ordinationi consentiant, quique idcirco omnino ac planè inviti ac coacti Ordinationem susciperent, aut etiam ignari & inscii ritus qui in ipsis celebratur. Talis fuisse videtur Macedonius ille Asceta, de quo Theodoretus in Philotheo seu Religiosa Historia cap.13. Flavianus scilicet Antiochenus Episcopus pietatem Macedonii plurimùm celebrari audiens, cùm è vertice montis in quo habitabat, per speciem objectæ accusationis evocavit, *& sub mysticum sacrificium altari admovit, cooptavitque in numerum Sacerdotum. Cùmque peracta Liturgia hoc illi quidam indicasset, (ignorabat enim prorsus quid egissent) primùm quidem conviciis verbisque asperis proscidit universos: deinde arrepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Pontificem ipsum & alios qui aderant insecutus est, Ordinationem hanc ratus montis verticem sibi optatamque habitationem erepturum. Sed tum quidem sic indignantem ægrè tandem amici quidam sedaverunt. Expleto autem hebdomadæ circulo, cùm rediisset dies Dominicus, iterum evocat illum magnus Flavianus, rogatque ut celebritati cum ipsis intersit. Tum ille ad eos qui venerant, An vobis, ait, non sufficiunt quæ jam acta sunt, sed iterum me Presbyterum creare vultis? Et respondentibus illis, fieri non posse ut bis eadem fiat manuum impositio, non acquievit.* Habes hic exemplum Ordinationis collatæ homini planè inscio ritus qui in ipso peragebatur; quique nec acquievit nec consensit, ubi rei totius cognovit seriem. Unde statim Theodoretus addit, narrationem suam multis non laudandam visum iri; *Scimus*, inquit, *haud laudandam multis visum iri narrationem hanc.*

Tom.3. p. 835. D.

II. Eorum qui ex humilitate, propriæ infirmitatis conscientia, reverentia sacrorum Ordinum, eos refugiebant, ad quos aliquando populi suffragio, votis, imperio, prece, clamoribus, vocabantur & impellebantur. Ii primò inviti quidem & reluctantes erant, at subinde, ut votis Ecclesiæ ac populi cederent, consentiebant. Ita testatur S. Augustinus Epistola ad Donatum 173. aliàs 204. *Multi*, inquit, *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, producuntur, includuntur, custodiuntur, patiunturque quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni:* scilicet, ait egregiè S. Gregorius Magnus parte 1. Pastoralis cap.8. *tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per*

Tom.1. p. 613. B.

Tom.2. p. 9. A.

do per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Itaque illos tempore, quo quisque plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. At postquam à persecutionibus respiravit Ecclesia, ipsi reddita pace, viri pietate, sanctitate ac scientia illustres, ecclesiasticas dignitates refugiebant, nedum exambirent. Audiatur S. Cyprianus Epistol. 52. ad Antonianum, de electione & ordinatione Cornelii in Episcopum Romanum verba faciens: *Episcopatum*, inquit, *nec ipse postulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit; sed quietus & modestus, & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet.* Pag. 67.

In usu erant tunc temporis illa Gregorii Magni, & Leonis atque Anthemii Imperatorum effata, *Tantum*, inquiunt Imperatores, Lege *Quemquam*, Cap. *De Episcopis & Clericis, ab ambitu debet Antistes esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus refugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi.*

S. verò Gregorius in Epist. ad Syagrium Augustodunensem Episcopum sic loquitur: *Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus; sic qui ultro ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat?* Tom. 2. p. 1007. D.

Multa hìc adduci possent Sanctorum exempla, qui lacrymis, fuga, insaniæ aut perditæ vitæ simulatione, aliquando membrorum mutilatione, aliisque modis effugere ac declinare conati sunt Ordinationem ad quam vocabantur, nec sine vi illata passi tandem sunt sibi manus imponi. Unum inter cætera sufficiat exemplum S. Pauliniani fratris S. Hieronymi, quem valdè reluctantem in Presbyterum ordinavit S. Epiphanius. Rem sic narrat S. Epiphanius in Epistola ad Joan. Jerosolymitanum, inter Epistolas S. Hieronymi 110. aliàs 60. *Cùm igitur*, inquit, *celebraretur collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus; ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi, & primùm Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret; valde quippe obtinebatur, indignum se esse contestans: vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cùm ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iisdem verbis, quibus antè suaseramus, impulimus, ut sederet in ordine Presbyterii.* Habes hìc exemplum illustre Ordinationis datæ Pauliniano, statim quidem renitenti ac recusanti, sed tandem consentienti, qui spontè ac liberè suscepti Ordinis functiones exercuit. Oper. S. Hieronym. Tom. 4. p. 2. p. 823.

Tertium genus hominum qui invicti & quasi coacti ordinati sunt, eorum est qui ab Episcopo, malevolo animo, vel astuto consilio promoti sunt, ut nempe ab aliquo ecclesiastico officio deturbarentur in quo Episcopis graves erant ac molesti: quomodo narrat S. Gregor. Magnus L. 1. Epistola 19. ad Natalem Episcopum, Honoratum Archidiaconum Salonitanum à suo Episcopo in Presbyterum fuisse ordinatum, quòd in administratione bonorum Ecclesiæ, non satis se facilem præberet avaritiæ, aut prodigalitati hujus Episcopi. Hall. p. 197. Tom. 2. p. 503.

Quartum denique genus eorum est qui periculi metu, ad sacerdotium

vel ad monachatum, tamquam ad asylum, confugerunt; vel à potentioribus fugere coacti sunt, ut ad potentiam sæcularem ac curam redeundi aditus ipsis intercluderetur: cujus rei plurima exempla refert Hallerius sectione 5. de sacris electionibus cap. 1. paragr. 6.

Pag. 158.

Ex his quatuor hominum generibus certum est solos primos verè ac planè invitos ordinari; alii enim, licèt aliquandiu obstiterint, tandem adducuntur ut consentiant; alii verò ut se alicui subducant periculo, ultrò confugiunt ad Clericorum ordinem, nec omnino ac simpliciter inviti dici possunt, sed tantùm secundùm quid, quomodo invitus & coactus dicitur mercator merces suas projicere in mare sæviente tempestate, ut nempe vitæ suæ consulat. Itaque sit

CONCLUSIO.

Irrita foret ac nulla Ordinatio data homini omnino ac plenè invito.

Probatur, ex responso Innoc. III. C. *Majores*, ubi eorum sententia dicitur refellenda, qui dicunt, *quòd Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus & Ordo, cæteraque similia, non solùm dormientibus, & amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non quantùm ad rem, quantùm tamen ad characterem conferuntur*: tum etiam de Baptismo, (de quo nempe solùm quærebatur) expresè asseritur, *quòd ille qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti; quia plus est expresè contradicere, qua minimè consentire*. Verùm similem ad Ordinem, aut certè majorem suscipientis intentionis necessitatem esse supponit ipse Innocentius, & ratio aperta demonstrant. Ideo enim Christus vetuit ne invito Baptismus conferretur, quia baptizatus ad Christiana opera observanda obligatur, quorum observationem nemini invito Christus imponi voluit, etsi ea omnino ad salutem necessaria sit: multo minùs ergo Ordinationem ab invito suscipi voluit, quam graviora onera, minùsque ad salutem suscipientis necessaria consequuntur: eadem siquidem divina lege pueris ante rationis usum, atque amentibus Ordinatio interdicitur, quibus tamen Baptismus non denegatur; & ob defectum rationis in parvulis præsertim, fidejussores seu patrinos, qui voluntatem parvulorum suppleant, ecclesiastica consuetudo adhibendos præscribit, quorum in Sacramento Ordinis nullus umquam usus fuit, in quo per se ipsos ordinandi sua vota Domino offerunt, propriæque voluntatis actu Deo se obligant atque obstringunt. Quare ex iis nec validam quidem esse Ordinationem, quæ ab invitis & contradicentibus susciperetur, Theologi communiter concludunt. Unde facile est inferre, eos peccare graviter & Sacramento Ordinationis injurios esse, qui invitum omnino, ac penitus reluctantem ordinare conarentur, quòd nempe inanem ac vacuam Sacramenti cærimoniam redderent, eamque ludibrio exponerent.

An mulieres sint Ordinationis capaces.

Hall. p. 496.

Apud Ethnicos mulieres aliquas sacerdotio insignitas fuisse Litterarum monumentis compertum est. Hunc morem apud Gallos & Germanos usitatissimum fuisse docet Tacitus, De moribus Germanorum. Cereri Eleusinæ, apud Græcos; Bonæ deæ, apud Romanos, mulieres sacrificasse tradunt passim Auctores Græci & Latini.

Apud

Apud nonnullos etiam Hæreticos veteres pervasisse errorem hunc testantur Scriptores ecclesiastici.

S. Irenæus Lib.1. adversùs hæreses cap.9. apud Gnosticos mulieres sacrificasse commemorat.

Tertul. Lib. de Præscriptionibus cap.41. de mulieribus hæreticis sic loquitur: *Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.* P.217. B.

S. Epiphanius hæresi 49. post ipsum S. August. L. de hæresibus cap.27. eumdem morem ait observatum ab hæreticis Quintillianis, Peputianis, Priscillianis, Artotyritis, ac Catahprygis; quibus variis nominibus eosdem hæreticos designare voluit, qui à Montano sectæ parente, Montanistæ; à Priscilla & Quintilla mulieribus pseudoprophetissis quas sibi socias adsciverat Montanus, Quintilliani & Priscilliani; à vico Pepuze ubi conventus suos habebant, Peputiani, à Phrygia ubi errores suos potissimùm diffundebant, Cataphryges; à nefando tandem, quod celebrabant, sacrificio, ex pane videlicet & caseo, Artotyritæ dicti fuerunt. *Apud illos verò Hæreticos, mulieres* non tantùm in Diaconissas ordinabantur, *sed Episcopi erant & Presbyteri,* Tom.2. p. 228. C. ait S. Epiphanius, num. 2. *ita ut nullum sexus discrimen servarent.* Narrat Ibidem p. 1608. B. idem S. Doctor hæresi 79. apud Collyridianos mulieres uno anni die solemni & illustri sacrificium beatæ Virgini Mariæ offerre solitas fuisse.

Veterem hunc errorem renovasse videntur nostri Novatores, dum Christianos omnes cujuscumque conditionis & sexus, Sacerdotes à Deo sanctificatos esse docent, nullumque aliud admittunt sacrificium, quàm gratiarum actionis, precationum ac laudum, quod ab omnibus potest & debet offerri.

Quamquam verò error sit contra fidem, asserere mulieres ad Ordines Episcopatus; Presbyteratus, vel Diaconatus assumi posse, non audet tamen eadem nota perstringere Hallerius, opinionem quæ asserit mulieres idoneas Pag.498. esse Tonsuræ, minorum Ordinum ac Subdiaconatus: Paludanus enim in 4. dist.25. qu.3. art.1. concl.1. nu.4. ipsis ad Tonsuram aditum facit, cujus opinionem refert Almainus qu.2. nec ab ea longè discedit. Hanc, inquam, opinionem quamvis falsam, & temerariam, periculosam in fide asserat Hallerius, hæreticam tamen apertè non audeat pronuntiare. Itaque sit

CONCLUSIO.

Mulieres sacræ Ordinationis prorsus incapaces sunt.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ.

1. Corint.14. v.34. *Mulieres*, ait S. Paulus, *in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse; sicut & lex dicit: si quid autem volunt* Genes. 3. *discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.*

1. ad Timoth. 2. v.11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.*

Denique ad Ephes.5. v.22. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ. Ipse, Salvator corporis ejus; sed sicut Ecclesia subdita est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.*

Quibus verbis non tantùm dogma Catholicum declaravit Apostolus, sed etiam rationes & causas veluti expressit, cur viri potius quam mulieres ad ecclesiastica munia vocentur: quòd nempè vir caput sit mulieris, sicut Christus caput Ecclesiæ: quòd non mulier viro, sed vir mulieri dominari debeat: quòd mulier propter virum, non propter mulierem vir sit: quòd ex viro mulier, non è contra: quòd seducta sit mulier à serpente, non vir; unde turpe ait esse mulieri loqui in Ecclesia. Quare turpe? quia est tum contra legem à Christo latam, tum contra ipsam sexus muliebris conditionem ac naturam: nativo siquidem pudore mulieres à docendi munere removentur, habet enim munus istud certum dominii genus, quod muliebri verecundiæ ac subjectioni aptè non congruit. His testimoniis & momentis utitur S. Epiphanius in confutandis hæresibus 49. & 79.

Tom. 1. p. 419. 1058. & seq. Ibidem. Probatur 2. ex perpetua Ecclesiæ Traditione ac praxi. Quia ut arguit idem S. Epiphanius ad hæresim 79. num. 2. & 3. ex quo mundus conditus est, apud veræ Religionis cultores nulla umquam mulier sacerdotio functa est, ne Eva quidem, aut ulla ipsius filia; sed soli viri ad hoc munus assumpti sunt; in Lege naturæ, Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob; in Lege verò scripta, solus Aaron, ejusque filii, & alii ex Levitarum propagine masculi descendentes. In novo quoque Testamento, ait S. Epiph. citata hæresi 79. num. 3. *si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam in Ecclesia præstare liceret, nulli potius, quàm Mariæ, committi Sacerdotis officium debuisset, cui tantus honos est habitus, ut gremio sinuque suo Regem omnium, ac cœlestem Deum, Deique filium exciperet.... Verùm longè Deo aliter visum est; ac ne baptizandi quidem potestas illi facta, cùm alioqui tingi ab illa Christus potius quàm à Joanne potuisset.* Pariter si docendi munus permitti potuisset, ait S. Clemens Romanus Constitutionum Apostolicarum L. 3. cap. 6. Mariæ permissum fuisset, & aliis mulieribus quæ ab initio cum Christo fuerant, ipsumque attentiùs audierant. Hæc ergo sacerdotalia officia cùm omnibus retro sæculis tam in antiqua, quàm nova Lege mulieribus vetita fuerint, nec Virgini ipsi Dei Matri permissa, profectè rectè ex iis ostenditur, nulli umquam mulieri Sacerdotis officium permitti posse. Aptè igitur Tertullianus Lib. de velandis virginibus cap. 9. *Non permittitur, ait, mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec nullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.*

(Margin: T. 1. Conc. p. 312. — P. 178. A.)

Ex his inferes jure à constitutione divina, non à sola Ecclesiastica lege mulieres à sacris Ordinationibus arceri: quod tamen jus, licèt sit naturæ sexus muliebris maximè conveniens, simpliciter tamen naturale dici non debet, quia sublata Dei institutione, naturalis mulierum conditio ex sese eas non reddit omninò incapaces Ordinationis, cùm & Debboram feminam exercitus duxisse, populum Judaicum rexisse, eisque utiliter præfuisse Scriptura memoret; cùm mulieres prophetissas in veteri & novo Testamento, Mariam sororem Moysis, Debboram prædictam, Holdam, Annam quæ Christi adventum in Templo nuntiavit, & Philippi Evangelistæ quatuor filias virgines prophetantes legamus; cùm plurium Regionum lex sit, ut ad Regni solium etiam mulieres hæreditario jure deveniant: quæ omnia ostendunt, naturali juri non omninò repugnare quòd mulieres habeant in viros imperium: naturali tamen juri convenientissimum est, ut non habeant. Nam præter naturalem subjectionem, quæ mulieres decet, obstant muliebris sexus verecundia, honestas, pudor, quominus publica sacerdotalia munia decenter attre-

(Margin: Hall. p. 499. — Judic. 4. — Exodi 15. — Judic. 4. — 4. Reg. 22. — 2. Paral. 34. — Luca 2. — Act. 21.)

attrectent: obstant innata sexui levitas, inconstantia, impotentia.

Dices 1. Galat. 3. v. 27. *Quicumque baptizati estis in Christo, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina.*

Resp. dist. ant. Non est in Christo masculus neque femina, in iis quæ pertinent ad fidem & salutem, concedo: *Omnes enim*, ait v. 26. *filii Dei estis per fidem quæ est in Christo Jesu*. In his quæ pertinent ad ministerium ecclesiasticum, seu sacras Ordinum functiones, nego.

Dices 2. Legimus tum in veteri tum in novo Testamento, nonnullas mulieres prophetiæ dono fuisse præditas: quidni ergo & ad Ordines sacros promoveri possunt?

Resp. nego consequentiam. In his enim quæ pendent à Dei voluntate non alia quærenda ratio, quàm ejus voluntas. Quamquam aliqua disparitatis ratio intersit. In donis enim quæ vocantur gratiæ gratis datæ, nullus servatur ordo naturæ, & aliquando Deus infirma eligit, ut fortia quæque confundat. Et verò in ecclesiastico regimine instituendo, licèt supernaturalem Sacerdotibus ac ministris Christus tradiderit potestatem, ordinem tamen voluit servari naturalem, ut sexus ille à sacerdotio excluderetur, qui ad subjectionem factus est, non ad imperium destinatus. Rationem hanc confirmare videtur S. Th. in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. ad 1. his verbis: *Prophetia*, inquit, *non est Sacramentum, sed Dei donum; unde ibi non exigitur significatio, sed solùm res. Et quia secundùm rem in his quæ sunt animæ, mulier non differt à viro, (cùm quandoque mulier inveniatur melior quantùm ad animam multis viris) ideo donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest recipere, sed non Ordinis Sacramentum.* *Tom. 10. pag. 453. col. 2. B.*

Dices 3. Legimus apud varios Auctores Catholicos, sedisse olim in Ecclesia Romana inter Leonem IV. & Benedictum III. nono sæculo mulierem aliquam quæ consecrata fuerat in Papissam. Id referunt imprimis Marianus Scotus, cujus hæc verba leguntur in Chronico Francofurti edito ad ann. 853. *Leo Papa obiit Kalendis Augusti. Huic successit Joanna mulier, annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor.* Joanna Papissa. *Vide T. 8. Conc. p. 157 quomodo evertatur fabula.* An. 847. Leo IV. an. 8. m. 5. d. 5.

Idem referunt Martinus Polonus Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Nicolai III. S. P. Pœnitentiarius fuit, Sigebertus in Chronico ad ann. 854. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus parte 2. Chronici, titulo 16. cap. 2. paragr. 6. Platina in Libris de vitis Pontificum in Joanne VIII. An. 855. Bened. III. an. 2. m. 6.

In confirmationem illius historiæ adducunt etiam statuam quamdam marmoream, quæ veluti historiæ illius monumentum posita fuit, ad viam, in qua Papissa pepererat; mulierem scilicet adumbrabat cum infante: quæ statua ibi per multos annos spectantibus SS. Pontificibus superstes visa est, donec aliquo ex illis jubente, in Tiberim dejecta fuit.

Addunt quòd & Senis in majori Templo inter Pontificum Romanorum statuas, Joannæ Papissæ simulacrum collocatum fuit, usque ad Pontificatum Clementis VIII.

Resp. 1. Nihil omninò inferri posse ex hac historia, etiamsi esset vera. Conveniunt enim omnes auctores, quòd cùm mulier hæc mentita esset sexum suum, in Pontificem creata fuerit & ordinata: sed quemadmodum illa decepisset Episcopos eam consecrantes, ita & illa decepta fuisset, nihil accipiens in Ordinatione, cujus recipiendæ erat prorsus incapax.

Resp. 2. Fictam & fabulosam esse hanc de muliere Papissa narrationem, jam omnes cordati fatentur, atque etiam inter communionis Catho-

licæ

licæ hostes doctrina sua notissimus Blondellus Minister Calvinianus, in Dissertatione singulari quam circa hanc quæstionem evulgavit.

Atque his potissimùm argumentis id demonstrari potest.

Primum: Auctores qui referunt illam fabulam, collocant illam mulierem inter Leonem IV. & Benedictum III. atqui id apertè repugnat auctoribus antiquis & coævis, qui asserunt Benedictum III. immediatè successisse Leoni IV. Ita inter alios Lupus Ferrariensis Epistola 103. ad Benedictum III. ubi gratulatur ipsi quòd Leoni successisset; Ado Viennensis in Chronico ad ann. 855. ubi scribit statim ab obitu Leonis IV. electum fuisse in ejus locum Benedictum III. Anastasius Bibliothecarius in vita Benedicti III. ubi scribit Benedictum III. in Leonis IV. Solio Apostolico pacificè sedisse à die 29. Sept. ann. 855. Cùm itaque Leo IV. obierit 17. Julii ejusdem anni, ut constat ex eodem Anastasio in ejus vita, nullum superest tempus quod Joanne illi possit assignari. Annales Bertiniani ad ann. 855. ubi dicitur Leoni IV. ann. 855. successisse Benedictum III. Non itaque ipsi successit femina, quæ sederit annis duobus, mensibus quinque & diebus quatuor. Benedicto III. successit Nicolaus I. ex eisdem Annalibus; Nicolao I. Adrianus II. Adriano Joannes VIII. Regino Prumiensis Abbas in Chronico ad ann. Christi 855. scribit Lotharium Imperatorem obiisse an. 855. die 29. Sept. à quo ante mortem in Sede Apostolica collocatus fuerat Benedictus III. pulso Antipapa Anastasio; eodemque anno obiisse Leonem IV. die scilicet 17. Julii. Ergo non datur locus Joannæ. Hincmarus Archiepiscopus Remensis Epistola 26. scribit misisse se aliquos Nuntios ad Leonem IV. ut postularent ab eo aliquam gratiam, qui cùm in via audiissent vita functum Leonem, iter nihilominus perfecerunt, & à Benedicto ejus successore privilegium obtinuerunt.

Denique Nicolaus I. Benedicti III. immediatus successor, in Epistola 46. ad Patres Concilii Suessionensis data die 6. Dec. ann. 866. testatur Benedictum statim Leoni successisse.

Secundum: Hostes Romanæ Sedis infensissimi texentes Catalogum Romanorum Pontificum testantur Benedictum III. immediatè successisse Leoni IV. An verò credibile est eos hanc historiam prætermissuros, si veram existimassent, vel si eam cognovissent? Photius, qui vivebat iis temporibus, L. de Spiritus sancti processione, Pontifices Romanos qui Ecclesiam Romanam regebant suo tempore enumerans, Benedictum III. immediatè post Leonem IV. collocat. Idem præstat alter R. Sedis hostis Metrophanes Smyrnæus, in Libro quem scripsit de divinitate Spiritus sancti.

Tertium: Nulli auctores illius sæculi hanc historiam referunt: quis verò credat rem adeo novam & insolentem tanto silentio sepultam fuisse, cùm alia iidem Scriptores non prætermittant longè minutiora?

Ad momenta verò quæ in gratiam hujus fabulæ proferuntur

Dico ad Marianum Scotum. 1. eum ducentis tantùm annis scripsisse post Benedictum III. nullo appellato hujus suæ narrationis teste vel auctore. 2. in sinceris Mariani Scoti codicibus fabulam hanc non exstare sicut testatur Scriptor qui Metropolim Alberti Krantzii notis illustravit, ad Lib. 2. pag. 100. editionis Coloniensis ann. 1574. 3. tam frequentes occurrere anachronismos, tam graves contradictiones apud illum auctorem, ut vix fidem mereatur.

Ad Martinum Polonum, dico 1. Chronicum ipsius fuisse interpolatum; hanc-

hancque narrationem de Joanna Papissa, in codice manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ antiquissimo & integerrimo desiderari testatur Leo Allatius. Quin & ipse D. Burnetus in itinere Anglicano ait, se vidisse in Anglia codicem manuscriptum Martini Poloni, in quo non habebatur hæc Papissæ historia in textu, sed solùm ad marginem aliena manu descripta, quod ejus falsitatem apertè demonstrat. 2. Exstant in eodem Chronico aliæ ejusdem historiæ circumstantiæ, quæ planè fabulam redolent: v. g. puellam hanc Athenas profectam fuisse ut Litteris operam daret; per biennium docuisse, & postea concordi suffragio electam in Pontificem, ab uno ex familiaribus gravidam factam fuisse. Quis risum contineat dum hæc tam ludicra audit? *Nouvelles de la Repu bl. des Lettres. Mars ann. 1687. pag. 289.*

Ad Sigebertum, dicendum hanc historiam, quæ cum antecedentibus non cohæret, ejus Chronico assutam fuisse aliena manu, ut constat ex autographo Cœnobii Gemblacensis, quod à Miræo editum est, in quo desideratur.

Ad S. Antoninum. 1. deceptus fuit ab interpolatore Martini. 2. dubitanter de illa fabula loquitur: *Si verum fuit*, inquit, *quod vulgò dicitur*, *& iste refert*. 3. suspectam sibi esse fatetur, propter silentium Vincentii Bellovacensis & Joannis de Columna.

Ad Platinam. 1. satis innuit se pro fabula habere hanc narrationem: sic enim loquitur postquam eam retulit. *Hæc quæ dixi*, inquit, *vulgò circumferuntur*, *incertis tamen & obscuris auctoribus*. 2. non omnem fidem meretur Platina, qui in Pontifices plerosque parum æquus fuit, ac virulento calamo interdum ultus injuriam sibi à Paulo II. ut existimabat, illatam, à quo nempè in carcerem conjectus fuerat, propter suspicionem seditionis in ejus Sanctitatem concitatæ. *P. 103.*

Quod additur de statua illa marmorea, quæ diu Romæ visa fuit, nihil probat. Nam pridem viri eruditi observarunt, repræsentari per hanc statuam, aut Sacerdotem aliquem Gentilium, aut eorum aliquod Numen; maximè cùm altera manu ramum humero innixum deferret, quod numquam fuit insigne Romanorum Pontificum, sed crux aut claves. Hanc autem statuam auferri jussit Sixtus V. ut magis patentem viam aperiret, in qua posita illa fuerat. Neque magis quidquam probat statua Senensis: hoc enim tribuendum vel errori, vel licentiæ sculptoris.

Pictoribus atque Poetis
Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas: ait Horatius.

Dices 4. Mulieres sunt capaces jurisdictionis ecclesiasticæ, ut patet imprimis exemplo Abbatissæ Fontis Ebraldi in Gallia, cujus in viros etiam tanta est potestas, si credimus monimentis hujus Monasterii, ut benedictionem Monachis sui Ordinis impertiatur, veste monachali eos induat, vota eorum excipiat, sacramentum obedientiæ ab illis exigat; ergo &c.

Resp. nego ant. & ejus probationem. Imperium enim illius Abbatissæ & similium in Monachos & Moniales sibi subditas purè œconomicum est, non autem propriè jurisdictio ecclesiastica: aliàs posset ferre Censuras ecclesiasticas in personas sibi subditas, quod est absurdum; potestas enim ligandi & solvendi solis Sacerdotibus concessa fuit à Christo Domino.

Dices 5. Mulieres possident Beneficia ecclesiastica, instituunt Clericos in Beneficiis, Lectiones publicè recitant in Ecclesia, psallunt in Choro, & dum celebratur Missa, modulantur, quæ munia spectant Clericos; ergo possunt functiones Ordinum exercere.

Resp.

Resp. nego I. conseq. Nam potuit Ecclesia quibusdam mulieribus ex suis bonis conferre, quemadmodum olim ex reditibus suis, teste Apostolo, viduas sustentabat. De lectionibus & cantu earum nihil inferri potest, quia id privatim censentur facere, non autem ut ministri publici Ecclesiæ: illud autem ipsis permisit Ecclesia, ut aliquam ex laudibus divinis in sua solitudine habeant consolationem.

II. Etiamsi concederemus mulieribus nonnullis datam ab Ecclesia aliquam externam jurisdictionem, non sequitur iisdem dari posse internam in animas potestatem. Cujus discriminis ratio est, quòd externa jurisdictio ab Ecclesia ducat originem; interna verò à Christo, qui solis viris eam concedi voluit.

Dices denique: Occurrit in veteribus Ecclesiæ monimentis sæpissimè mentio Episcoparum, Presbyterarum, Diaconarum vel Diaconissarum: nonne his nominibus ac titulis vera designatur Ordinatio Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, mulieribus olim concessa?

Resp. de his sigillatim agendum nobis esse, quæ majorem habent controversiam, & exigunt instituti veteris notitiam.

Quæ fuerint olim dictæ Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, Subdiaconissæ.

Triplex olim in Ecclesia fuit ordo mulierum: virginum scilicet, quæ perpetuam virginitatem ac continentiam Deo voverant, quarum tam honorifica extat apud Veteres, præsertim verò S. Cyprianum L. de habitu virginum mentio. 2. viduarum, quæ post mortem viri, omnem sibi ad secundas nuptias aditum solemniter continentiam promittentes præcludebant. 3. Diaconissarum, quæ ex virginibus & viduis ad aliqua ecclesiastica munia destinabantur. Præter illas, aliquæ vetera monumenta percurrenti occurrunt, quæ Episcopæ ac Presbyteræ dicebantur.

Quæres itaque 1. cur nonnullæ mulieres olim dictæ sint Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ, Subdiaconissæ.

Resp. 1. non ab ullo Ordine seu ministerio ita dictas fuisse, sed à viris suis, qui cùm ad illos Ordines assumebantur, eas derelinquebant, aut in sæculo voto castitatis obstrictas, aut in Monisteriis solemniter Religionem profitentes. Uxores igitur eorum qui ad Episcopatum vocabantur, vel ad Presbyteratum, vel ad Diaconatum, vulgari quodam usu, potius quàm ulla vera ratione (inquit Pontius, de Matrimonio Lib.7. cap.25. nu.1.) vocabantur Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ &c. Hoc modo usurpantur ea nomina.

In Concilio Turonensi II. ann.567. Postquam enim Can.12. præcepit ut Episcopus conjugem ut sororem habeat, statim Can.13. *Episcopam* appellat. *Episcopum*, inquit, *Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum*. Et Can. 19. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni Officio clericali.*

(Tom. 5. Conc. pag. 855. C.D. E. — Ibid. pag. 858. A.)

In Concilio Autisiodoresi ann.578. Can.21. *Non licet Presbytero, post acceptam benedictionem, in uno lecto cum Presbytera sua dormire*. Et Can. 22. *Non licet relictæ Presbyteri, nec relictæ Diaconi, nec Subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere*. Explicat ille Canon quæ sit Presbytera vel Diacona; nempè uxor Presbyteri vel Diaconi, ab iis derelicta, cùm ad illos Ordines promoti sunt. Eodem modo exponunt Concil. Aurelianense I. cap. 13. Epaonense cap. 32.

(Ibid. pag. 959. D.E.)

In Con-

In Concilio pariter Romano sub Gregorio II. an. 721. Capitulo 1. dicitur: *Si quis Presbyteram duxerit in conjugium; anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.* Et Capitulo 2. *Si quis Diaconam in conjugium duxerit; anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit.* In quo etiam Concilio Adrianus quidam, qui cum Epiphania Diacona, quam post sacramentum in Apostolica confessione præstitum in uxorem ausu illicito habuerat, anathematis sententia cum ipsa perculsus est. Quibus Conciliorum Decretis lucem adfert historia Nursini Presbyteri, qui, ut habet S. Gregorius Dialogorum Lib. 4. cap. 11. *à tempore Ordinationis acceptæ Presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propiùs accedere numquam sinebat.* Tom. 6. Conc. pag. 1456. C. Ibidem. Tom. 2. p. 388. C.

Ejusmodi uxores ab Episcopis vel Presbyteris, vel Diaconis derelictæ tenebantur vel castitatem vovere, si in sæculo remanerent, vel ad Monasteria se recipere, ibique Religionem solemniter profiteri; unde post mortem virorum suorum, non poterant ad alia vota transire. Patet istud ex jam citato Can. 22. Concilii Autisiodorensis, & Capitulo 1. & 2. Conc. Romani: patet ex aliis etiam Conciliis. Hall. pag. 503.

Ex Aurelianensi I. an. 511. cap. 13. *Si*, inquit, *se cuicumque mulier, duplici conjugio Presbyteri vel Diaconi relicta conjunxerit, aut castigati separentur, aut certè, si in criminum intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.* T. 4. Conc. p. 1407. A.

Ex Epaonensi an. 517. Can. 32. *Relicta Presbyteri, sive Diaconi, si cuicumque nupserit, eatenus ab Ecclesia pellatur, donec à conjunctione illicita separetur.* Ibid. pag. 1580. B.

Ex Toletano I. cap. 18. *Vidua Episcopi, Presbyteri, Diaconi, si maritum acceperit, nullus Clericus, nulla Religiosa cum ea convivium sumat, numquam communicet, nisi moriens.* T. 2. Conc. p. 1226. C.

S. Basilius Epistola num. 178. ad Paregorium jam septuagenarium, non solùm à concubitu maritali eas arcet uxores, sed & à contubernio, & in Monasterium detrudi imperat. *Ejice*, inquit, *illam ex ædibus tuis, & trade in Monasterium. Sit illa cum virginibus, & tu inter viros ministra, ne nomen Dei propter vos blasphemetur.* Ed. vet. Tom. 2. p. 985. C.

Sexta pariter Synodus seu Trullana Can. 48. jubet Episcopi uxorem communi priùs consensu à viro separatam, *Monasterium procul ab eo dissitum ingredi*; aut, si digna fuerit, ad Diaconatus dignitatem provehi. T. 6. Conc. p. 1165. C.

S. Gregorius Magnus Epistola 7. ad Januarium Calaritanum Lib. 9. aliàs Lib. 7. Indictione 2. docet Presbyterarum peculiares fuisse vestes, dum in Gavinia Abbatissa hoc reprehensione dignum fuisse adnotat, quòd monachica veste indui noluerit, sed in vestibus *quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permanserit.* Tom. 2. p. 931. C.

Resp. 2. Alio quoque sensu Presbyteras & Diaconas vel Diaconissas olim dictas fuisse, eas scilicet quæ quibusdam ministeriis ecclesiasticis fungebantur, absque ulla tamen vera Ordinatione. De Diaconissis patebit ex dicendis posteà; de Presbytera autem exemplum habemus tum apud S. Athanasium ad virgines, ubi juxta vim nominis græci, senior femina seu vidua, *Presbytera* nominatur. Tum in Concilio Laodiceno Can. 11. ubi dicitur, *non oportere eas, quæ dicuntur Presbyteræ & præsidentes in Ecclesiis ordinari*; quem Canonem Isidorus Mercator per quamdam paraphrasim sic vertit: *Mulieres quæ apud Græcos Presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ seniores, univiræ & matriculariæ nominantur, in Ecclesia tamquam ordinatas constitui non debere.* Inde est quòd Photius in suo Nomocanone, T. 1. Conc. p. 1510. E. Præsidentes dicuntur, quòd aliæ feminæ iis subjectæ forent.

titulo

Matriculariæ dictæ, quòd in Ecclesiæ matricula seu catalogo descriptæ forent. titulo I. cap. 37. notat diversam esse Presbyteram à Diaconissa; quòd procul dubio diversum foret utriusque officium.

E contra observat S. Epiphanius, ad hæresim 79. quæ est Collyridianorum num. 4. *solum Diaconissarum officium apud Ecclesiasticum ordinem necessarium fuisse; ac viduas quidem nominatim expressas, & inter illas, quæ anus essent, Presbytidas vocatas, numquam Presbyteridas aut Sacerdotissas esse factas.* Ex quibus verbis inferunt aliqui, apud S. Doctorem Presbyteræ nomen ætatis dumtaxat fuisse, non dignitatis; atque Presbyteram & Diaconissam unam & eamdem fuisse mulierem, quæ Diaconissa à suo ministerio, Presbytera verò à senili ætate nuncupabatur. Nihilominus utrumque potest rectè conciliari in mente S. Epiphanii, scilicet mulieres seniores vocatas fuisse Presbytidas, & propter ætatem, & propter distinctum officium. Cùm enim sanctus Doctor ait eas nusquam Presbyteridas aut Sacerdotissas factas fuisse, non negat eas speciali alicui officio seu ministerio destinatas fuisse, sed negat dumtaxat eas verè ordinatas fuisse ad aliquod perficiendum aut conferendum Sacramentum: immediatè enim post citata verba, de ipsismet Diaconis ait, *Nam neque Diaconis quidem ipsis ullum in Ecclesiastico ordine Sacramentum perficere conceditur; sed hoc dumtaxat, ut eorum, quæ perficiuntur, ministri sint.*

Tom. I. p. 1060. D.

S. Hieronymus in Prologo sui Commentarii in Sophoniam, postquam dixit, Historiam Græcam & Latinam plenam esse virtutibus feminarum, in confirmationem addit, *Dominum resurgentem primùm apparuisse mulieribus, & Apostolorum illas fuisse Apostolas, ut erubescerent viri non quærere, quem jam fragilior sexus invenerat.*

Tom. 3. p. 1643.

Quæres 2. An fuerint olim Diaconissæ?

Resp. Exploratum esse apud omnes, in veteri Ecclesia mulieres quasdam assumptas fuisse ad aliqua ecclesiastica ministeria, unde Diaconissæ vel Diaconæ dicebantur.

S. Paulus ad Romanos 16. v. 1. *Commendo vobis*, inquit, *Phoeben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris*, græcè, διάκονον. Et 1. ad Timoth. 5. v. 9. *Vidua*, inquit, *eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* De viduis autem in ordinem Diaconissarum coaptandis loqui Apostolum docent vulgò interpretes.

S. Ignatius Martyr vir Apostolicorum temporum, in Epistola ad Antiochenos, *Saluto*, inquit, *sanctarum portarum custodes, Diaconissas: saluto sponsas Christi virgines.* Et in Epistola ad Philippenses, *Saluto collegium virginum, & ordinem viduarum.*

Ed. Cotell. p. 930. B. vid. pag. 940 A.

S. Clemens Lib. 8. Constitut. Apostolicarum cap. 19. *De Diaconissa ego Bartholomæus sic constituo, ut manus ei Episcope imponas præsentibus Presbyteris & Diaconis ac Diaconissis.* Infinita propemodum sunt vetera testimonia de Diaconissis, quæ in re clara nec controversa omittimus.

Tom. I. Conc. pag. 489. B.

Quæres 3. Quænam fuerint Diaconissarum in veteri Ecclesia ministeria.

Resp. plura fuisse. S. Epiphanius ad hæresim 79. nu. 3. ea exponit his verbis: *Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est; sed ut muliebris sexus honestati consulatur: sive ut Baptismi tempore adsit; sive ut inspiciat si quid passa sit, aut molestiæ pertulerit; sive ut cùm nudandum est mulieris corpus, interveniat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore ve-*

Tom. I. p. 1060. C.

stibus

stibus exuitur. Qua in re cùm ordinis illius modestiæ, tum ecclesiasticæ disciplinæ prudenter admodum ex Canonis præscripto ac regula consultum est.

Hæc igitur ex veteribus monimētis discimus fuisse Diaconissarū ministeria.

I. Ut si femina Episcopum vel Diaconum vellet alloqui, hanc ad illos Diaconissa, ut honestatis illius esset testis, deduceret. Ita præcipitur L. 2. Constit. Apostolicarum cap. 26. *Tom. 1. Conc. pag. 263. C.*

II. Viduarum cura erat illi quodammodo cum Diacono communis, unde & illi obedientiam præstare jubentur in eisdem Constitutionibus L. 3. cap. 7. *Viduas oportet esse honestas*, ajunt, *obedientes Episcopis, Presbyteris, Diaconis; adhuc & Diaconissis*. Et c. 15. dicitur: *Eliges* (Episcope) *Diaconissam fidelem & sanctam ad ministrandum mulieribus*. *Ibid. pag. 313. D. Ibid. pag. 321. A.*

III. Negotiis urgentibus, cùm feminas Episcopi adire non poterant, Diaconissæ eorum sensus ac voluntatem ad illas deferebant. *Evenire enim solet*, ajunt ibid. Constitutiones, *aliquando in quibusdam domibus, ut non possis propter infideles, mittere Diaconum ad mulieres, mittere verò possis Diaconissam propter cogitationes improborum: ad multa enim indigemus Diaconissa*. *Ibid. B.*

IV. Rusticis & imperitis mulieribus principia fidei, vel Baptismi ritus exponere Concilium Carthagin. IV. Can. 12. Diaconissæ committit. *T. 2. Conc. p. 1201. A.*

V. Cùm mulieres baptizabantur, in earum corporibus nudandis, & cautè, prout deceret, operiendis attenta erat Diaconissa, & chrisma vel oleum fronti capitique impositum per totum corpus manibus expandere potestatem acceperat. Colligitur istud earum munus ex L. 3. Constitut. Apostolicarum cap. 15. & 15. 16. & ex S. Epiphanio citato. *Tom. 1. Conc. pag. 321. A. B. D.*

VI. Ad majorem adhuc pudoris mulierum custodiam, portam qua in Ecclesiam ingrediebantur, claudebat vel aperiebat Diaconissa, ut innuit antea citatus S. Ignatius in Epistola ad Antiochenos, & videre est apud Clementem L. 8. Constitutionum cap. 28. *Tom. 1. p. 1060. C.* *Tom. 1. Conc. pag. 493. C.*

VII. Singulas mulieres, sive pauperes, sive divites, Ecclesiam ingressas, & quo in loco sedere deberent nescias, Diaconissa proprio statuebat loco. Ita L. 2. c. 58. Constitutionum Clemens statuit. *Ibid. pag. 297. E.*

VIII. Diaconissæ testimonio fidem habebant Ecclesiæ Prælati, cùm de amissa integritate virgo Deo sacrata in suspicionem veniebat, atque idcircò examini & sententiæ Diaconissæ relinquebatur exploranda. Quamvis enim judicium hujusmodi ad obstetrices S. Cyprianus retulerit in Epistola ad Pomponium, Diaconissis tamen suo tempore negotium hoc commendatum fuisse testatur S. Epiphanius hæresi 79. n. 3. Verisimile est viduas, non virgines, ad hoc officium destinatas fuisse. *Pag. 99.* *Tom. 1. p. 1060. C.*

IX. Denique, Diaconissarum curæ in Monasteriis tota sacra supellex commissa erat. Propter illa ergo ministeria publica in agapis Ecclesiæ Diaconissæ pars seponebatur, ut edicit Clemens Constitut. Apostolic. L. 2. cap. 28. & ex reliquiis quoque oblationum portio illi assignabatur, ibid. L. 8. c. 31. *Goar. pag. 266. n. 6.* *T. 1. Conc. p. 266. C.* *Ibid. pag. 496. B.*

Quæres 4. Quænā inter mulieres ad munus Diaconissarū assumerētur olim.

Resp. Viduas & virgines ad id munus assumptas fuisse. *Diaconissa*, inquit Clemens Constitut. Apostolic. L. 6. c. 17. *eligatur virgo pudica: sin autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ uni nupserit, & fidelis, atque honorata sit*. Et S. Epiphanius cap. ultimo Panarii n. 21. in Expositione Catholicæ fidei, *Illæ quidem*, inquit, *univiræ, & continentes esse debent: vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines*. *Ibid. pag. 393. A.* *Tom. 1. p. 1104. B.*

Apostolus 1. ad Timoth. 5. v. 9. has dotes & conditiones exigit in vidua, ut in

ut in ministerium assumatur. *Vidua*, inquit, *eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens: si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Hoc est, Adolescentiores viduas cave ne recipias ad ministerium Ecclesiæ, quòd periculum sit ne propter ætatis ardorem, fidem, quam vovissent, violent, ad alias nuptias convolando. Ea de causa vult Apostolus ut non eligatur vidua nisi sexaginta annorum, cùm deferbuit ardor sanguinis. Idem præscribitur in Constitutionibus Apostolicis Lib. 8. cap. 25. ubi dicitur: *Vidua non ordinatur, sed si jamdiu virum amisit, & castè & laudatè vixit.... sin verò paulò antè maritum amisit, ne ei credatur, sed potius adolescentia tempore exploretur: aliquando enim passiones cum hominibus consenescunt, nisi fortiori fræno cohibeantur.*

Tom. 1. Conc. p. 492. D.

Frequentiùs eligebantur Diaconissæ ex viduis, quàm ex virginibus quæ nusquam nupserant; quia nempè virgines verecundiores, minùsque in rebus gerendis probatæ, & minoris ut plurimùm auctoritatis sunt, quàm viduæ: quæ pariter viduæ hospitibus recipiendis, mulieribus monendis, in Baptismo lavandis, domi conveniendis, aliisque Diaconissarum officiis obeundis magis idoneæ ut plurimùm censebantur. Tenebantur autem illæ castitatem vovere, sicut docent SS. Basilius Epistola ad Amphil. Can. 24. Epiphanius cap. ultimo Panarii in Expositione fidei, Concilium Chalcedonense cap. 15. Aurelianense II. Can. 17. &c.

S. Basil. 2. ed. vet. p. 769. Epiph. Tom. 1. p. 1104. Tom. 4. Conc. p. 764. & 1782. B.

Virgines autem juniores, quadraginta scilicet annorum, communiter eligebantur. Quòd si rationem discriminis quæsieris, cur viduæ deberent esse sexaginta annorum, virgines autem quadraginta dumtaxat, facile erit istam reddere, quòd majus sit incontinentiæ periculum in junioribus viduis, quàm in virginibus. Causam indicat Tertullianus L. 1. ad uxorem cap. ultimo his verbis: *Vidua*, inquit, *habet aliquid operosius: quia facilè est non appetere quod nescias, & aversari, quod desideraveris numquam. Gloriosior continentia, quæ jus suum sentit; quæ quid viderit, novit. Poterit virgo felicior haberi; at vidua laboriosior: illa, quòd bonum semper habuit; ista, quòd bonum sibi invenit. In illa gratia; in ista virtus coronatur.*

P. 166. A. B.

Per viduas de quibus Apostolus 1. ad Timoth. 5. multi eas interpretantur mulieres, quę opibus Ecclesię sustentabantur, quas sexaginta annorum esse vult Apostolus, quòd si juniores essent, possent, ait S. Hieronymus, propriis manibus laborare, & unde vitam sustentarent sibi comparare; atque adeo eleemosynis Ecclesię non indigerent.

Quæres 5. An viduæ aliquo ritu consecrarentur seu benedicerentur in veteri Ecclesia.

Resp. negativè. *Vidua non ordinatur*, ait Clemens Constitut. Apostolic. Lib. 8. cap. 25. *sed si jamdiu virum amisit, & castè & laudatè vixit, & domesticorum diligentem curam habuit, ut honestissimæ illæ ac gravissimæ feminæ Judith & Anna, cooptetur in gradum vidualem.*

Tom. 1. Conc. p. 492. D.

Conc. Aurelianense II. Can. 17. *Feminæ*, inquit, *quæ benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta Canonum acceperunt, si ad conjugium probantur iterum devolutæ, à communione pellantur.* Perstringit ille Canon eas viduas quæ contra ecclesiasticam regulam benedictionem Diaconatus in solo viduarum gradu positæ receperant.

Tom. 4. Conc. p. 1782. B.

Conc.

Conc. Turonense II. Can. 20. *Omnes sciunt*, ait, *quòd nunquam in Canonicis Libris legitur benedictio vidualis, quia solum propositum illi sufficere debet &c.* Tom. 5. Concil. p. 860. D.

Velabantur nihilominus ejusmodi viduæ, ac singulari veste utebantur in signum castitatis quam voverant: unde pœnitentiæ subjiciebantur si fortè post datam fidem, ad alias nuptias convolassent. Ita Concilium Carthaginense IV. Can. ultimo, quo damnantur viduæ quæ nubunt, *postquam se devoverint Domino, & veste laicali abjecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ, in religioso habitu apparuerunt.* Et in Concilio Toletano IV. Can. 56. duo genera statuuntur viduarum, sæcularium nempè, & sanctimonialium. *Sæculares viduæ sunt*, inquit, *quæ adhuc disponentes nubere laicalem habitum non deposuerunt; sanctimoniales verò, quæ jam mutato habitu sæculari, sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis, vel Ecclesiæ apparuerunt.* Et in Toletano X. c. 4. dicitur: *Vidua quæ sanctæ religionis propositum obtinere voluerit &c..... accepta à Sacerdote vel ministro apta Religionis professioni veste &c..... ea utatur.* Tom. 2. Concil. p. 1208. A. Tom. 5. Concil. p. 1719. A. Tom. 6. Concil. p. 462. A.B.

Quòd si nonnullis Conciliorum statutis prohibitum legeris, ne velum imponatur viduis; non de quolibet, sed de eo tantùm velo debent exponi quod proprium erat Diaconissarum. Quadruplex enim distingui debet velum: *Scilicet velum professionis, consecrationis, ordinationis, & prælationis: velum professionis imponebatur tam virgini, quàm viduæ; velum consecrationis est quod tantùm virginibus imponitur; velum ordinationis quod olim imponebatur Diaconis; velum prælationis, quod dabatur Abbatissis.* Inter velationem autem viduarum & virginum hoc erat discrimen, quòd nempè virgo ab Episcopo vel Sacerdote velabatur, non ita vidua. Glossa in Canonem Devotis 20. q. 1.

Quæres 6. An Diaconissæ singulari aliquo ritu qui veram referret ordinationem, consecrarentur.

Resp. affirmativè: exstant eam in rem certissima monumenta. L. 8. cap. 19. & 20. Constitutionum Apostolicarum hæc præscribitur forma ordinandi Diaconissas, *ut manus ei Episcopus imponat præsentibus Presbyteris & Diaconis ac Diaconissis, ac dicat: Deus æterne, Pater D. nostri J. C. qui viri & mulieris auctor es, qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu sancto implevisti.... ipse nunc respice hanc ancillam electam ad ministerium, & mundam effice ab omni inquinatione carnis & spiritus, ut opus sibi impositum dignè perficiat &c.* Tertullianus L. 1. ad uxorem cap. 7. *Quantùm fidei*, inquit, *detrahunt, quantùm obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & Apostoli præscriptio declarat, cùm digamos non sinit præsidere, cùm viduam adlegi in ordinem, nisi univiram non concedit.* Tom. 1. Concil. p. 489. B.C. P. 165. C.

Conc. generale I. Nicænum Can. 19. postquam edixit Paulianistas rebaptizandos esse, ac iterum ordinandos si digni fuerint, idem circa Diaconissas observandum esse decernit. *Similiter autem*, inquit, *& de Diaconissis, & omninò de omnibus qui inter Clericos annumerantur, eadem forma servabitur.* Id est, non modò baptizari debent, sed etiam si examine facto digni deprehendantur, iterum ad eumdem gradum ordinari poterunt, quem apud suos acceperant. Statim autem exceptionem de Diaconissis subjungit Synodus: *Diaconissarum autem meminimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem, ut omninò inter laicos ipsæ connumerentur.* Hallerius, De sacris Ordinationibus sectione 4. cap. 2. paragr. 6. n. 13. ita Canonem exponit, quasi Diaconissæ olim in sua Ordinatione manuum impositione non percepissent. E contra Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 10. c. 2. n. 13. 14. & 15. putat ex dicto Canone inferri hoc unum posse nempè eas mulieres, quæ apud Paulianistas Diaconissarum munia exercuerant, Tom. 2. Concil. p. 38. E. Ibid. Hall. p. 507. Morin. p. 188.

non accepta manuum impositione, merè laicas esse, & in numero Laicorum ab Episcopo esse relinquendas; nisi fortè tam dignæ forent, ut illam Ordinationem seu manuum impositionem percipere mererentur.

Tom. 14. Concil. p. 776. B. Concilium Chalcedonense Can. 15. sic habet: *Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine. Si verò suscipiens manus impositionem, & aliquantùm temporis in ministerio permanens, semetipsam tradat nuptiis, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo qui eidem copulatur.* Aperta hìc mentio χειροτονίας seu impositionis manuum, quæ usurpabatur in Ordinatione Diaconissæ non minùs quàm in Ordinatione Diaconi.

Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus, ritum exhibet ordinandi Diaconissam, ad altare, inter Missarum solemnia, post Epistolam & Bibliotb. PP. T.13. p.736. H. Graduale; consecratione peracta, *Tunc*, inquit, *ponat Episcopus Orarium in collo ejus dicens: Stola jucunditatis induat te Dominus. Ipsa autem imponat velamen capiti suo, palam omnibus de altari acceptum.*

Morin. p. 188. Idem habetur in Pontificali manuscripto qui servatur in Bibliotheca Collegii Tolosani vulgò Fuxensis, additurque: *Deinde imponit ei Episcopus Orarium; posteà dat ei annulum dicens, Accipe &c. Postea torquem sive coronam, dicens, Accipe &c.*

In Codice manuscripto quem refert Morinus, De sacris Ordinationibus P. 69. E. parte 2. sic loquitur: *Episcopus ordinandæ caput inclinanti manum imponit, factisque tribus crucis signis, sic precatur: Deus sancte & omnipotens &c.... Et* P. 70. F. *postquam particeps facta est sancti corporis & sanguinis pretiosi, tradit ei Archiepiscopus sanctum calicem, quem accipiens in sancta mensa deponit.*

In Euchologio Græcorum à doctissimo Goario edito pag.262. legitur Officium ordinandi Diaconissam. Ex manuscripto pariter Codice similem ritum refert in suo Nomocanone Matthæus Blastares, cujus verba sic Latinè reddidit Arcudius L. 6. cap. 10. *Ea omnia peragi in Diaconissæ initiatione tradunt, quæ* Pag. 472. col. 2. C. *& in Diaconorum solent. Quippè ad sacram mensam adducta pallio Pontificis contegitur, extremitatibus pallii à parte anteriori Pontificis pendentibus, ac prolatis illis verbis, Divina gratia quæ infirma sanat &c. Neutrum pedum adgenuflectit, sed tantùm caput inclinat, impositaque ipsi manu Pontifex precatur, ut sine reprehensione ministerii opus perficiat, castitatem atque honestam conversationem sectetur; ac ita sacris ædibus præsto sit. Non autem permittit ei immaculata administrare Eucharistiæ mysteria, nec flabellum ei in manus tradit, ut fit in Ordinatione Diaconi, sed stolam Diaconorum subter pallium Pontificis collo ejus imponit deductis extremitatibus stolæ ad partem anteriorem. Tempore verò communionis, post Diaconos divinorum mysteriorum participem efficit; quæ accepto calice ex manibus Pontificis impertit nemini, sed continuò ipsum altari sacro imponit.*

Pag. 474. col. 1. C. Hæc postquam ex Blastare retulit Arcudius, ait *ea ex apocryphis Euchologiis excerpta esse; atque quod de illa forma enuntianda, Divina gratia &c. narratur, erroneum & hæreticum ipse judicat. At perfricta nimis fronte.... & zelo potius quam ratione in suos id asserit,* ait Goarius in suis notis ad Euchologium pag. 265. n. 3. non enim apocrypha sunt omnia Græcorum Ritualia quæ eumdem exhibent ritum Ordinationis Diaconissæ; imò hoc in Arcudio mirandum est, Exercit. 10. pag. 185. ait Morinus hìc cap. 1. nu. 7. *quòd quidquid in verbis Blastaris condemnat hæreseos, illud habet Euchologium Patriarchicum Cryptæ ferratæ, quod Arcudius Lib. 6. c. 9. & alibi sæpius ut maximè sincerum & authenticum laudat.*

Denique doctissimus Pater Martene Lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus

cap.

cap. 8. art. 11. pag. 407. repræsentat antiquum Pontificale Salisburgense in quo Diaconissæ similiter benedicuntur ac Diaconi.

Ex illis tamen omnibus veteribus monumentis cave inferas, mulieribus olim veram, propriè dictam ac sacramentalis Diaconatus Ordinationem, qualis viris competit, concessam fuisse: purè etenim cærimonialis erat & ecclesiastica illa manus impositio qua donabantur, non Sacramentum Ordinis cujus mulieres omninò sunt incapaces; idque apertè colligitur ex iisdem veteribus monumentis. Nusquam enim legimus illis Diaconissis datam facultatem administrandi Eucharistiam, quemadmodum Diaconis: sacra verò Diaconatus Ordinatio habitudinem dicit ad verum Christi corpus per Sacerdotem, cui Diaconus ministerium exhibet, consecrandum, & per Diaconos dispensandum. Unde meritò S. Epiphanius antea laudatus hæresi 79. sic loquitur: *Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem aut ullam hujusmodi administrationem institutus est.* Tom. 1. p. 1060. C.

An hæretici, scelerati, indocti validè possint ordinari.

Negarunt Vviclef & Joannes Hus, qui solos prædestinatos Sacramentorum capaces esse censebant. Ad illos accessisse videtur Marcus Antonius de Dominis L. 2. de Republica ecclesiastica c. 4. n. 4. & seq. ubi docet, irritam esse interdum Ordinationem, propter defectum notabilem personæ ordinatæ. Hall. p. 532.

E contra Catholici illicitam quidem, sed ratam & validam agnoscunt quoad substantiam & characterem, Ordinationem ab hæreticis & sceleratis sive datam, sive acceptam; multisque in Tractatu de Sacramentis in genere argumentis demonstrant, vim & efficaciam Sacramentorum à Christo pendere, non ex privatis sive ministri, sive subjecti recipientis meritis. Itaque sit

CONCLUSIO.

Valida & rata est Ordinatio quoad substantiam & characterem percepta ab hæreticis, sceleratis &c.

Probatur ex antiqua praxi Ecclesiæ, quæ permisit aliquando ut redeuntes ab hæresi, & in hæresi ordinati, in suscepto gradu manerent sine ulla nova Ordinatione: qua indulgentia erga Novatianos Concilium Nicænum I. Can. 8. erga Donatistas Concilium Africanum Can. 35. erga alios hæreticos Innocentius I. septima Synodus generalis Actione 1. usa fuit.

Hanc esse Ecclesiæ mentem maximè confirmat tota Donatistarum historia. Hæc enim controversia nata est occasione Cæciliani Episcopi in Carthaginensem Episcopum à Felice Aptungitano Episcopo consecrati, à quo cùm maximè abhorrerent Secundus Numidiæ Primas & alii in Concilio Cirtensi damnati Episcopi, traditionis crimen in Cæcilianum ejusque Ordinatores derivare conati sunt, irritam exinde ejus Ordinationem nullamque esse inferentes, utpote quæ & ordinantium, & ordinati crimine pollueretur. Catholici è contra non solùm objecta Cæciliano & ejus Ordinatoribus crimina sæpissimè diluerunt, verùm etiam illud maximè adversùs Donatistas defenderunt, nec Ordinantium impietatem, nec ordinandorum crimina obesse potuisse, quominus Cæcilianus, aut quivis alius, Ordinis Sacramento verè initiaretur, & collata ab eo vel alio quocunque Sacramenta, robur suum ac firmitatem obtinerent.

Quare duplex erat Catholicos inter Donatistas quæstio: una facti, qua Ceciliano multa crimina objiciebantur; altera juris, qua pendere Ordinationem à bonitate vel malitia seu conferentis, seu suscipientis, contendebant.

Ratione prioris, Donatistæ tamquam schismatis rei fuerunt, eo quòd legitimæ sui Pastoris, cui reliquis Orbis Christianus communicabat, electioni sese opposuerunt.

Ratione posterioris habiti sunt hæretici, eo quòd Sacramentorum efficaciam non ex meritis Christi, sed ex suscipientium vel conferentium probitate, metirentur. Persuasum igitur erat Catholicæ Ecclesiæ, sacram Ordinationem nullatenus pendere à probitate ministrantis, vel suscipientis.

Quæ hìc ex SS. Patribus opponi solent, nullo negotio solvuntur: usitata siquidem apud Scriptores sacros loquendi formula, Ordinatio irrita, inanis, nulla, vana dicitur, quæ gratiæ vacua fuerit, & per quam collatæ potestatis functiones sint interdictæ. Porro talis est Ordinatio percepta ab hæretico, scelerato &c. Sed de hoc argumento fusiùs infrà, ubi de charactere per Ordinationem impresso.

Quæ sint conditiones prærequisitæ ut quis legitimè Ordinationem percipiat.

Sex præcipuè observantur à Theologis, scilicet vocatio ad hunc statum, probitas morum ac vitæ innocentia, scientia, ætas, interstitia, & titulus de quibus sigillatim ac breviter hìc dicendum.

Vocatio. Quæres 1. an vocatio divina necessaria sit ut aliquis ad Ordines legitimè promoveatur.

Resp. affirmativè. Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu.*

Act. 1. v. 23. Hinc Apostoli in locum Judæ proditoris Apostolum suffecturi ita Deum oraverunt: *Tu Domine ostende quem elegeris.* Et Christus Joan. 10. v. 1. *Qui non intrat*, inquit, *per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Qui ergo in sacrum ministerium se ipsos temerè ingerunt atque intrudunt, ii ipsi sunt de quibus Deus apud Jeremiam cap. 23. v. 21. dicit: *Non mittebam prophetas & ipsi currebant*, quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiæ calamitosius esse potest, ait Catechismus Rom. parte 2. de Ordine num. 3.

Signa verò divinæ vocationis ista sunt. 1. conscientiæ puritas, & antè actæ vitæ innocentia. 2. studium & amor ecclesiasticæ Disciplinæ. 3. recta intentio, seu honestas finis ob quem aliquis ad sacram Ordinationem accedit. Si enim aliquis liber ab omni vitioso affectu, vacuus ab omni gloriæ cupiditate, expers omnis ambitionis & avaritiæ, ad Clerum Deo deserviendi causa, & salutis populi procurandæ gratia solùm se conferat, vocari à Deo præsumitur; sed si eum rapit ambitio, invitat avaritia, si mollis & otiosa vita fortè allicit, si domesticæ curæ impatientia traducit, divinam deesse vocationem certissima sunt argumenta. Lege mox citato loco Catechismum Romanum.

Probitas. Queres 2. an requiratur in ordinando morum probitas & vitæ innocentia.

Resp. neminem ad sacros Ordines promoveri posse, nisi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturna pœnitentia deleverit.

Apo-

Apostolus docens Timoth. quales esse debeant Episcopi & alii Ecclesiæ ministri, sic loquitur c. 3. prioris ad eumdem Epistolæ v. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed molestum, non litigiosum, non cupidum..... Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli*. Eadem ferè repetit in Epistola ad Titum c. 1. v. 7. *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*.

En virtutes quibus preditos esse, & vitia quibus Episcopos carere necesse est.

Et v. 5. ejusdem capitis 1. ad Titum, loquens de Presbyteris ait: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ... ut constituas per civitates Presbyteros... Si quis sine crimine est*,

De Diaconis 1. ad Timoth. 3. v. 8. sic habet: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes*.

Eadem semper fuit Ecclesiæ praxis ac doctrina. Hinc si quis criminis reus ad Ordines irrepsisset, cognitus statim deponebatur, ut patet ex Concilio Nicæno I. generali Can. 10. *Quicunque ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promoverunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico Canoni non præjudicat: ii enim cogniti deponuntur*. *Tom. 2. Concil. p. 34. C.*

Concilium Trid. Sess. 23. cap. 12. loquens de promovendis ad sacros Ordines, *Sciant tamen*, inquit, *Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit*. *Tom. 14. Concil. p. 869. A.*

Ejusdem Sessionis cap. 14. de his qui ad Presbyteratum assumendi sunt sic loquitur: *Ita pietate & sanctis moribus sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari*. *Ibid. D.*

Quæres 3. an & quæ in ordinandis sit necessaria scientia. Scientia.

Resp. scientiam eorum probari debere ac tentari prævio examine, pro ratione Ordinum ad quos promovendi sunt, & locorum quò mittuntur, pro ingenii captu, & doctrinæ genere quam profitentur, qui autem agresti sunt ingenio, & Litterarum planè ignari atque incapaces, rejiciendi sunt. Ita Concilium Toletanum VIII. Can. 8. *Nullus*, inquit, *ad sacra mysteria tractanda veniat indoctus, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens, sed quem morum innocentia, & Litterarum splendor reddunt illustrem*. *Tom. 6. Concil. p. 407. A. B.*

Qualis ad singulorum Ordinum susceptionem requiratur scientia, colligi potest ex Concilio Trid. sess. 23. cap. 4. 5. 11. 12. 13. & 14. Quid verò in examine à singulis quærendum sit pro ratione Ordinis quem postulant, fusè aperit Hallerius, De sacris Ordinationibus Sect. 2. c. 3. *Pag. 120. & seq.*

Concilium Coloniense II. anno 1549. statuit ut qui ordinandus est interrogetur *de fide quam tenet, de affectu quo ducitur ad petendos Ordines, de scientia quæ sufficiat ad Ordinis, quem petit, ministeria explenda, de moribus Ordinem decentibus, & ætate legitima*. *Tom. 14. Concil. p. 638. D.*

Major certè in Sacerdotibus requiritur scientia, quàm in aliis, ut docet Concilium Trid. citata Sess. 23. c. 14. quod paulò uberiùs explicatur à Catechismo Conc. Trid. parte 2. n. 56. *In Sacerdote*, inquit, *non solùm ea cognitio*

requirenda est, quæ ad Sacramentorum usum & tractationem pertinet; sed etiam sacrarum Litterarum scientia ita instructum esse oportet, ut populo Christianæ fidei mysteria & divinæ Legis præcepta tradere, ad virtutem & pietatem incitare, à vitiis revocare fideles possit.

Ibid. pag. 640. D. Mox laudatum Concilium Coloniense vult aliquam haberi rationem virorum Religiosorum qui perpetuò delitescunt in suis Monasteriis, & ad nullas functiones hierarchicas vocantur.

Ætas. Quæres 4. quænam ætas requiratur in ordinandis.

Tom. 1. p. 401. c. 2. Resp. 1. ex Apostoli sententia nemini cito imponendas esse manus. *Quid est autem*, ait S. Leo Epist. 1. aliàs 87. *citò manus imponere? nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis.*

Resp. 2. ætatem pro Tonsura & minoribus Ordinibus à Conc. Trid. non definiri, sed Episcoporum arbitrio ac prudentiæ definiendam relinqui. De iis qui prima Tonsura initiandi sunt, hæc tantùm statuit dicta Synodus Sess.

Tom. 14. Concil. p. 866. E. 23. c. 4. *Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

Tom. 15. Concil. p. 1208. E. Concilium Mexicanum an. 1585. L. 1. titulo 4. c. 2. prohibet ne Tonsura conferatur ante annum decimum quartum.

Ibid. pag. 1645. E. Concilium Burdigalense an. 1624. c. 8. De Ordine nu. 2. *Statuimus*, inquit, *nullum deinceps admitti debere ad primam Tonsuram, quin duodecimum annum ætatis suæ attigerit.*

Tom. 14. Concil. p. 500. B. Concilium Coloniense an. 1536. parte 1. Capitulo 27. *Quid*, inquit, *indecorum magis, quàm admoveri infantes, qui non intelligant quid agatur; imò ne capiant quidem, qui Clerici nomen, & reliqua minorum Ordinum vocabula significent? . . . Qui enim in Clerum allegantur, rem profitentur minimè ridiculam, nempe se peculiariter in sortem Domini adscitos, quibus posthac omnia terrena sordeant, ac solus Dominus sors ac pars hæreditatis futurus sit. Cujus quoque, priusquam ordinentur, diligenter admoneri debent.*

Resp. 2. nullum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveri posse declarat Synodus Trident. Sess. 23. cap. 12. Hunc verò annorum numerum attigisse sufficit, explevisse necesse non est, ut probat hodiernus Ecclesiæ usus: hoc est sufficit si vigesimus secundus, vigesimus tertius, & vigesimus quintus annus sit inchoatus, non verò requiritur ut sit expletus. Olim varia fuit

P. Martene. disciplina, de qua lege P. Martene, De ritibus antiquis L. 1. c. 8. art. 3.

Tom. 2. p. 274. & seq. Siricius Epistola 1. c. 9. jubet ut Clerici sese in functionibus Acolytorum & Subdiaconorum exerceant ad annum usque trigesimum, quo permittit eos ad Diaconatum promoveri.

Tom. 1. Concil. p. 1021. B. Conc. III. Carthagin. Can. 4. *prohibet ordinari Diaconum* ante annum vigesimum quintum.

Ibid. pag. 1167. E. Concilium Neocæsariense Can. 11. vult Presbyterum anno dumtaxat trigesimo ordinari.

Tom. 1. Concil. p. 1485. D. Concilium Agathense Diaconos anno vigesimo quinto, Episcopos & Presbyteros anno ætatis trigesimo promoveri jubet.

Concilium Viennense anno 1312. Diaconorum Ordinationem anno ætatis

tis

tis eorum vigesimo, Presbyterorum verò anno vigesimoquinto fieri posse decrevit. Habetur Decretum Lib. 1. Clementin. tit. 6. de ætate & qualitate præficiendorum c. 3. Tandem, ut diximus, Concilium Tridentinum ætatem illam definivit, quæ disciplina jam observatur. Tom. 4. Concil. p. 1386. Edit. Rom. 1582. p. 66. n. 10.

Quæres 5. an servari debeant interstitia à Canonibus inter Ordines singulos præscripta. Interstitia.

Resp. affirmativè. Ita enim sanxerunt Siricius Epistola 1. ad Himerium cap. 9. & refertur Can. *Quicunque*, dist. 77. Innocentius I. Epistola 4. ad Felicem Episcopum cap. 5. Zosimus Epistola 1. ad Hesychium cap. 2. & refertur Canone *In singulis*, dist. 77. S. Leo Epistola 1. aliàs 87. ad Episcopos Africanos; Gelasius I. in Epistola ad Episcopos Lucaniæ cap. 3. Conc. Trid. Sess. 43. cap. 11.

Instituta verò fuere illa interstitia, tum ut qui Ordine aliquo initiatus est, ipsius dignitatem, officia, pondus, cognoscat frequenti functionum ipsius exercitio: tum ut animum ecclesiasticum altiùs imbibat, ad Ecclesiæ regulas & mores se componat: tum denique ut longo virtutum usu probetur.

Concilium Trid. Sess. 23. cap. 11. statuit minores Ordines per intervalla conferendos esse, *nisi aliud Episcopo expedire magis videatur: ut nempe in ordinandis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat; quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & crebrior quàm antea corporis Christi communio, maximè comprobabunt.* Addit, *ut nonnisi post annum à susceptione Ordinum minorum, quisquam ad sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.* Inter alios verò Ordines requirit annum integrum, ut ab uno inferiori gradus fiat ad superiorem. Tom. 14. Concil. p. 868. D.

Causæ verò propter quas Episcopus dispensare potest à lege illa interstitiorum, istæ sunt: necessitas & utilitas Ecclesiæ, nempe vel cùm deficiunt ministri, nec possunt suppleri per jam ordinatos Ecclesiæ onera, tam in Missarum celebratione, quàm in aliis ministeriis obeundis, vel cùm pauci sunt ministri ecclesiastici idonei, vel cum aliquis in inferioribus Ordinibus constitutus, ad curam animarum gerendam vocatur, aut ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem, cui altior Ordo annexus est. Addit Barbosa, dispensationem concedi posse favore studii in aliqua Universitate, vel ob ætatem provectam ordinandi cum eximia virtute conjunctam.

Superiores Regulares non possunt suos ab illa lege interstitiorum dispensare, hoc enim solis Episcopis reservat Synodus Tridentina. Possunt quidem illi supplicare Episcopum, ut dispenset habita ratione necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ suæ, Monasterii, vel Ordinis, quæ quidem supplicatio dimissoriis Litteris inserenda est. Ita expresse declaravit sacra Congregatio Cardinalium pro interpretatione Concilii Trid. teste Barbosa parte 2. De Officio & potestate Episcopi, Allegatione 8.

Si autem viris Religiosis facilius interstitiorum moras relaxent Episcopi, quàm Clericis sæcularibus, Gelasii primi exemplum sequentur, qui interstitia inter singulos Ordines Monachis breviora imposuit, *quin*, inquit, *quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur præstitisse devotio.* Tom. 4. Concil. p. 1188. E.

Quæres 6. an necessarius sit titulus, vel Beneficii, vel patrimonii, ut quis ad Subdiaconatum promoveatur. Titulus.

Resp. affirmativè. Est enim antiqua lex Ecclesiæ, ut nemo absolutè

ordinetur, id est, nisi certæ Ecclesiæ adscribatur, in qua sacra ministeria obeat, & ex cujus reditibus & oblationibus sustentetur. Hic Beneficii titulus est, præter quem nullum alium agnovit antiquitas ante Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. cujus Can. 5. titulus patrimonii cœpit ex dispensatione quadam approbari.

Anno 1536. Concilium Coloniense parte 1. Capitulo 30. vult ut tituli ordinandorum accuratè discutiantur, graviterque redarguit Clericos mendicantes. *Tituli quoque*, inquit, *ordinandorum discutiantur. Plerique enim inventi sunt, qui fictis & emendicatis titulis ad Sacerdotii dignitatem evecti, eamdem turpiter postea prostituere coacti sunt, vendibiles, quandocunque dolosi spes refulserit nummi.... Inter eos est qui in plateis mendicat infelix clericus, & servili operi mancipatus publicam deposcit eleemosynam: qui eo magis à cunctis despicitur, quòd miser ac desolatus justè putatur ad hanc ignominiam devenisse. Inter hos est, qui in divitum ac nobilium domibus scurram, aut mimum, aut morionem agit, quem ab officio retrahendum Carthaginense Concilium decernit.*

Tom. 10. Concil. p. 1511. A. Tom. 14. Concil. p. 500. E.

Concilium Trid. Sess. 21. De reform. c. 2. exigit pariter in ordinandis vel titulum Beneficii ecclesiastici quod ad victum ipsis honestè sufficiat, vel patrimonium aut pensionem: *quia non decet*, inquit, *eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum quæstum exercere.*

Ibid. pag. 848. E.

Ita verò necessarius est titulus ille, ut qui eo conficto ordinantem decepisset, ipso jure ab Ordinum executione suspensus esset: hanc enim pœnam, Canone *Neminem*, & Can. *Sanctorum*, statutam innovavit Conc. Trid. & post illud Urbanus VIII. an. 1624. Constitutione quæ incipit, *Secretis æternæ providentiæ.*

De Ordinatione per saltum.

Ordinatio *per saltum* ea dicitur qua quis ad Ordinem superiorem promovetur omisso inferiori.

Photius labente sæculo nono Latinis ordinationes illas *per saltum* exprobrabat. At calumniam strenuè propulsavit Ratramnus Lib. 4. contra Græcorum opposita cap. 8.

Et verò vel à primis sæculis invaluit disciplina, ut ab inferiori gradu Clerici ad superiores ascenderent nullo intermedio intermisso.

Pag. 67. S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum de Ordinatione Cornelii in Summum Pontificem: *Non iste*, inquit, *ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia officia ecclesiastica promotus & in divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit.*

Cùm Episcopi Ariani ab hac disciplina recessissent, Conc. Sardic. Can. 10. sancivit ne quis Episcopus consecraretur, nisi qui Presbyteri, Diaconi & Lectoris functiones & officia exercuisset. *Si quis dives*, ait Canon, *vel ex foro scholasticus Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, ut in unoquoque gradu si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere.*

Tom. 2. Concil. p. 635.

Siricius S. P. in Epistola 1. ad Himer. Tarrac. Episcopum cap. 9. ann. 385. & Zosimus Epistola 1. ad Hesychium Spalat. Episcopum ann. 418. apertè declarant, necesse omnino fuisse varios Ordinum gradus religiosè servare, antequam ad primum perveniatur: quapropter Cœlestinus I. S. P. in Epistola ad Episcopos Vienn. & Narbon. Provinciæ conqueritur nonnullos à laicali statu ad Episcopatum promoveri, omissis aliis inferioribus gradibus.

Ibid. pag. 1021. Ibid. pag. 1516. Ibid. pag. 1620. n. 3.

Jure

Jure canonico illicitæ semper ac prohibitæ fuerunt Ordinationes hujusmodi factæ *per saltum*. Cap. *Sollicitudo*, apud Grat. dist.52. quod caput est Alexandri II. *Sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere, utrum portator istarum Litterarum, Diaconatus & Presbyteratus officium idoneus sit peragere nec ne, cùm ad id præpostero cursu Subdiaconatus Ordine postposito, negligentia potius quàm superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendos charitati tuæ mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas*. Suspendit S. P. à functione Presbyteratus, eum qui non suscepto priùs Subdiaconatus Ordine, Presbyter consecratus fuerat. Decret. Grat. p. 272.

Idem statuit Innoc. III. Can. *Tuæ Litteræ*. *De Clerico per saltum ordinato*, cujus hæc verba sunt. *Tuæ Litteræ* (Episcopi Boloniensis) *continebant quòd Presbyter, Diaconatus Ordine prætermisso, se fecit ad sacerdotii Ordinem promoveri: ipse tibi quoque secretò confessus est se pro certo nescire, si res taliter se haberet ∴ Mandamus quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem: qua peracta (quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur,) ipsum ut Diaconum ordinare procures: & sic de misericordia eumdem ministrare permittas in Ordine Sacerdotis*. Decret. p. 2777.

His Decretis illicitæ revera declarantur Ordinationes *per saltum*, at non irritæ ac invalidæ, siquidem jubent tantùm conferri Ordinem qui fuerat omissus, non verò iterari eum qui collatus jam fuerat. Non ita verò est, sicut observavimus, de Episcopatu ad quem promotus quis fuisset, non Presbyter priùs creatus, quia in sententia multorum Theologorum cùm Episcopatus non sit novus Ordo, sed tantùm extensio ac perfectio characteris sacerdotalis, isto non supposito Episcopatus nullus est.

Quamquam autem mox laudati Canones de Tonsura & aliis minoribus Ordinibus non loquantur, idem tamen de illis statuendum censet Yvo Carnot. Epistola 185. ubi Decretum Alexandri II. laudat. *De Clerico præsentium portitore*, inquit Yvo, *qui inordinato & præpropero saltu cùm non esset benedictus in Clericum, in Subdiaconum se fecit ordinari, sublimitati vestræ respondeo: quia si rigorem justitiæ teneri vultis, nec in acceptis inordinatè Ordinibus eum ministrare permittetis, nec ad superiores gradus eum promovebitis. Si autem honesta vita ejus, aut utilitas ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatoriè dato Clericatu cum debita satisfactione eam misericordiam impendere, ut cùm sacram Ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde & corpore sacris benedictionibus intersit, non ut reordinetur, sed ut competentibus verbis in acceptis Ordinibus confirmetur ∴ pro simili negotio dispensatoriam Alexandri Papæ secundi sententiam vestræ discretioni transmitto*. Oper. Ivi. p. 2. p. 77.

Quæres 1. an qui per saltum ordinatus est sit ipso facto suspensus ab exercitio Ordinum quos susceperat.

Resp. divisos esse Canonistas, & alios velle pœnam illam suspensionis non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, alios verò ipso facto eam incurri arbitrantur, quæ postrema sententia longè magis accedere videtur ad capita mox citata *Sollicitudo*, & *Tuæ Litteræ*. Favet Conc. Trid. Sess. 23. cap. 14. de reform. ubi ait, *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare*. Ergo si ministraverint, idest Ordinis superioris munia exercuerint, Episcopus dispensare non potest. Quare? quia superiorem Ordinem exercendo violaverant suspensionem quam ipso facto incurrerant, quando per saltum fuerunt ordinati: atque ea pendente mini-

strando

strando irregulares facti sunt. Quando quis per saltum fuit ordinatus, debet Episcopus expendere causam hujusce omissionis, an ex ignorantia, vel malitia, vel contemptu contigerit; atque proportionatam ipsi pœnitentiam imponere. Debet præterea omissum Ordinem ipsi conferre, priusquam superioris exercendi licentiam concedat. Ita Cap. *Sollicitudo, Mandamus ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.*

Quæres 2. an qui per saltum ordinati sunt, ac suspensionem incurrerunt, sint irregulares, & à quo tolli possit irregularitas.

Resp. ex verbis Conc. Trid. mox citatis manifestè colligi, Episcopum cum ordinatis per saltum dispensare posse, *si non ministraverint*. Si ergo ministrarunt, & quidem publicè, irregularitas publicè contracta à solo Romano Pontifice tolli potest: si autem & Ordinatio per saltum, & irregularitas occulta est, ab Episcopis relaxari seu tolli potest. Ita Concil. Trid. Seff. 24. cap. 6. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus dispensare.*

Quæres 3. an qui functiones Ordinis exercet, quem non suscepit, v. gr. Diaconus qui Missam celebrare præsumit, sit ipso facto irregularis.

Resp. affirmativè Cap. *Si quis baptizaverit*, titulo, *De Clerico non ordinato ministrante*. Urbanus III. cap. *Ex Litteris*, eodem titulo, statuit ut Diaconus qui Missam celebrare ausus fuerat, nunquam Presbyter ordinetur, & à functionibus Diaconatus suspensus per duos annos maneat.

ARTICULUS QUINTUS.

De impedimentis removentibus ab Ordinatione.

IMpedimenta hæc vulgò irregularitates vocantur, quibus homo inhabilis redditur ad Ordines suscipiendos vel exercendos.

Circa irregularitatem paucis hic expendemus 1. quid sit. 2. quotuplex sit. 3. sigillatim agemus de irregularitatibus ex defectu. 4. de irregularitatibus ex delicto. 5. de effectibus irregularitatis. 6. denique, quis in ea dispensare possit.

Quid sit irregularitas.

Irregularitas definitur, *Impedimentum canonicum quo quis redditur inhabilis directè ac primariò ad Ordines licitè recipiendos, & consequenter ad eorum functiones obeundas.*

Dicitur 1. *impedimentum*, non verò pœna, ut distinguatur à censura, quæ ut supponit culpam, ita & semper est pœna. Irregularitas verò ex sese ac generatim culpam non importat, nec consequenter est pœna.

Dicitur 2. *canonicum* seu à Canonibus & Ecclesiæ Decretis latum; irregularitas enim *propriè dicta*, nusquam incurritur nisi in casibus jure ecclesiastico expressis. Ita Theologi omnes & Canonistæ, favetque Bonifacius
P. 743. VIII. qui Cap. *Is qui*, tit. *De sentent. excomm.* in Sexto, declarat, eum qui celebravit in Ecclesia polluta, licèt peccaverit, irregularitatis tamen laqueum non incurrisse, *cùm id*, inquit, *in jure expressum non sit*, ex qui-

quibus verbis Theologi & Canonistæ inferunt omnem irregularitatem debere esse in jure expressam.

Dicitur 3. *quo quis redditur inhabilis directè ac primariò ad Ordines licitè suscipiendos*, quibus verbis irregularitas distinguitur ab excommunicatione, interdicto, suspensione, depositione & degradatione; per excommunicationem enim Fideles directè ac primariò privantur communione aliorum Fidelium; per interdictum, divinis Officiis; per suspensionem, depositionem, & degradationem, functionibus Ordinis. Irregularitas verò per se primariò ac directè impedit, non quidem validam, sed licitam Ordinum susceptionem.

Dicitur 4. *& consequenter ad eorum functiones obeundas.* Quando enim irregularitas sortiri non potest primarium effectum ad quem primò ac per se instituta est, scilicet reddere inhabilem ad Ordines suscipiendos, ut contingit quando aliquis jam Ordines suscepit, tunc irregularitas secundarium hunc effectum obtinet, scilicet impedire susceptorum Ordinum exercitium. Ratio est, quia qui non potest Ordines suscipere, multò magis prohibetur susceptis Ordinibus uti.

Quæres an irregularitas sit impedimentum suscipiendæ Tonsuræ.

Resp. affirmativè. 1. quia Theologi & Canonistæ communiter ita sentiunt. 2. favet Ecclesiæ praxis. 3. irregularis est incapax effectuum Tonsuræ, qui sunt habilitas ad Ordines & Beneficia; ergo &c.

Quotuplex sit irregularitas.

Duplex vulgò affertur irregularitatis divisio.

Prima divisio est in irregularitatem ex defectu, & irregularitatem ex delicto.

Irregularitas ex defectu ea est quæ fundatur in aliquo defectu absque propria culpa. Talis est irregularitas quæ est ex defectu corporis, natalium &c.

Irregularitas ex delicto ea est quæ fertur propter indecentiam fundatam in propria culpa. Talis est irregularitas quæ nascitur ex homicidio, aut violatione censuræ.

Secunda divisio irregularitatis est in totalem & partialem.

Irregularitas totalis ea est quæ perpetuò excludit à quolibet Ordine suscipiendo vel exercendo, v. g. irregularitas homicidii, bigamiæ &c.

Irregularitas partialis ea est, quæ vel non durat in perpetuum, v. g. irregularitas ob defectum ætatis; vel non omni ministerio Ordinis privat, sed aliquo tantùm. Sic percussus cæcitate est irregularis irregularitate partiali; potest enim concionari & confessiones excipere, privaturque solummodo functionibus, quarum propter cæcitatem capax non est.

Quæres 1. quid requiratur ad incurrendam irregularitatem ex delicto.

Resp. 1. ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiri ut delictum grave sit ac mortale. 2. requiri actum externum; sola quippe interna voluntas peccandi non sufficit. 3. non tamen necesse est ut delictum sit cum contumacia contra Ecclesiam: unde irregularitas ex delicto incurritur tametsi delinquens ignoret latam irregularitatem, imò tametsi ignoret prohibitionem talis delicti ab Ecclesia factam esse.

Quæres 2. utrum aliquis in dubio judicandus sit irregularis.

Resp. 1. in dubio juris neminem judicandum esse irregularem. Tum quia odia potiùs restringenda sunt, quàm extendenda; & cùm jura sunt obscura, reo

reo potius favendum est, quàm actori. Cap. *Cùm sunt*. *De Regulis juris*, in Sexto. Tum quia Cap. 15. *Qui*. *De sentent. excomm.* in Sexto expresse habetur, *non deberi aliquem irregularem reputari, nisi irregularitas sit jure expressa*.

Resp. 2. in dubio facti homicidii, judicandum esse irregularem; Cap. *Ad audientiam*, titulo *De homicidio voluntario*. Clemens III. dubitanti Presbytero num famulus decessisset ex vulnere quod ipsi inflixerat, sic ejus Episcopo respondet: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos* Decret. p. 1703. *convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret*. Et Cap. *Significasti*, eodem titulo, Innoc. III. in simili dubio facti sic decernit, *Quòd si discerni non possit ex cujus ictu interierit* (fur à pluribus percussus) *in hoc dubio tamquam homicida debet haberi Sacerdos; & si fortè* Ibid. p. 1710. nu. 38. *homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet. Cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare: pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*.

Hinc qui consuluit homicidium, & dubitat an vi hujus consilii homo sit occisus, se tamquam irregularem gerere debet; quia possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum. Idem dicendum de medico, qui cum rationabili fundamento suspicaretur ægrotum sua culpa interiisse.

Quæres 3. quis possit dispensare ab irregularitate.

Resp. 1. S. Pontificem dispensare posse circa omnes irregularitates. Quia scilicet irregularitas quælibet humano jure positivo inducta est; at in jure communi dispensare posse S. Pontificem omnes consentiunt.

Resp. 2. in irregularitatibus ex defectu, non posse Episcopos dispensare, nisi in uno aut altero casu: possunt v. g. circa natalia illegitimorum dispensare ad solos minores Ordines, & ad simplex, non verò ad curatum Beneficium. Cap. 1. *De filiis Presbyterorum*. Possunt etiam dispensare cum bigamo ad minores Ordines & ad simplicia Beneficia, ex vi consuetudinis à pluribus Doctoribus assertæ, juxta S. Thom. in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. Azorium parte 2. Lib. 3. cap. 3.

Resp. 3. circa irregularitates ex delicto, posse Episcopos dispensare, Tom. 14. Conc. p. 884. si delictum sit occultum, (excepto homicidio voluntario quamvis occulto) & & nondum fuerit traductum ad forum contentiosum. Ita expressè statuitur in Conc. Trid. Sess. 14. De reformatione c. 6.

Resp. 4. per Baptismum omnem deleri irregularitatem quæ ex delicto provenit, iis tantùm remanentibus quæ vel ex bigamia, vel ex defectibus corporis oriuntur. Ratio est, quia remanent illi defectus in baptizato, delicta verò non remanent.

Resp. 5. per ingressum in Religionem approbatam tolli irregularitates in Jure expressas, qualis est ea quæ oritur ex defectu natalium; idque quantùm ad Ordines, non quantùm ad Prælationem. Cap. 1. *De filiis Presbyterorum*.

Quæres 4. an Confessarii possint tempore Jubilæi dispensare ab irregularitatibus.

Resp. negativè: nam Bullæ SS. PP. pro Jubilæo ordinariè contrarium expressè asserunt: atque ita agit Ecclesia, ut hac injecta dispensationis obtinendæ difficultate, Fidelibus horrorem incutiat eorum criminum quibus inducitur irregularitas.

Quæres 5. an facilè concedi debeat dispensatio à qualibet irregularitate.

Resp. standum hìc esse doctrinæ Concilii Trid. Sess. 25. de reformat. cap. 18. *Sicut*, inquit, *publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut pleniùs, eve-*

evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque facta dispensatio, subreptitia censeatur. Ib. p. 916. A.

Ex quibus verbis patet. 1. non esse relaxandam legem, nisi ubi premit necessitas. 2. dispensationes passim omnibus sine delectu concedendo, aditum aperiri ad infringendas leges. 3. dispensationem non esse legitimam, nisi adsit ratio urgens & justa, & major utilitas. 4. non debere concedi, nisi cognita causa, & summa cum maturitate. 5. gratis concedendas esse, 6. absque his conditionibus, subreptitiam censeri debere dispensationem; adeoque nullam ac nullius roboris coram Deo & hominibus.

Quæres 6. utrum qui violat irregularitatem jam contractam, ministerium aliquod ecclesiasticum exercendo, novam incurrat irregularitatem.

Resp. negativè, sed eum gravissimi peccati reum fieri: jubent quippe Canones, ut ille communione privetur, & in Monasterium ad agendam perpetuò pœnitentiam detrudatur.

De variis speciebus irregularitatis.

Duplex ex jam dictis generatim distinguitur à Theologis species irregularitatis: una quæ ex defectu, altera quæ ex delicto provenit.

De Irregularitatibus provenientibus ex defectu.

Irregularitatum quæ ex defectu proveniunt novem distinguuntur species.
Prima oritur ex defectu animæ.
Secunda, ex defectu corporis.
Tertia, ex defectu natalium.
Quarta, ex defectu famæ.
Quinta, ex defectu ætatis.
Sexta, ex defectu obligationis.
Septima, ex defectu Sacramenti.
Octava, ex defectu lenitatis.
Nona, ex defectu libertatis.

De irregularitate ex defectu animæ.

Quæres, quinam sacris Canonibus irregulares declarentur propter defectum animæ.

Resp. esse energumenos, seu arreptitios, lunaticos, epilepticos, amentes, neophytos, illiteratos.

Energumeni dicuntur seu arreptitii, qui à dæmone vexantur seu corripiuntur; lunatici nonnunquam etiam appellantur. De his mentio fit apud S. Matth. c. 4. v. 24. *Obtulerunt ei* (Christo) *omnes malè habentes variis languoribus & tor-*

& tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos. Et c. 17. v. 17. *Accessit ad eum* (Christum) *homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam ∴ Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer.*

Epileptici dicuntur qui morbo comitiali & sontico ita subitò corripiuntur, ut statim interclusis sensibus cadant quasi exanimes, unde caducum malum dictum fuit.

Concilium Toletanum XI. Can. 13. eos omnes pariter à sacris Ordinibus excludit his verbis, *Benè quidem majorum regulis definitum est, ut dæmoniis, aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussos se divinis ingerant Sacramentis: exceptis illis qui variis corporum incommoditatibus dediti, in* (aliter *sine*) *hujusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tamdiu erunt ab officii sui ordine & loco suspensi, quo usque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursibus dæmonum alieni.*

Tom. 6. Conc. p. 153. B. C.

Ex his inferes, quòd si epilepsis homini legitimè ordinato superveniat, eum ab exercitio sui Ordinis penitus non arceat, si per annum integrum nullum hujus morbi symptoma senserit. Neque obstat Caput *Nuper.* dist. 17. q. 2. ubi Pontifex non requirit nisi triginta dies ad explorandum morbum epilepticum. Nam illud Caput *Nuper.* intelligitur tantùm quando dubium est, an ordinatus aliquando epilepsia laboraverit: Caput verò *Communiter.* dist. 33. intelligitur, supposita certitudine de præterito casu epileptico. Præterea necesse est ut epileptico per annum probato adsit alius Sacerdos jejunus, qui Sacrum perficere possit, si celebrans post inchoatum Canonem antiquo suo morbo fortè corripiatur. Eodem Cap. *Nuper.* & Can. 14. Conc. XI. Toletani jam citati.

Observa, consentire omnes Canonistas, affectum epilepticum qui accidit post decimum quartum ætatis annum, veram inducere irregularitatem: at non ita omnes consentiunt de iis epilepsiæ motibus, quæ in infantia ad annum usque ætatis decimum quartum accidunt. *Consuetudine enim recepta*, inquit Cabassutius in Juris Canonici theoria & praxi Lib. 5. c. 19. *illi epileptici affectus ad irregularitatem non solent computari.* Cujus rei rationem colligit ex Hyppocrate Aphorismo 7. sect. 5. ubi dicitur: *Epilepsia ante pubertatem amotionem recipit; post vigesimum verò quintum annum ferè comitatur ad mortem usque.*

Ib. p. 561. n. 8.

Neophytus etiam à sacris Ordinibus arcetur à S. Paulo 1. ad Timoth. 3. ubi inter multas quas in Episcopo conditiones exigit, hanc v. 6. recenset: *non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*

Neophytorum nomine quadruplex intelligitur genus hominum.

Primum eorum qui recens ad fidem convertuntur ab idololatria, vel Mahumetismo, vel Judaismo. Can. *Qui in aliquo*, dist. 58. Tales arcet S. Paulus ab Ordinatione statim à Baptismo percipienda. Ita quoque Synodus Laodicena Can. 3. *De his*, inquit, *qui nuper sunt illuminati Baptismate, quòd eos non conveniat promoveri in ordine sacerdotali.* Et Conc. Sardicense Can. 13. *Conveniens non est, nec ratio vel disciplina patitur; ut temerè vel leviter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui neophytus est &c. sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.*

Tom. 1. Conc. p. 1510. A. Tom. 2. Conc. p. 648. D.

Secun-

Secundum genus Neophytorum eorum fuit, qui in provectam ætatem Baptismum differebant, atque in infirmitate dumtaxat, & morti, ut putabatur, proximi eum percipiebant in lecto: (unde Clinici dicti.) Ii irregulares aliquando habiti sunt ad sacros Ordines. Ita Cornelius S. P. apud Euseb. Lib. 6. Hist. cap. 43. ait, Novatianum idcirco irregularem fuisse, quòd in lecto baptizatus fuisset. P. 244.

Tertium genus eorum fuit, qui adulta ætate sani baptizabantur ii pariter nisi priùs probati fuissent, ordinari non poterant. Ita Canon mox citatus Sardicensis. Ita S. Leo Epist. 1. aliàs 87. vetat ne aut à Baptismo rudibus, aut à sæculari actu repente conversis, Officium Pastorale credatur. Fuere nihilominus nonnullæ exceptiones, virorum scilicet, quorum tam insignis erat pietas ac probata fides, ut ad sacros Ordines statim à Baptismo raperentur Cleri ac plebis suffragio, quales fuere SS. Ambrosius, Augustinus &c. Tom. 1. p. 400. & seq.

Quartum denique genus Neophytorum eorum fuit, qui cùm essent Laici, ad Ordines statim & absque ullo intervallo temporis aspirabant; quos etiam irregulares judicant ac declarant statuta Ecclesiæ. *Debet enim*, ait Cœlestinus S. P. Epistola 2. *esse priùs discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit*. Ut enim ait S. Hieronymus Epistola ad Oceanum, *Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem .·.·. Judicium & ruina diaboli, nulli dubium est, quin arrogantia sit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, jam magistri sunt.* Tom. 2. Conc. p. 1620. T. 4. p. 2. p. 653.

Denique illiteratos seu Litterarum inscios ac planè rudes à sacris Ordinibus repulsos fuisse, testantur mox relata Celestini & S. Hieronymi testimonia. Plura lege apud Thomassinum in Opere, *De veteri & nova Disciplina*, par. 1. Lib. 1. cap. 88.

De irregularitate ex defectu corporis.

Quæres 1. quandonam contrahatur irregularitas propter defectû corporis.

Resp. id contingere quoties aliquis defectus corporis, sive in membris, sive in aliqua membri parte, impedit decentem ministerii Ordinis executionem, aut generat scandalum, horrorem vel contemptum personæ. Id colligitur ex titulo, *De corpore vitiatis*, & aliis Canonibus distinctionis 55. Tales sunt insigniter claudi, vel privati oculo sinistro, quòd nempe necesse sit ut qui hoc vitio laborat, vultum ad sinistram partem indecore contorqueat ad legendum Canonem; vel quibus amputatus est nasus, pollex aut index alterutrius manus; vel qui ita tremulis est manibus ut sine periculo subversionis calicis non possit celebrare; vel qui ita vinum abhorret, ut evomendi sit periculum; vel qui leprosus, propter horrorem morbi &c.

Quæres 2. an vitia corporis occulta inducant irregularitatem.

Resp. negativè: quia tunc nulla est deformitas, nullum scandalum, nulla indecentia in exercitio Ordinum.

Si tamen carentia membri alicujus vel partis membri etiam occulti propria culpa contigerit, inducitur irregularitas, quamvis illa membri privatio non impediat usum Ordinis, neque notabilem afferat deformitatem. Cap. *Maritum*, dist. 33. Hinc qui sectus est absque justa causa, v. g. propter continentiam, irregularis est. Cap. *Si quis absciderit*, dist. 55. secus qui propter infirmitatem, modò non in pœnam delicti. Cap. *Finali*, dist. 55. Huc referendus Canon 1. Concilii generalis Nicæni, *Si quis*, inquit, *propter languorem à medicis defectus est, aut à barbaris abscissus, hic in Clero permaneat: si quis* Tom. 2. Conc. p. 39. D.

autem

autem se ipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quòd de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere, dictum sit; sic eos quos aut barbari, aut domini castraverunt, si inveniuntur aliàs digni, tales ad Clerum suscipit regula. Secundæ hujus Canonis parti occasionem & locum dedisse videtur, tum Leontius, qui, referente Theodoreto L. 2. Hist. c. 24. delatus quòd cum virgine Eustolia familiariùs versaretur, se ipsum absciderat, ut deinceps illius consuetudine liberiùs uteretur; qua de causa dejectus fuit à gradu Presbyteri quo donatus fuerat: tum Origenes, qui juvenili ductus impetu, ut castitatem tutiùs servaret, ac calumniandi causam Ethnicis eriperet, quòd cum mulieribus doctrinæ causa frequentiùs colloqueretur, sibi virilia pariter absciderat, narrante Eusebio L. 6. Hist. c. 8.

Ed. Vales. p. 106. — p. 208.

Judicium verò inhabilitatis, deformitatis, aut scandali inducentis irregularitatem pertinet ad Episcopum, cùm aliquod exoritur dubium. Cap. *Cùm de tua. De corpore vitiatis.* Dispensare autem super hanc irregularitatem pertinet ad solum S. Pontificem, ut patet ex Cap. *Significasti*, eodem titulo.

De irregularitate ex defectu natalium.

Quæres 1. quinam censeantur irregulares ex defectu natalium.

Resp. 1. omnes generatim qui ex non legitimo Matrimonio nati sunt, ut constat ex variis Canonibus dist. 56. relatis. Ita Cap. *Per venerabilem*. Extra. *Qui filii sint legitimi*. 2. omnes qui nati sunt servi, nisi priùs fuerint libertate donati. Can. *Nullus*, dist. 54. & Lib. 1. Decretalium, titulo *De servis non ordinandis*.

Quæres 2. an illegitimus quamvis occultus sit irregularis.

Resp. affirmativè, ut constat ex Cap. *Nisi cùm pridem*, & Cap. 1. *De filiis Presbyterorum*. Inducta est autem hæc irregularitas à Jure, tum in detestationem delicti à parentibus commissi; tum propter periculum incontinentiæ in filiis ex imitatione parentum; tum ob reverentiam Ordinibus debitam. Conc. Trid. Sess. 25. cap. 15. Cap. *Decorem*, tit. *De filiis Presbyterorum*, & Cap. *Nimis*, ibidem.

Quæres 3. an aliquando sint filii legitimi, adeoque nec irregulares, quamvis nati fuerint ex Matrimonio non vero, sed ex fornicatione.

Resp. affirmativè: suntque duo hujus rei casus.

Primus, cùm aliquis nascitur ex soluto & soluta, sed qui verum postea contraxerunt Matrimonium. Cap. *Tanta*, *Qui filii sint legitimi*.

Secundus casus est in Cap. *Cum inter*. *Qui filii sint legitimi*, cùm nempè aliqui bona fide in facie Ecclesiæ contraxerunt, & postea lis mota est super invaliditatem Matrimonii; etiamsi per sententiam separati sint, & declaratum invalidum Matrimonium. Idem patet ex Cap. *Pervenit*, & Cap. *Ex tenore*, *Qui filii sint legitimi*. *Sancimus*, ait Alexander III. Cap. *Cùm inter, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt; & qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minùs habeantur legitimi.*

Decret. p. 1531.

Quæres 4. quid sentiendum de expositis quorum natales ignorantur.

Resp. juxta communiorem sententiam præsumendos esse illegitimos, adeoque & irregulares; quia communiter non solent exponi filii legitimi, cùm parentes filios suos exponentes infamiæ notam subeant.

Quæres 5. quis possit dispensare in ejusmodi irregularitate.

Resp.

Resp. 1. Episcopum dispensare posse ad minores Ordines, & unum simplex Beneficium. Cap. *De filiis Presbyterorum*, in Sexto. Ad majores verò & ad Beneficium curatum solus Papa, ut habetur in eodem Cap. Nec etiam ad Dignitates & Personatus dispensat Episcopus, sed solus Papa, Cap. *Nimis*. *De filiis Presbyterorum*, Per Religionis autem ingressum & professionem tollitur ea irregularitas, possuntque promoveri ad omnes etiam sacros Ordines, non tamen ad prælaturas, ex Cap. *Ut filii*. Extrav. *De filiis Presbyterorum*. Quatuor ergo modis præsens irregularitas tollitur. 1. per subsequens matrimonium, quando fornicarius uxorem ducit eam ex qua prolem suscepit. Cap. *Tanta*. *Qui sint filii legitimi*. Dico *fornicarius*, nam si adulter, mortua conjuge, ducat in Matrimonium feminam ex qua prolem suscepit, proles spuria manebit & illegitima. Cap. *Tanta*. 2. per legitimationem, quæ à solo Summo Pontifice emanare debet quoad effectus spirituales, à Rege autem quoad effectus civiles. 3. per solemnem Religionis professionem. 4. per dispensationem.

Quæres 6. An Clericorum filii illegitimi arceri debeant à Beneficiis.

Resp. De illis sic statuisse Concilium Trid. Sess. 25. De reform. cap. 15. *Ut paternæ incontinentiæ*, inquit, *memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas sanctitasque decet, longissimè arceatur; non liceat filiis Clericorum qui non ex legitimo nati sunt Matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres Beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile Beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. Quod si in præsenti pater & filius in eadem Ecclesia Beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum Beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam, intra trium mensium spatium; aliàs ipso jure eo privatus existat, & super iis quæcumque dispensatio surreptitia censeatur.*

De irregularitate ex defectu famæ.

Qui ad Clericatus honorem aspirant boni nominis ac optimæ famæ eos esse debere monet Apostolus 1. ad Timoth. 3. v. 7. *Oportet*, inquit, *illum habere bonum testimonium ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.*

Qui ergo publica infamia laborant, ii ad Ordines suscipiendos vel exercendos irregulares sunt. *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Est regula Juris penultima in Sexto.

Quæres 1. Quotuplex sit infamia.

Resp. Generatim aliam esse juris, aliam verò facti.

Infamia juris oritur ex jure seu lege civili vel canonica quæ infamiæ notam certis criminibus inurit. Sunt autem multi hujusmodi casus, de quibus mentio fit in Jure civili, Lege *De his qui infamia notantur*, & in Jure Canonico causa 6. Can. *Infames*. Aliquando propter crimen, aliquando verò propter factum seu officium minùs honestum incurritur juris infamia: tales v. g. usurarii, histriones, comœdi &c.

Incurritur pariter infamia juris ex sententia Judicis aliquem ad pœnam infamantem, v. g. ad triremes, ob grave crimen damnantis.

Infamia facti contrahitur ex delicto gravi ac notorio, propter quod reus apud graves & honestos viros malè audit. Cap. *Latet* 1. *De probationibus*.

Quæres 2. An infamia ex delicto præsumpto contrahi aliquando possit.

Resp. affirmativè: unde innocens qui falsis testimoniis & instrumentis oppressus capitali pœna, exilio, carcere, aut ad triremes damnatus in foro sæculari, aut reus pronuntiatur alicujus criminis cui nota infamiæ annexa est, incapax seu irregularis ad Ordines, ad Beneficia & jurisdictionem ecclesiasticam judicatur. Causa 2. q.5. & toto titulo *De purgatione canonica*.

Quęres 3. an cōtrahatur infamia & irregularitas ex crimine planè occulto.

Resp. negativè: infamia enim in opinione hominum consistit, sicut bona fama, quam S. Augustinus Lib. 8. qq. quæst. 31. definit *claram cum laude notitiam*. At si crimen omnino sit occultum, quomodo bona, quæ de aliquo concepta est, opinio, decrescere potest vel amitti? Quapropter homicidium etiam occultum, non ex defectu famæ, sed ex defectu lenitatis irregularitatem inducit.

Quæres 4. Quæ notorietas requiratur, ut quis censeatur infamis, adeoque irregularis.

Resp. Crimen aliquando ita notorium esse ac publicum, ut nulla possit tergiversatione celari; quales v. g. sunt histriones, comœdi, qui publicam incurrunt infamiam, nec opus esse videtur judicis sententia, ut eam incurrant: in aliis verò criminibus notorietas facti apud nos minimè sufficit, sed requiritur judicis sententia.

Quæres 5. An omnis mulcta vel pœna à judice inflicta inducat irregularitatem.

Resp. 1. Nullam pœnam à judice ecclesiastico inflictam præcisè ac directè inducere infamiam, saltem quoad effectus civiles: tum quia paterna est & ad emendationem rei tendit, non mortalis, sed medicinalis; tum quia sicut bona fortunæ, ita & fama directè subest jurisdictioni civili, non ecclesiasticæ. Dico *præcisè ac directè;* quia si accusatus convincatur reus criminis ipso jure infamantis, eo ipso judex ecclesiasticus, quando declarat hujus criminis reum, indirectè declarat infamem. Dico *quoad effectus civiles*, quia Ecclesia reddere potest infames & irregulares quoad effectus spirituales, ut patet exemplo eorum qui pœnitentiæ publicæ subjecti olim fuerant.

Resp. 2. Non quavis mulcta aut pœna à judice sæculari imposita infamem reddi, sed ea tantùm gravi, quæ crimen supponit, cui ipso jure annexa est infamia. V. g. si ignominiosè in publicum traducatur, gallicè, *faire amende honorable*, si numellis publicis circumducatur, gallicè, *etre mis aut pilory;* virgis cædatur, exilio damnetur. Non igitur propter mulctam pecuniariam à judice sæculari decretam contrahitur irregularitas, Cap. *Cùm te*, tit. *De sent. & re judic.* Neque etiam propter admonitionem ab eodem judice in auditorio factam. Lege *Interlocutio*. 19. L. *Quibus causis infam.* Dico admonitionem, gallicè *admonestè;* qua reprehensio, gallicè, *blame*, inducit irregularitatem: unde judex ecclesiasticus abusivè pronuntiaret Clericum à se damnatum, teneri sistere se coram tribunali suo, ut ibi reprehendatur.

Quæres 6. An Clericus damnatus ad exilium aut triremes, amittat ipso facto Beneficium.

Resp. Si pœnæ illæ sint perpetuæ, qualis est exilium extra regnum, *bannissement hors du Royaume*, amitti Beneficium; quia per hujusmodi pœnas mortuus civiliter censetur, & bona ipsius fisco addicta sunt: si verò pœna non est perpetua, sed ad tempus, & infra decem annos, sic damnatus Beneficium non amittit, sed novum acquirere non potest.

Quæres

Quæres 7. An comprehensio homini decreta, gallicè, *Decret de prise de corps*, aut vadimonii per se obeundi denuntiatio, gallicè, *Ajournement personel*, inducat irregularitatem.

Resp. Juxta sanctionem regiam anni 1670. titulo 1. art. 2. suspendi exercitium jurisdictionis civilis, ad quam judex ecclesiasticus conformare se tenetur; sed nulla inde nascitur irregularitas respectu Beneficii, nec Ordinis, in quo ministrare potest: prohibetur tantùm jurisdictionis exercitium.

Quæres 8. An qui pœnitentiæ publicæ olim addicti fuerant, essent irregulares.

Resp. 1. Eos qui ex pietate sine ullo crimine spontè pœnitentiæ publicæ se subjiciebant irregulares non fuisse. Patet ex Concilio Toletano XIII. cap. 10. 2. Clericos qui spontè crimen aliquod confitebantur, propter quod pœnitentia publica subeunda erat, irregulares fuisse ex eodem Concilio Toletano. Idem constat de Clericis qui publicam egerant pœnitentiam. 3. Laicos publica pœnitentia perfunctos, ad Ordines admissos non fuisse, quod multis Canonibus sancitum fuisse constat. Lege Epistolam 185. aliàs 50. S. Augustini ad Bonifacium. *Tom. 6. Concil. p. 1264.*

Quæres ultimò, quomodo tollatur infamia.

Resp. Infamiam facti tolli per notoriam morum in melius conversionem; infamiam verò juris, tolli per sententiam judicis, qua criminis accusatus, innocens declaratur.

De irregularitate ex defectu ætatis.

Quæres 1. Quinam contrahant irregularitatem ex defectu ætatis.

Resp. Eos omnes hanc contrahere, qui non habent ætatem Canonibus præscriptam, hoc est annos viginti duos pro Subdiacono, viginti tres pro Diacono, viginti quinque pro Presbytero, triginta pro Episcopo. Cap. *Cùm in cunctis*. L. 1. Decretalium Gregorii IX. titulo 6. *De electione*.

Quæres 2. An superveniente ætate cesset irregularitas.

Resp. Ex Constitutione Pii II. *Cùm ex sacrorum*, qui sacrum aliquem Ordinem ante legitimam ætatem præsumunt accipere, ipso facto suspenduntur, & si illum exerceant, fiunt irregulares. Neque possunt etiam superveniente ætate illum exercere, ante obtentam absolutionem à prædicta suspensione. Hæc tamen Extravagans comprehendit tantùm præsumentes accipere, non autem eos qui ignoranter acceperunt.

Quæres 3. Qui possit dispensare supra defectum ætatis.

Resp. Hoc pertinere ad solum S. Pontificem, ut apertè colligitur ex Cap. *Nullus*. *De temporibus Ordinationis*, in Sexto. Imò si sacrum Ordinem conferret Episcopus ante legitimam ætatem, à collatione Ordinum esset suspendendus. Cap. *Ut non est compos*. *De temporibus Ordinationis*.

De irregularitate ex defectu obligationis.

Quæres 1. Quinam contrahant irregularitatem ex defectu obligationis.

Resp. Duo hominum genera hanc irregularitatem contrahere: nempè curiales, & obligatos ad ratiocinia, de quibus fit mentio apud Gratianum Cap. *Præterea*. dist. 51.

Curiales dicuntur, qui in Curia Principum sæcularium officiis aliquibus tenentur, ut sunt Judices, Advocati, Notarii, Milites, & alii similes ministri, qui, si perpetuò sunt obligati, perpetuò repelluntur ab

Ordinatione; secus verò, deposito officio & ab onere liberati, ordinari possunt, nisi in duobus casibus: scilicet, vel cùm mutilationi aut homicidio sese immiscuerunt; vel cùm infame aut vile ministerium in Curia exercuerunt, ut histriones, satellites &c.

Obligati ad ratiocinia, sunt illi qui propter administrationem publicam vel privatam, ad reddendas rationes obligantur; de quibus est titulus decimus nonus in Lib. 1. Decretalium Gregorii IX. tales sunt Thesaurarii. Hi verò non possunt ordinari, nisi redditis rationibus; & deposita illarum obligatione.

Quæres 2. Cur hos homines ab Ordinibus repellat Ecclesia.

Resp. His de causis. 1. ne ante liberationem ab officiis patiatur Ecclesia quasdam molestias, si fortè sic ordinati à Curia repeterentur, ut dicitur Cap. *Designata*. dist. 52. 2. quia hi non affectu religionis, sed ut ratiocinia officiorum fugiant, videntur ad Ecclesiam se transferre. dist. 53. cap. 1.

Quæres 3. An omnes obligati ad ratiocinia sint irregulares.

Resp. Hæc distinguenda esse cum Glossa in titulum *De obligatis ad ratiocinia*, qui est 19. Lib. 1. Decretalium Gregorii IX.

I. Obligatus personæ miserabili, etiam non deposito onere potest ordinari; quia miserabilium personarum quilibet curam suscipere potest. Distinct. 86. cap. 26. *Pervenit*.

II. Obligatus personæ Ecclesiasticæ, etiam non deposito onere, potest ordinari; quia nempè ex hoc nullam molestiam timet Ecclesia; nec infamatur, quasi ordinaret aliquos cum aliorum detrimento. Eadem dist. & eodem cap.

III. Obligatus personæ sæculari publicæ, ante redditam rationem, etiam onere deposito, non ordinatur, quia nempè rationes publicæ administrationis priùs reddendæ sunt.

IV. Si ratiocinia sint ex administratione erga personam privatam, deposita administratione & onere, etiam ante redditam rationem ordinari quis potest, nisi fortè lis ipsi ante promotionem, vel in ipsa promotione moveatur super administrationem, & maximè si de dolo.

De irregularitate ex defectu Sacramenti.

Quæres 1. Quæ sit irregularitas ex defectu Sacramenti.

Resp. Eam esse quæ oritur ex bigamia, seu Matrimonio pluries repetito cum variis successivè uxoribus. Dicitur autem ex defectu Sacramenti, seu significationis, non quòd secundæ nuptiæ non habeant veri Sacramenti rationem, si legitimè contractæ fuerint; sed quòd perfectè non significant neque repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ unius est cum una. Ita S. Th. in 4. dist. 27. q. 3. art. 1. quæstiuncula prima.

Quæres 2. Quotuplex sit bigamia per quam irregularitas contrahitur.

Resp. Triplicem esse, veram scilicet, interpretativam, & similitudinariam.

Bigamia vera & realis est ea, qua aliquis duas uxores legitimè successivè ducit. Hos bigamos ab Ordinum susceptione & executione arceri constat ex Cap. *Super eo. De bigamis non ordinandis*.

Bigamia interpretativa est ea, qua aliquis ex juris interpretatione habetur ut bigamus, etiamsi non sit verè bigamus, utpote qui multas quidem uxores, sed non veras habuit: v. g. qui duo Matrimonia cum impedimento dirimente contraxit, vel saltem alterum. Hos bigamos esse irregulares constat ex Cap. *Nuper à nobis. De bigamis non ordinandis*.

Cense-

Censetur etiam bigamus interpretativè, qui vel cum vidua contraxit, vel quomodocumque ab altero corruptam duxit; vel cum virgine quidem nupsit, sed quæ post nuptias cum altero adulterata est; si tamen post adulterium hujusmodi eam cognovit, non verò si reliquit intactam. Hæc colliguntur ex Cap. *Curandum*. *Si cujus*. *Si Laici*. apud Gratianum dist. 34. Et ratio est, quia his Matrimoniis deest integra significatio unionis Christi cum Ecclesia.

Bigamia similitudinaria ea est, qua aliquis post votum solemne castitatis in approbata Religione emissum, vel post sacrum Ordinem susceptum Matrimonium contrahit vel cum virgine, vel cum corrupta, quam carnaliter cognoscit, sive validè, ex S. Pontificis dispensatione, sive invalidè.

Per hanc bigamiam induci irregularitatem constat ex Cap. *Quotquot*. Causa 27. q. 1. ex Cap. *Nuper*. *De bigamis non ordinandis*. Et ratio est, quia per hujusmodi Matrimonium carnale quod contrahit, violatur spirituale quod præcessit.

Quæres 3. An bigamia quæ Baptismum præcessit, inducat irregularitatem.

Resp. Ea de re dubitasse aliquando S. Hieronymum in Epistola 82. aliàs 83. ad Oceanum, ratus irregularitatem illam oriri ex incontinentiæ labe, quæ per Baptismum perfectè eluitur. E contra sanctus Ambrosius Lib. 1. de Officiis cap. 50. & S. Augustinus Lib. de bono conjugali cap. 18. eam ex defectu significationis repetunt, & consequenter post Baptismum adhuc superstitem esse arbitrantur. T. 4. p. 2. pag. 647. & seq. Tom. 2. p. 66. B. C. Tom. 6. p. 331. F.

Quæres 4. Quis possit dispensare circa defectum bigamiæ.

Resp. 1. Dispensare potest S. P. non tantùm ut ad minores, sed etiam ut ad sacros Ordines quis promoveatur. Ita Cap. *Lector*. dist. 34. & Glossa Canonis. Neque obstat quòd Apostolus 1. ad Timoth. 3. jubeat Episcopum unius uxoris virum esse debere. Nam, ut optimè observat S. Th. in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. ad 2. non potest equidem dispensari à S. Pontifice quantùm ad ea quæ sunt de jure naturali, & quantùm ad ea quæ sunt de necessitate Sacramenti in fieri; sed in aliis quæ sunt de institutione Apostolorum, cùm Ecclesia eamdem nunc habeat potestatem statuendi, quam tunc habuit, potest per eum qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari. 2. Dispensare olim poterant Episcopi cum bigamis ut ad minores Ordines promoverentur, ut constat ex Cap. *Super eo*. *De bigamis non ordinandis*, idque usu receptum erat tempore S. Thomæ. Tom. 10. pag. 483. col. 2. C.

Verùm mos ille abrogatus est, neque dispensare nunc possunt Episcopi cum bigamis, ut vel Tonsura clericali initientur, & Beneficia possideant. Concilium enim Trid. Sess. 23. de reform. cap. 17. statuit ut Ordinum minorum functiones ab innuptis exerceantur, vel si eorum non adsit copia, à conjugatis quidem, sed qui bigami non sint. Non censuit igitur esse in potestate Episcopi ut bigamis conferat minores Ordines.

De irregularitate ex defectu lenitatis.

Irregularitatem ex defectu lenitatis contrahit homo quilibet baptizatus, qui voluntariè & proximè ex officio concurrit, sive justè sive injustè, ad mortem vel mutilationem alicujus; quales sunt judices, apparitores, carnifices, milites. Cap. *Si quis viduam*. dist. 50. Idcircò verò hunc lenitatis defectum irregularitatis causam esse voluit Ecclesia, quòd maximè deceat Clericos mites esse ac mansuetos, qui ministri sunt incruentæ ac cœlestis victimæ, quæ oravit pro suis interfectoribus, nedum ultrices pœnas ex iis repetiit. Tom. 14. Conc. pag. 870.

Ad illam verò incurrendam irregularitatem necesse est 1. hominem concurrere ad mortem vel mutilationem, seu physicè, ut carnifex, seu moraliter, positivè influens, ut mandans, consulens, consentiens, adjuvans; aut negativè, ut non obstans, cùm ex officio & justitia teneatur, sicut Magistratus & medicus quorum negligentia aliqui pereunt. Quòd si non obstans ex sola charitate teneatur, non fit irregularis, tametsi peccet. Necesse est 2. ut *voluntariè* concurrat: si quis enim coactus in vitæ suæ defensionem aggressorem occidat aut mutilet, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis. Necesse est 3. ut *proximè* concurrat: si enim remotè tantùm, qualis est armorum artifex, irregularitatem non contraheret, nisi forsan arma venderet iis, quos certò scit duello mox conflicturos esse. Necesse est 4. ut ad necem vel mutilationem actu concurrat; idem quippè est in Jure occisio vel mutilatio quod effectum irregularitatis. Cap. *Si furiosus*. Clementina, *De homicidio*. Si autem adesset solummodo voluntas occidendi vel mutilandi, sine reali & actuali executione, irregularitas non contraheretur. Ut vera autem sit mutilatio, debet membrum aliquod corporis notabile, quod distinctam habeat ab aliis partibus functionem, v.g. oculus ad videndum, manus ad palpandum, pes ad ambulandum &c. truncari & amputari: unde si quis vel dentem alicui excuteret, vel digitum amputaret, ob hanc causam irregularis non fieret, quia propriè illa vera non dicuntur stylo Juris membra, sed partes dumtaxat membrorum: in illis autem quæ odiosa sunt, verba in strictiori significatione usurpanda sunt. Equidem Cap. *Qui partem*. dist. 55. irregularis declaratur qui sibi partem cujuslibet digiti abscindit: verùm irregularitas ista ex delicto nascitur, non ex defectu lenitatis. Si autem fortè, sine voluntate, adeoque sine culpa, abscinderetur digitus, v. g. *dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non spontè percussit*, sunt verba citati Capitis, *Qui partem, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici*.

At, inquies, homicida est irregularis: sed qui sine mutilatione virum aut mulierem sterilem reddit, is homicida est. Cap. *Si aliquis*. tit. *De homicidio voluntario*. Ergo absque mutilatione potest quis fieri irregularis. Resp. dist. min. est homicida quantùm ad pœnam homicidii, concedo: quantùm ad irregularitatem, nego. Ita Glossa in hunc locum. Confirmatur responsio ex Cap. *Sicut*, eodem titulo, ubi Innoc. III. statuit, eum non esse irregularem, qui abortum procuravit, fœtu nondum animato.

Quæres 1. Quinam in causa sanguinis censentur proximè ad mortem, sive mutilationem concurrere, adeoque irregularitatem contrahere.

Resp. 1. Accusatorem qui petit vindictam, advocatum seu procuratorem, qui accusatorem juvat. 2. testes. 3. scribam seu notarium. 4. judicem, qui sententiam capitis pronuntiat. 5. carnificem, qui eam exequitur, eosque omnes qui ipsi cooperantur: denique eos, qui à judice impetrant, rotæ impositum v. g. citiùs præfocari, ne longiori tormento crucietur, sic enim mortem illius accelerant. Frustra diceres hæc solos spectare Clericos, non verò Laicos: namque par est ratio Laicorum & Clericorum quantùm ad irregularitatem, ubi cooperantur in causa sanguinis.

Decret. p. 1415. Concilium Lateranense IV. quod refertur titulo, *Ne clerici vel monachi*. Cap. *Sententiam*, de Clericis in re præsenti sic statuit, *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit .... Nec quisquam Clericus Litteras dictet aut scribat pro vin-*

dicta

dicta sanguinis destinandas. Et Cap. *Sæpe*. Causa 21. q. 8. statuitur, *quòd si quis Sacerdotum discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum*. Decret. Grat. pag. 1378.

Ex his infertur, accusatorem proximè ad mortem concurrere, si petat vindictam: si enim peteret dumtaxat satisfactionem, & emendationem rei, nec peccaret, nec fieret irregularis. Cap. *Prælatis*. tit. *De homicidio*, in Sexto, ubi sic legimus. *Prælatis vel Clericis quibuscumque, qui de laicis suis malefactoribus querelam penes sæcularem judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expressè quòd ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet; quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari .... Alioquin si Prælati aut Clerici propter metum hujusmodi, quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi.* Pag. 653.

Non ergo pro irregularibus habendi. 1. Clerici qui jurisdictione quadam temporali fruentes Officialibus suis mandant, ut de homicidio vel alio crimine inquirant, etiam si pœna capitis inde sequatur. 2. Concionatores qui invehuntur in scandala publica, & prædicant judices in conscientia teneri arcere malos, iisque Rempublicam purgare. 3. Confessarios, qui obligant reum ad confitendum crimen, de quo juridicè interrogatur. 4. Jurisperitos, sive Theologos, qui interrogantibus respondent, ex lege ad mortem damnari eos qui hæc vel illa crimina perpetrant. Sunt qui cum Sanbovio existimant, Sacerdotem, qui judici indicavit ubi fur lateret, qui posteà suspendio necatus est, non esse irregularem, sicut nec illum qui homicidam detinuit, & judici tradidit, à quo posteà capite punitus est. Addunt insuper accusatorem in Regno non teneri ad vitandam irregularitatem, contestando denuntiare se non intendere mortem aut mutilationem, cùm juxta mores nostros non possit accusare pro vindicta, soliusque sit Procuratoris fiscalis aut regii vindictam expetere.

Quæres 2. An testes in causa sanguinis contrahant irregularitatem.

Resp. Ex communi Theologorum & Canonistarum sententia hujusmodi testes irregulares fieri, quia suo testimonio multùm conferunt ad sententiam sanguinis. Unde S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. *Secundùm juris ordinem*, inquit, *compelli non possunt Clerici ad ferendum testimonium in causa sanguinis*. Attamen usus contrarius apud nos obtinet; regia quippè sanctione anni 1670. titulo 6. Clerici sive Sæculares sive Regulares compelluntur ad testimonium ferendum in quavis causa, etiam sanguinis: unde non censentur causæ proximæ mortis vel mutilationis, nec consequenter irregulares; quia vindictam non intendunt, sed tantùm rei emendationem seu correctionem. En verba regiæ sanctionis gallicè, *Que toutes personnes assignees pour etre ouies en temoignage, recollees ou confrontees, seront tenues de comparoitre pour satisfaire aux assignations, meme les Ecclesiastiques par amende, au payement de laquelle ils seront contraints par saisie de leur temporel; enjoignant aux Superieurs Reguliers d'y faire comparoir leurs Religieux, à peine de saisie de leur temporel, & de suspensions des privileges à eux par nous accordes.*

Quæres 3. An medici & chirurgi contrahant irregularitatem cùm secuti artis suæ regulas, vel consuluerunt vel executi sunt mutilationem aut adustionem alicujus membri.

Resp. negativè; quia non est defectus lenitatis si pars resecetur ad conserva-

servationem totius: si tamen per gravem culpam medici aut chirurgi homo deformaretur vel interiret, incurrerent irregularitatem ex delicto.

Non est pariter irregularis Clericus qui juxta medicinæ leges jussit aut consuluit medicinæ sumptionem, tametsi ex illius sumptione infirmus mortuus sit: secus autem si adustionem aut mutilationem imperaverit; expressè enim Concilium Lateranense IV. id prohibet. Cap. *Sententiam*. tit. *Ne Clerici vel Monachi*. *Nec ullam*, ait Concilium, *chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit*. Et Cap. *Tua nos*. tit. *De homicidio*. Innocent. III. interrogatus pro quodam Monacho Sacerdote, qui ferro tumorem in gutture mulieris aperuerat, sic respondet: *Licèt ipse Monachus multùm deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minimè congruebat; si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quòd non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare: alioquin interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio*.

Decret. p. 1415.

Ibid. pag. 1711.

De irregularitate ex defectu libertatis.

Defectu libertatis irregulares sunt. 1. conjugati, qui promoveri ad Ordines non possunt, nisi consentiente uxore cui sunt alligati: quæ, si consentiat, debet vel Religionem solemniter profiteri; vel, de consensu Episcopi, castitatis perpetuò servandæ votum emittere. 2. irregulares sunt servi, gallicè *Esclaves*. Can. 81. eorum qui apostolici dicuntur, *Servos in Clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus.... Si quando autem etiam dignus servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, & domini concesserint ac liberaverint, & ædibus emiserint, fiat*. Apud nos locum non habet hæc irregularitas, qui famulos habemus quidem, sed non propriè servos.

Tom. 1. Conc. pag. 43.

De irregularitatibus quæ nascuntur ex delicto.

Quatuor vulgò hujus irregularitatis species distinguuntur.
Prima, ex delicto hæresis.
Secunda, ex iteratione Baptismi.
Tertia, ex indebita susceptione, vel usu Ordinis.
Quarta, ex homicidio.

I. Ex delicto hæresis. I. Jure communi manent irregulares tam Hæretici, quàm eorum fautores, & filii usque ad secundam generationem. Cap. *Quicumque*, paragr. *Hæretici*. tit. *De hæreticis*, in Sexto.

Pag. 613. n. 40. Concilium Eliberitanum Can. 51. sic decernit: *Ex omni hæresi fidelis si venerit, minimè est ad Clerum promovendus; vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur*. Idem statuit Innocentius I. Epist. 22. cap. 4. *Nostræ*, inquit, *lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare*. Aliquando ab hac severitate recessit Ecclesia, quando œconomiæ causa Novatianos, Donatistas &c. ad sinum suum redeuntes cum suis gradibus seu honoribus suscepit. Irregulares pariter sunt apostatæ, schismatici, imò & eorum fauto-

Tom. 1. Conc. pag. 976.

Tom. 2. Conc. pag. 1274.

fautores & defensores. Cap. *Statutum*, quod est Bonifacii VIII. tit. *De hæreticis*, in Sexto.

Dixi jure communi Hæreticos irregulares esse: quia in Gallia Hæretici ad fidem conversi, non habentur ut irregulares, multò minùs eorum filii, & absque dispensatione promoventur tum ad Ordines, tum ad Beneficia.

II. In odium hæresis Rebaptizantium Donatistarum, quæ Ecclesiam tamdiu turbavit, irregulares declarati sunt qui Baptismum iteratò vel conferunt, vel percipiunt. Cap. *Confirmando*, dist. 50. quod caput deprome ptum est ex Concilio V. Carthaginensi his verbis, *Neque umquam permittendum est, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur*. Et Cap. *Qui bis*, dist. 4. *De consecratione*. *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quòd secundùm Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas exigat*. De rebaptizantibus extat Can. 47. Apostolorum, & Cap. *Ex Litterarum*, tit. *De apostatis*, ubi Alexander III. Acolythum, qui rebaptizanti ministerium suum publicè exhibuit, ab Ordinibus repellit. Non eadem est ratio intentionis Confirmationis vel Ordinationis; quia nihil in jure eam in rem expressum habemus: omnis autem irregularitas distinctè debet in jure contineri & exprimi.

II. Ex iteratione Baptismi.

Decr. Grat. pag. 2018. Decret. p. 1689.

III. Irregularitas contrahitur ex indebitis Ordinis susceptione, vel exercitio. 1. si quis furtivè ac fraudulenter examen declinant, nec aliunde approbati sunt & admissi. Cap. *Veniens*, tit. *De eo qui furtivè*, quod est Alexandri III. 2. qui majori excommunicatione vel alia censura ligati Ordines suscipiunt, aut eos exercent. Cap. *Cùm illorum*, tit. *De sententia excommunicationis*. Cap. *Clerici*, Cap. *Latores*, Cap. *Illud*, Cap. *Fraternitati*, *De Clerico excommunicato vel interdicto ministrante*. 3. qui obeunt ministeria Ordinum, quos revera non receperunt. Cap. *Si quis*, *De Clerico non ordinato ministrante*. 4. qui ordinatus per saltum superiorem exercet Ordinem, priusquam inferiorem perceperit. Cap. *Sollicitudo*. Cap. *Tuæ Litteræ*, Dixi qui *majori excommunicatione ligatus est*: tum quia minor excommunicatio non inducit irregularitatem, licèt celebrando peccet, si sic excommunicatus est. Ita Cap. *Si celebrat*, tit. *De Clerico excommunicato*. Dixi, *excommunicatione ligatus*; non suspensione vel interdicto: tum quia laudato Cap. *Cùm illorum*, de solis excommunicatis sermo est; tum quia suspensio non privat susceptione Sacramentorum, sed tantùm Ordinis usu seu exercitio. Major est difficultas de interdicto, cùm privet receptione Sacramentorum, quæ non sunt ad salutem necessaria; quapropter discordes hìc sunt Theologi. Verùm quidquid sit, extra controversiam est, eum, qui suspensus vel interdictus Ordinem sacrum recipit, irregularem fore, si exerceat Officium Ordinis sic suscepti, quia Ordinatio censuram, quæ præcesserat, non tollit. Si quis verò Laicus cantat in Missa Epistolam etiam cum dalmatica, sed sine manipulo, non contrahit irregularitatem. Ita communiter Theologi. Ratio est, quia in jure fit tantùm mentio Clericorum: in materia autem odiosa restringenda sunt odia, & standum litteræ legis. Clericus etiam, qui ex inadvertentia, vel ignorantia probabili, vel in casu necessitatis, puta ad vitandum scandalum, partem aliquam Ordinis ad se non pertinentem exercet, irregularitatem non contrahit, quia id ex temeritate non præstat. V. g. si Diaconus ex mandato Episcopi vel Presbyteri solemniter baptizans sal benedicat, nec advertit ejusmodi benedictionem proprium esse officium Presbyteri: idem dicendum de simplici Clerico, qui jussu Sacer-

III. Ex indebitis Ordinis susceptione vel exercitio.

dotis

dotis inter Missarum solemnia Epistolam cantat, etiam cum manipulo, quem ex inadvertentia assumpsit, vel ignorans istud ornamentum Subdiaconi proprium esse. Si quis Diaconus aliqua censura ligatus concionem publicam haberet, irregularis propterea non fieret; quia ad irregularitatem contrahendam ex illicito usu Ordinis, necesse est ut actio illa propria sit Ordinis sacri: atqui talis non est concio quæ habetur à Diacono: licèt enim munus concionandi ad Presbyteros & Episcopos pertineat, non inde tamen rectè colligitur, illud proprium esse Ordinis sacri; alioqui Subdiaconus, aut simplex Clericus qui sine Episcopi facultate concionem haberet, irregularis fieret, quod ab omnibus communiter negatur.

IV. Ex homicidio.

IV. Ex homicidio voluntario irregularitatem contrahi res est apud omnes certa.

Duplex autem generatim distinguitur homicidium, unum voluntarium, aliud casuale. Voluntarium dicitur, quod directè intenditur, vel in se, vel in causa cum effectu sic conjuncta, ut quis reputetur effectum voluisse, eo ipso quo voluit causam, ex qua prævidit, aut prævidere debuit mortem esse secuturam: v. g. illius mortem intendisse creditur, cui venenosam potionem propinavit. Homicidium casuale illud dicitur, quod casu, seu præter intentionem agentis accidit: ut si quis intendens leviter percutere, manu tamen fallente, graviter vulneravit & occidit; vel inter venandum hominem inter arbusta latitantem interfecit, putans se bestiam interficere. Homicidium casuale duplex est, unum purum, & aliud mixtum. Purè casuale dicitur, quod neque in se, neque in sua causa fuit intentum nec prævisum, sed omninò accidit præter intentionem agentis: mixtum verò dicitur, quando quis nec mortem aut mutilationem intendit, nec secuturam prævidit, sed vel debitam diligentiam non adhibuit ut prævideret ne mors sequeretur; vel opus periculosum temerè suscepit, sive quia peritus satis non erat, sive quia tale opus ipsi erat prohibitum; unde mors secuta partim est casualis, partim voluntaria, nempè in causa. Liberè quippè voluit, aut diligenter non inquirere; aut suscipere opus periculosum, cùm esset imperitus; aut si peritus, contra Ecclesiæ prohibitionem.

Certum est, homicidium voluntarium, aut casuale mixtum inducere irregularitatem; non ita si purè casuale fuerit ac involuntarium, cùm quis rei licitæ operam dando, fortuitò aliquem interficit. Cap. *Cùm delictis*, Cap. *Ex litteris*, eodem tit. *De homicidio*.

Concil. Trid. Sess. 14. de reform. cap. 7. hæc statuit circa homicidium. *Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica Beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio ecclesiastico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, & altaris ministerium, & Beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.* Ex illo Concilii Decreto inferes. 1. Concilium certis in casibus concedere Episcopis facultatem dispensandi ab irregularitate ex delicto, non autem ex defectu. 2. facultatem hanc

restrin-

restringere ad occulta crimina, quæ non sunt deducta ad forum contentiosum. 3. Concilium excipere dumtaxat homicidium voluntarium, licèt occultum; ergo Episcopus tollere potest irregularitatem ex mutilatione, & ex homicidio casuali & involuntario.

Hic locus esset agendi de censuris, sed aliò tractationem hanc rejicimus.

QUÆSTIO QUINTA.

De effectibus Sacramenti Ordinis.

DUplex distinguitur Sacramenti Ordinis effectus, gratia scilicet & character.

Rursus gratia illa vel est gratis data, quæ consistit in donis ad utilitatem aliorum concessis; vel gratum faciens, ad sanctificationem recipientis ordinata, cum speciali jure ad auxilia proportionata officiis huic Sacramento propriis.

Certum est 1. per Sacramentum Ordinis conferri gratiam sanctificantem. Patet ex dictis qu.2. art.1. ubi ostendimus Ordinationem verum esse Legis novæ Sacramentum, cui annexa est gratiæ promissio. *Noli*, inquit Apostolus Timoth. alloquens 1. ad ipsum Epistolæ cap.4. v.14. *negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii &c.*

Certum est 2. primis Evangelii ministris datas esse gratias gratis datas. Matth.10. v.8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos curate, dæmones ejicite*. Et 1. Cor.12. v.8. *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

Non minùs certum, jam non dari ejusmodi visibilia chrismata vi Ordinationis sacræ. Ratio est, quòd primis nascentis fidei exordiis necessaria dumtaxat illa fuerint ad confirmandam & propagandam Christi Religionem, quod familiari & eleganti comparatione illustrat S. Gregorius Hom. 29. in Evangelia. *Hæc signa*, inquit, *necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos, cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quo usque ea in terra jam coaluisse videamus; at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quòd Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus*. Pariter S. Augustinus Lib. de vera Religione cap. 25. *Cùm Ecclesia*, inquit, *Catholica per totum orbem diffusa ac fundata sit, nec miracula in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.*

Tom.1. p. 1571. A.

Tom.1. p. 763. F.

Certum est denique, sano sensu dici posse etiamnum aliquas gratias gratis datas conferri per Ordinationem: tum quia per quemcumque Ordinem conceditur potestas administrandi res sacras in aliorum commodum & utilitatem, quæ potestas ad speciem gratiæ gratis datæ revocatur, & miraculi, quamquam invisibilis operativa est, dum per eam peccata remittuntur, dicente ipso Christo Matth.9. v.6. *Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, quàm dicere, Surge & ambula?* Tum quia virtute & efficacia Ordinationis, ministri scientiæ Scripturarum sacrarum, & sacræ doctrinæ acquisitioni, intelligentiæ & expositioni longè aptiores magisque idonei redduntur.

De solo igitur charactere superest hic expendenda quæstio duplici Articulo sequen-

ſequenti, in quorum primo doctrinam Eccleſiæ circa characterem per Sacramentum Ordinationis impreſſum declarabimus ac defendemus; in altero exponemus ac ſolvemus nonnullas ſcholaſticas quæſtiones circa characterem.

ARTICULUS PRIMUS.

De charactere impreſſo per Sacramentum Ordinis, quo fit ut iterari non poſſit Ordinatio ſemel ritè collata.

An valida ſit & rata Ordinatio data ab Hæreticis, Schiſmaticis, ſimoniacis, ſuſpenſis, degradatis, aut excommunicatis.

CHaracter nihil aliud eſt quàm *ſignum aliquod ſpirituale animæ impreſſum & indelebile, quo fit ut iterari non poſſit Sacramentum per quod imprimitur*. Ita Concil. Trident. Seſſ.7. Can.9.

Tom. 14. Concil. p. 777. C. Certum eſt 1. numquam in Eccleſia dubitatum à Catholicis fuiſſe, quin imprimatur character à Sacramento Ordinis, cùm à legitimo miniſtro juxta formam à Chriſto præſcriptam adminiſtratur; quo fit ut numquam iteratæ fuerint Ordinationes catholicæ & legitimæ. *Non liceat*, ait Can.38. Concilii III. Carthaginenſis, *fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Epiſcoporum*. (T.2.Conc. p.1172.C) Et S. Gregorius Magnus L.2. Epiſtolarum Epiſtola 46. aliàs 32. ad Joan. Epiſcopum Ravennatenſem, (Tom.2. p. 608. C.) *Sicut baptizatus ſemel*, inquit, *iterum baptizari non debet; ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari*. Ita definitum eſt à Concil. Trid. loco mox citato.

Certum eſt 2. Characterem per legitimam Ordinationem impreſſum numquam deleri & amitti poſſe per hæreſim ſubſequentem, aut aliud quodcumque crimen; quia ille character eſt ſpiritualis quædam poteſtas, quæ nullam habet contrariam qualitatem per quam impugnari ac deſtrui poſſit. Inde fit ut qui in Eccleſia Catholica ſunt ordinati ritu legitimo, à qua per hæreſim aut ſchiſma ſubinde receſſerunt, ſi ad illam redierint, iterum non ordinentur, quia characterem in Eccleſia receptum recedentes integrum conſervaverunt; quod ex profeſſo probat S. Auguſtinus in ſuis adversùs Donatiſtas lucubrationibus.

Certum eſt 3. illicitas eſſe Ordinationes quæ ab Hæreticis, Schiſmaticis, excommunicatis &c. dantur, vel recipiuntur: tum quia non licet miniſtro hæretico functiones ſui Ordinis obire, à quibus ſuſpenſus eſt: tum quia non licet ab Hæretico percipere Sacramenta, excepto ſolo Baptiſmo in caſu neceſſitatis.

Certum eſt 4. in Ordinatione duo poſſe ac debere diſtingui, ſubſtantiam nempè ipſius, & functiones, ſeu uſum & exercitium Ordinis: poteſt enim valida eſſe quoad ſubſtantiam Ordinatio, cujus tamen uſus ſeu exercitium ligatum ſit eccleſiaſtico interdicto.

Certum eſt denique, nullas omninò eſſe Ordinationes, etiam quoad ſubſtantiam, quæ non fiunt ritu legitimo à Chriſto præſcripto.

Quæſtio igitur præſens movetur dumtaxat de Ordinationibus collatis juxta formam Chriſti & Eccleſiæ, ab Epiſcopis hæreticis, ſchiſmaticis, ſimoniacis, & degradatis, aut excommunicatis, an ſcilicet validæ illæ ſint & characterem imprimant, nec poſſint iterari. Circa quam controverſiam graviſſimas interdum excitatas in Eccleſia fuiſſe lites ac diſſenſiones,

siones, ostendunt quàm plurima exempla quæ commemorat Morinus, De sacris Ordinationibus Exercitatione 5. ita ut duodecimo Ecclesiæ sæculo nondum certa ac planè definita videretur, obtestante in Romana Synodo Gregorio IX. S. P. omnes *Episcopos, ut Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quid super hoc scrupuloso negotio* (agebatur de Sacramentis à simoniacis collatis) *decernendum esset, nutantibus revelaret.*

Ipse pariter Petrus Lombardus, Magister Sententiarum dictus, L.4. dist. 25. cui titulus est, *De ordinatis ab hæreticis*, fatetur valdè dubiam, incertam, & inter Theologos varias in partes agitatam esse istam controversiam. *Hanc quæstionem*, inquit, *perplexum ac penè insolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimùm dissentire videntur*. Et reipsa ibidem litera C. commemorat varias ac pugnantes Theologorum sui temporis opiniones, & à ferendo judicio ipse abstinet, adeo dubius & anceps hærebat. *P. 74. & seq. Ita refert Petrus Damianus Sexti Opusculi præfatione Ed. Lugd. 1622. pag. 423. col. 1. B.*

Opinio P.Morini.

Morinus, De sacris Ordinationibus Exercitatione quinta integra fusè præsens hoc nostrum tractat argumentum, ac docet

I. Ordinationes Hæreticorum factas juxta Canones Ecclesiæ, ratas & validas semper fuisse, nec iteratas.

II. Veteres SS. Patres ac Scholasticos variè admodum de Ordinationibus factis contra Ecclesiæ leges ab Hæreticis, Schismaticis &c. locutos fuisse quod demonstrat septem prioribus capitibus, benè multis Veterum testimoniis.

III. Ad sæculum usque decimum tertium communi ferè Theologorum suffragio tamquam nullas & irritas fuisse rejectas Ordinationes Hæreticorum &c. quod iisdem in capitibus multiplici argumentorum genere probare nititur; ita ut quo tempore acriùs disputatum fuit de nonnullis Ordinationibus, non tam de jure ipso, quàm de facto quæstionem fuisse contendat; idest, dissensio non erat an iteranda foret Ordinatio illegitimè & contra Canones attentata, iterandam enim esse omnes consentiebant: sed an hæc vel illa Ordinatio illegitima foret & contra leges Ecclesiæ facta. Addit cap.8. num.7. ab annis 400. contrariam opinionem apud Scholasticos invaluisse, *quamvis hactenus*, inquit, *nullo Ecclesiæ decreto quæstio tam perplexa & obscura decisa sit; sed tam multorum Doctorum concors, & tam diuturnus consensus, nobis est*, pergit Morinus, *instar legis, quam dissensu nostro temerare nec volumus, nec debemus.* P.103. F. P.104. A.

IV. Cap.9. adducit fundamentalem causam & rationem, cur Ordinatio contra Ecclesiasticam regulam facta judicetur irrita & nulla, quamdiu Canones vigent, etiamsi adhibita fuerit materia & forma à Christo præscripta: quia scilicet potest Ecclesia certas aliquas statuere conditiones seu leges in danda vel recipienda Ordinatione, quæ si observatæ non fuerint, irrita & nulla redditur Ordinatio, etiam quoad substantiam. *Illæ quippè conditiones*, ait Morinus, *materia sic afficiunt, ut earum defectu materia reddatur Ordinationi inepta; atque tam spectare possunt ordinantem, quàm ordinandum. Potest enim Ecclesia definire quibus conditionibus ordinans Episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum donis & qualibus ordinandus sese ordinanti sistere, ut validè & efficaciter Ordinem ab eo recipiat.* Quod illustrat exemplo Sacramentorum Matrimonii & Pœnitentiæ, in quorum administratione Ecclesia certas præfinivit leges, quæ si violentur, nullum est Sacramentum. Ita nullum est Matrimonium clandestinum quod fit sine præsentia Parochi ac testium; nulla sacramentalis absolutio data à Sacerdote non approbato nec jurisdictionem habente. Unde observat hoc eodem *Ib.col.2.D.*

Pag.107. col.1. B. dem cap.9. num.10. *in charactere duo esse distinguenda, rei nempè substantiam, & virtutem agendi. Character quidem semel impressus*, inquit, *ab Ecclesia non pendet amplius: perpetuus est & indelebilis; sed ipsius virtus Ecclesiæ regimini subdita est, ab ea suspenditur, ita ut nihil agat, aut agere possit quamdiu durat suspensio*. Quod rursus illustrat exemplo potestatis *absolvendi à peccatis, quæ quidem datur Presbytero, nec ab eo potest auferri: usus tamen ejus & actio pendet à Superioribus; ab iis revocari potest, aut limitari, nihilque prorsus agit aut revocata, aut extra præscriptos limites excurrens*. (Ibid. C.D.)

Atque hoc posito semel fundamento, exponere facilè sibi videtur Morinus 1. qua ratione Ecclesia multos olim Clericos hæreticos ad sinum suum redeuntes cum suis gradibus & honoribus receperit. Etenim qua auctoritate conditiones seu leges apposuit Ecclesia ad validam vel invalidam Ordinationem efficiendam, eadem dispensare ab illis potest, ubi expedire judicaverit, vel ad pacem conservandam, vel ad extinguendum schisma. 2. quo sensu definierit Florentina & Trid. Synodus per Ordinationem imprimi characterem perpetuum & indelebilem; nempè, interprete Morino c.8. n.2. loquitur utraque Synodus *de Ordinatione catholica ad Ecclesiæ regulam exacta*. (P.106.n.7.) (P.102.n.2.)

Legimus undecimo & duodecimo sæculo quosdam in errorem recordationis impegisse. Nam suo quidem tempore testis est Petrus Damianus Epistola 11. Lib.8. seu Opusculo 30. quosdam Monachos in tantam prorupisse vesaniam, ut Sacramenta à simoniacis collata nulla esse dicerent, simoniacosque omnis Ordinis potestate spoliatos proclamarent, quos ipse Epistola ad Florentinos scripta redarguit, & quibusdam impugnat argumentis. Imò in præfatione Opusculi 6. narrat, aliquos Episcopos ita exarsisse in simoniacos, ut Clericos ab iis ordinatos denuò consecrarent. Duodecimo verò sæculo fuisse nonnullos, qui se Apostolorum successores dicerent, quique peccatores nec dandis nec recipiendis Sacramentis idoneos esse contendebant, testatur S. Bernardus Serm.66. in Cantica; quos ibid. refellit S. Doctor. (Pag.619. col.1. D.) (Pag.423. col.1. A.) (Tom.1. p. 1498. C.)

Eumdem quoque errorem posteà suscitarunt Joannes Vviclef & Joannes Hus in Concilio Constantiensi damnati, ad quos ex parte accedit Marcus Antonius de Dominis, Lib.2. de Republ. Christiana cap.4. & 10.

Inter Scholasticos veteres qui existimarunt Episcopatum non esse Ordinem distinctum à Presbyteratu, neque distinctum imprimere characterem, sed esse dumtaxat extensionem characteris sacerdotalis quæ fit à Deo per relationem quamdam extrinsecam, seu deputationem Presbyteri ad aliqua officia subeunda, fuere qui ex hac opinione velut necessarium quoddam consectarium intulerunt, ab Episcopo degradato auferri non modò executionem, sed etiam potestatem Ordinis; non ita verò à Sacerdote, qui potest etiam degradatus validè Christi corpus consecrare. Cujus discriminis ratio est, quòd potestas consecrandi in Sacerdote pendeat à charactere qui auferri non potest: non ita potestas ordinandi in Episcopo, quandoquidem per Episcopatum nullus imprimitur character. *In Ordine Episcopali*, inquit Alexander Alensis 4.part. quæst.8. membro 5. art.1. paragr.6. *non imprimitur character, sicut in sacerdotali, qui impressus in anima deleri non potest, unde solummodo aufertur illi officium consecrandi: non enim aufertur illi potestas, sed executio potestatis. Sed quia in Ordine Episcopali non imprimitur character, in degradando aufertur ei potestas conferendi Ordines, & officium executionis*. Idem consequens deducit Scotus in 4.dist. 25. quæst.1. respons. ad 1. *Si teneatur*, inquit, *quòd Episcopus depositus simpliciter non est Episco-* (Tom.7. p. 567.n.15.)

pus,

pus, tunc quoad illum casum neganda est similitudo in consequentia; quia character sacerdotii tolli non potest, nec per consequens sacerdotium; sicut Episcopatus. Ibid. in respons. ad 3. *Si verò* (Episcopus) *sit præcisus & condemnatus ab Ecclesia, non confert Ordines, si Episcopatus non sit Ordo, & possit simpliciter auferri, sicut habent respondere illi, qui tenent Episcopatum non esse Ordinem, sed quamdam dignitatem additam super Ordines, quæ ad jurisdictionem magis spectat.* Ita Scotus.

Communis Theologorum sententia est, Ordinationes factas ab Episcopis hæreticis, schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis & excommunicatis, quoad substantiam ratas ac validas esse; ita ut, judice Hallerio, *post communem Theologorum consensum, erroneum esset id jam negare.* Itaque sit

CONCLUSIO.

Validæ sunt, quoad substantiam & characterem impressum, Ordinationes factæ ab Episcopis licèt hæreticis, schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis aut excommunicatis.

Probatur 1. ex usu & praxi antiqua Ecclesiæ, quæ Clericos hæreticos cum suis gradibus & honoribus absque nova Ordinatione recepit.

Hæretici Clerici cũ suis gradibus recepti.

Concilium Nicænum generale I. ann. 325. jubet Canon 8. ut *si Novatiani ad Ecclesiam Catholicam aliquando venerint, accipientes manus impositionem in Clero permaneant.*

T.2. Conc. p.42. B.

Hanc verò impositionem manus, reconciliationis dumtaxat fuisse, non veræ Ordinationis, ostendit vel ista Concilii loquendi ratio, *in Clero permaneant;* qua videtur innuere hujusmodi Hæreticos ab Ordinatione sua non excidisse, sed ab ejus dumtaxat usu seu exercitio, quod per impositionem manus, tamquam per meram cærimoniam, eis jubet restitui. Ita Canonem hunc Nicænum intellexisse videtur S. Hieronymus Dial. contra Lucifer. sub finem, uti ait, *Synodum Nicænam omnes Hæreticos suscepisse, exceptis Pauli Samosateni discipulis; & quod his majus est,* inquit, *Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.*

Novatiani. *Tom.4.p.2. pag. 305.* Ariani. *Ed. recens Tom. 1. p. 963. C. Tom. 4. p. 2. p. 304. & seq.*

Arianos similiter receptos fuisse testatur S. Athanasius Epistola ad Rufinianum. Aliquod nihilominus vult discrimen esse observandum inter duces & antesignanos hæreseos, & alios qui seducti sunt. *Placuit nimirum ut eis qui lapsi sunt, si impietatis fuerint præfecti, venia concedatur, siquidem resipiscant; nec detur tamen in Clero locus: iis verò qui impietati patrocinati non sunt, sed necessitate ac violentia tracti fuere, decretum est, ut & venia concedatur, & in Clero detur locus. Affirmabant quippè se minimè in impietatem lapsos fuisse &c.* Idem testatur S. Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos, probans non magis reordinandos esse, quàm rebaptizandos ejusmodi Clericos hæreticos.

T.3. Conc. p. 809. B.

Concilium Ephesinum ann.431. in definitione contra Messalianos, quæ exstat ad calcem 2. partis Actorum, eadem ratione egit cum illis Hæreticis. *Omnes,* inquit, *qui per universam Provinciam hæretici Messaliani vel Ethusiastæ sunt, vel de ejus hæreseos morbo suspecti, sive Clerici, sive Laici sint, conveniantur: & siquidem anathematizaverint, juxta ea quæ in prædicta Synodo scripto pronuntiata sunt, in scriptis; si Clerici fuerint, maneant Clerici; si Laici ad communionem admittantur. Quòd si renuerint anathematizare, si Presbyteri vel Diaconi*

Messaliani dicti Euchytæ seu orantes & spirituales quòd affirmarent oratione solam sufficere absque bonis operibus.

coni fuerint, vel in alio quopiam gradu Ecclesiæ, excidant & à Clero, & à gradu, & à communione; Laici verò anathematizentur.

Nestoriani. Eadem œconomia usi sunt Patres Ephesini erga Nestorianos, sicut ex S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini qui Concilio præfuit, Epistolis ad Maximum & Gennadium colligitur, & ex iisdem Epistolis colligebat Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus Actione 1. Concilii septimi, toto approbante Concilio; quod idem & suo tempore observandum esse erga eosdem Hæreticos volebat S. Gregorius Magnus Lib. 11. Epist. 67. aliàs Lib. 9. Epistola 61. *Nestorium*, inquiebat, *cum omnibus sequacibus suis, & reliquas hæreses anathematizent: venerandas quoque Synodos quas universalis Ecclesia recipit, se recipere, & venerari promittant, & absque ulla dubitatione eos Sanctitas vestra, servatis eis propriis Ordinibus, in suo cætu recipiat.*

T. 7. Conc. p. 70. & seq.

Tom. 2. p. 1169. E. F.

T. 2. p. 422. Eadem cum indulgentia receptos fuisse Pelagianos testatur S. Leo Epistola 6. aliàs 86. in qua nonnullos Episcopos graviter redarguit, qui Clericos Pelagianos, sine ulla hæreseos expressa & publica damnatione, (quod unum reprehendit S. Pontifex) ad Ecclesiam cum suis gradibus admittebant.

Donatistæ. Donatistas pariter, licèt in hæresi & schismate ordinatos, cum suis tamen gradibus receptos fuisse testis est S. August. Epist. 185. aliàs 50. quæ est de correctione Donatistarum, ad Bonifacium Comitem, in qua c. 10. n. 47. sic loquitur: *Hoc erga istos ab initio servavit Africana Catholica ex Episcoporum sententia, qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati judicaverunt, damnatoque uno quodam Donato, qui auctor schismatis fuisse manifestatus est, ceteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt: non quòd etiam foris ab unitate corporis Christi possent habere Spiritum sanctum; sed maximè propter eos, quos foris positi possent decipere, & à susceptione illius muneris impedire: deinde ut etiam ipsorum infirmitas leniùs excepta, intus sanabilis fieret, jam nulla pertinacia claudente oculos cordis adversùs evidentiam veritatis.* Idem rursus testatur S. Doctor tum Epistola 43. aliàs 162. tum Lib. 2. contra Cresconium cap. 11. & 12.

Tom. 2. p. 661. F.

Monothelitæ. T. 7. Conc. p. 91. D. Cum Monothelitis eadem indulgentia actum fuisse legimus Actione 1. septimæ Synodi generalis. Tarasius quippè in ea sic loquitur: *Quin potius & plures eorum qui in sexta sancta Synodo consederunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro, præceptoribus videlicet hæreseos unam voluntatem in Christo prædicantium, ordinati sunt; quoniam hi vicissim Constantinopoleos thronum sortiri sunt, & à Petro, qui ex his novissimus eidem throno præsedit, usque ad sextam Synodum, anni plùs non transierunt, quàm quindecim: & ipsi qui intra hoc tempus fuerunt, Thomas & Joannes & Constantinus Pontifices in præsignato tempore; idest, dum hi qui hæretici nominati sunt, extitisse noscuntur; & propterea non sunt improbati: per quinquaginta enim annos tunc hæresis perduravit; sed sextæ Synodi Patres ipsos quatuor anathematizarunt, quamquam Ordinatio eorum esset.* Ibidem Tharasius jam dixerat: *quid dicitis de Anatolio? Nonne Primas sanctæ Synodi fuit? & ecce à Dioscoro impio ordinatus est. Ergo & non suscipiamus eos qui ab Hæreticis ordinati sunt, quemadmodum & Anatolius est receptus.*

Ib. p. 86. E. Anatolius.

Iconoclastæ. Ipsa tandem septima Synodus majorum exemplis, quæ in ejus Actis benè multa referunt, innixa, post longam ea de re disputationem tota Actione prima institutam, idem de Iconoclastis decernit.

Hac sua porrò agendi ratione manifestè declaravit Ecclesia, sibi ratas & validas videri quoad substantiam Ordinationes in hæresi vel datas vel receptas; si enim eas omninò nullas judicasset, procul dubio Hæreticos iterum ordinari jussisset.

Inde

Inde est quòd in Concilio Romano sub Melchiade an. 313. damnatus sit Donatus, eo quòd confessus fuisset se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse. Ita refert Optatus in fine Lib. 1. contra Parmenianum. *Pag. 20. nu. 14.*

Et Concilium Carthaginense III. an. 397. Can. 38. generatim prohibet *fieri rebaptizationes, reordinationes & translationes Episcoporum*. *Tom. 2. Conc. p. 1171. C.*

Concilium Toletanum VIII. an. 653. cap. 7. videtur rationem indicare cur repeti non debeat Ordinatio data ab Hæretico. *Nequaquam*, inquit, *poterit aliquando profanari quod divina jussione, simulque Apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse. Verùm sicut sanctum chrisma collatum, & altaris honor evelli nequeunt, ita quoque sanctorum decus honorum, quod his compar habetur & socium, qualibet occasione fuerit perceptum, manebit omnibus modis inconvulsum.* *Tom. 6. Conc. p. 406. B.*

Concilium denique Trid. Sess. 7. Can. 9. definit, *in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt.* *Tom. 14. Conc. p. 777. C.*

Et Sess. 23. Can. 4. sic pronuntiat: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum; aut per eam non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* *Ib. p. 864. A. B.*

Idem jam edixerat Eugenius IV. in Decreto unionis.

Morinus ad hanc primam nostram probationem respondet. Triplex Morini responsio.

I. Manifestum esse Concilium Trid. ultimo loco citatum loqui de sola Ordinatione catholica, quam nusquam iterari debere omnes agnoscunt Orthodoxi, non verò de Ordinatione facta ab Hæreticis contra Ecclesiæ Canones. Ratio ipsi est, quia Concilium loquitur de illa Ordinatione quæ sacra est, & per quam Spiritum sanctum dari affirmat: at talis est sola catholica Ordinatio. *Mor. Exercit. 5. c. 8. p. 102. col. 2.*

II. Benè multa Hæreticorum, qui cum suis gradibus recepti sunt, exempla, non esse ad rem nostram præsentem; siquidem in Ecclesia Catholica juxta ritum à Christo præscriptum ordinati illi fuerant: at certum est apud omnes, Ordinationem semel ritè collatam amitti non posse, nec consequenter iterari. Ita Novatiani, Ariani, Messaliani, Nestoriani, de quibus antea. *Ib. c. 10. p. 110. & seq.*

III. Meritò potuisse Ecclesiam ratam habere aliquando Ordinationem in hæresi datam, adeoque & Clericos hæreticos ad se redeuntes recipere sine nova Ordinatione, quia potest Canones seu leges quas contra hujusmodi Ordinationes tulerat, revocare: *non enim irritæ istæ sunt*, ait Morinus, *nisi quamdiu vigent Canones*. Eos autem Canones revocasse, aut ab illis saltem dispensasse judicanda est, quoties in hæresi ordinatos admisit sine nova consecratione. *C. 9. n. 7. p. 106.*

Refellitur hæc triplex Morini responsio. Refellitur prima Morini responsio.

Prima quidem. Tum quia Can. 9. Sess. 7. Concilium Trid. generatim & absolutè loquitur de Sacramento Ordinis, perinde ac de Sacramentis Baptismi, & Confirmationis: sicut igitur valet Sacramentum Baptismi & Confirmationis, quoad substantiam & characterem impressum, datum ab hæretico Episcopo: ita & Sacramentum Ordinationis. Tum quia falsò supponit Morinus, eam solam Ordinationem esse sacram & ratam, quæ catholica est, id est, Morini sensu, à catholico Episcopo juxta Canones Ecclesiæ data: falsò non minùs sensum hunc Canoni Tridentino affingit: hoc enim ipsum est de quo disputamus, ac pro responsione affert Morinus, quod est in controversia positum, quod vitium, ut vocant Dialectici, est petitionis

principii. Nos verò contendimus, Ordinationem semper in se sacram esse ac ratam, quæ juxta ritum à Christo præscriptum celebratur ab Episcopo sive catholico, sive heretico; tum quia est ab auctoritate sacra; tum quia confert auctoritatem sacram, quam inficere seu impedire non potest minister hæreticus vel improbus.

Nec urget Morini ratio, Synodum nempe de illa dumtaxat loqui Ordinatione, per quam datur Spiritus sanctus, qualis est sola catholica. Quis enim non videat per accidens esse, non verò ex defectu virtutis, quòd Ordinatio in hæresi data vel accepta Spiritum sanctum non conferat, propter obicem scilicet, hæreseos? Nonne etiam Ordinatio catholica privatur aliquando & quidem per accidens Spiritu sancto, quando nempe percipitur cum lethalis peccati conscientia? ita profectò. An nullam eam & irritam idcirco diceret Morinus? non puto. Malè colligit igitur, Synodum de una dumtaxat loqui catholica Ordinatione, eo quòd loquatur de illa per quam datur Spiritus sanctus. Non est hic certè Canonis laudati scopus; sed dumtaxat ut damnet errorem Novatorum, qui omnem efficaciam ac virtutem detrahebant Ordinationi, quam dicebant, ut refertur Can. 3. ejusd. Sess. 23. *non esse verum ac propriè dictum Sacramentum, sed figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum ecclesiasticarum imperitis; vel esse tantùm ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum.*

Tom. 14. Conc. p. 864. A.

Refellitur secunda responsio.

Secunda pariter Morini responsio plùs roboris non habet. Esto enim, multi ex illis Hæreticis qui sine nova Ordinatione recepti sunt, fuerint in Ecclesia catholica ordinati: at saltem recurrit vis tota nostri argumenti erga cæteros, quos non negat Morinus Ordinationem in hæresi percepisse; quales fuere v.g. illi Nestoriani de quibus loquitur S. Gregorius Magnus loco citato. Scripsit enim S. ille Pontifex annis prope 170. post Nestorium ab Ecclesia excisum; unde dubitari non potest quin illi, quos jubet recipi cum suis gradibus, ordinati fuissent à Nestorianis. Tales etiam fuere Donatistæ, testante ipsomet S. Augustino, eos extra Ecclesiam fuisse ordinatos: tales pariter Monothelitæ; talis Anatolius, referente ac probante Tharasio Actione 1. VII. Synodi. Præterea verò, sicut Hæreticus in Ecclesia catholica ordinatus, Ordinationem suam per subsequentem hæresim non amittit, ita nec jus seu potestatem illam aliis conferendi: cùm in accepto charactere, & quidem superstite, jus illud fundetur. Ita ferè argumentatur S. Augustinus adversùs Parmenianum, sicut mox referemus: ex quo ratiocinio directè concluditur, Ordinationem in hæresi datam vel acceptam, ratam esse ac validam quantùm ad substantiam & characterem impressum.

Refellitur tertia responsio.

Tertia denique responsio vana videtur ac futilis, nec satis cohærens cum principiis ipsiusmet Morini. Qua etenim ratione fieri potest, ut Ordinatio quæ ab initio nulla fuit & invalida quoad substantiam, defectu tum materiæ sufficientis ac legitimæ, tum potestatis in ministro, per solam extrinsecam Ecclesiæ approbationem subinde valida & rata subitò evadat, absque materia & forma legitima de novo adhibita? *Quod enim ab initio non valuit*, ait effatum Juris, *tractus temporis non convalescit*. Sic Baptismus, Confirmatio, quæ defectu materiæ vel formæ legitimæ statim non valuerunt, nusquam subinde valere possunt, nisi de novo vera & legitima usurpetur materia & forma. Neque propriè eo in casu iterari dicitur Sacramentum; quod enim primò collatum verè non fuit, propriè non iteratur, sed simpliciter confertur.

Porrò, juxta Morinum, Ordinatio data in hæresi, neque est à ministro legiti-

giti-

gitima potestate instructo, (major autem non est defectus, ut vulgò dicitur, quàm potestatis) neque legitimam & expeditam habet materiam, propter Canones Ecclesiæ talem prohibentes Ordinationem: Morinum enim audivimus antea dicentem, Canones illos seu conditiones quas Ecclesia statuit, *materiam Sacramenti Ordinis sic afficere, ut earum defectu materia reddatur Ordinationi inepta; atque conditiones illas tam spectare ordinantem, quàm ordinandum.* Igitur nulla erat, juxta ipsum, talis Ordinatio. Nihilominus Ecclesia Hæreticos sic ordinatos ad se reverentes recipit; servatis quos acceperant gradibus, sine nova Ordinatione: quomodo ista cohæreant, fateor, non intelligo. Res autem plana erit ac facilis, si dixerimus, Ordinationem illam valuisse quoad substantiam, & Ecclesiam restituisse dumtaxat legitimum usum seu exercitium functionum Ordinis, à quibus Hæretici illi exciderant. C.9. n.1. p.104.

Probatur 2. auctoritate S. Augustini, & momentis quibus ille impugnat Donatistas. L.2. contra Epistolam Parmeniani c.13. sic loquitur: *Quod quidam eorum* (Donatistarum) *dicere cœperunt, Baptismum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi amittit; multis modis apparet frustra & inaniter dici. Primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi, pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, & si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursum ordinati; sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra: quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est; non in Sacramentis, quæ ubicunque sunt, ipsa sunt. Et cùm expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut Præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria.* Clariora sunt hæc S. Doctoris verba, quàm ut expositione indigeant. T 6. p.44. A. B.

Frustra hìc reponit Morinus, eos de quibus loquitur S. Augustinus, in Ecclesia catholica fuisse ordinatos. Namque 1. rationes quibus pugnat S. Doctor, ex æquo militant pro validitate Ordinationis datæ aut in Ecclesia catholica, aut extra illam, sicut patebit attendenti. 2. In Epistola ad Bonifacium antea laudata apertè dicit, Donatistas etiam *extra ecclesiam ordinatos* cum suis gradibus revertentes receptos fuisse. Superfluum foret plura ex eodem S. Doctore proferre testimonia; eò enim tendunt quotquot adversus Donatistas lucubrationes emisit, ac contorsit argumenta, ut ostenderet, Sacramenta vim suam & efficaciam non mutuari à ministro, sed ab auctore Christo; adeoque valida esse quæ ab Hæreticis ritu à Christo præscripto administrantur: quæ argumenta fusiùs exposuimus in nostro de Sacramentis in genere Tractatu; unum aut alterum refricasse hìc sufficiat. *Memento,* inquit sanctus Doctor Lib.2. contra Litteras Petiliani c.47. *Sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quò illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint; sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimonium damnationis, non ad adjutorium sanitatis. Non merita personarum consideres,* ait S. Ambrosius Lib. de Mysteriis c.5. *sed officia Sacerdotum.* To.9. p. 253. A. To.2. p. 332. A.

S. Gregorius L.2. Epistola 46. aliàs 32. Indict.10. ad Joann. Episcopum Ravennatensem, occasione iterandæ cujusdam Ordinationis: *Illud autem quod dicitis,* inquit, *ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valdè ridiculum est,* To.1. p. 608.

& ab ingenii vestri consideratione extraneum: nisi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem à fraternitate vestra sic sapere: sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem iterum Ordine non debet consecrari: sed si quis forsitan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet.

Tom. 6. Conc. p. 394. Synodus Toletana VIII. an.653. cap.7. postquam ostendit *templorum Dei consecrationem, chrismatis benedictionem, sacrorum Ordinum institutionem, ad solos Episcopos pertinere*, sic pergit: *Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod divina jussione, simulque Apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse. Verùm sicut sanctum chrisma collatum, & altaris honor evelli nequeunt, ita quoque sanctorum decus honorum ..... qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus modis inconvulsum.*

Tom. 8. Conc. p. 541. Denique Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum responsione 71. rem eleganter exponit comparatione. *Multa*, ait, *bona ministrando se tantummodo lædunt & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis verò lumen in tenebris administrat; & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet.*

Solvuntur Objectiones ab exemplis Ordinationum, quas idcirco irritas & iteratas fuisse contendit Morinus, quòd factæ fuissent contra Canones Ecclesiæ.

Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 5. c.2. 3. 4. 5. 6. & 7. pluribus exemplis efficere nititur, olim irritas & iteratas fuisse Ordinationes datas ab Hæreticis, Schismaticis, simoniacis, suspensis, degradatis aut excommunicatis. Eumdem, quem ipse, ordinem sequemur, &, ut ait cap.2. n.1. *ordine retrogrado à posterioribus ad priora tempora conscendemus.*

Expenditur factum Urbani II. qui Daibertum à Nezelone Episcopo Moguntino schismatico, hæretico, excommunicato ordinatum reordinavit.

Sedere cœpit an 1087. Sedit an. 11. m. 4. d 18. *Edit. Antuerp. L. 11. p. 674.* Duo ex Urbano II. qui obiit an.1099. profert testimonia Morinus. Primum ex Epistola ipsius ad Petrum Pistoriensem Episcopum, & Rusticum Abbatem Vallis umbrosæ, quam refert Gratianus Decreti 2. p. causa 1. q.7. c.24. Alterum ex Epistola ad Lucium Præpositum S. Juventii apud Ticinum, quam refert Baronius ad an. Christi 1099.

Decret. Grat. p. 609. In priori Epistola causam & rationem reddit cur Daibertum à Nezelone seu Guezelone Sedis Moguntinæ invasore simoniaco in Diaconum ordinatum rursus ordinaverit. *Daibertum*, inquit, *à Nezelone licèt simoniaco, non simoniacè ejusdem confessione reperimus in Diaconum ordinatum: & B. Innocentii Papæ sententia constat declaratum, quòd Nezelon (quem constat ab Hæreticis ordinatum) quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, & Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait, Reiterari oportet quod malè actum est, Daibertum ab Hæreticis corpore & spiritu digressum, atque utilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem ex integro (Ecclesiæ necessitate ingruente) Diaconum constituimus. Quod non reiterationem existimari censemus, sed tantùm integram Diaconii dationem; quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* *C.2. n.3. p.83.* *Non video*, ait hìc Morinus, *qua ratione ista Pontificis actio ad solam Ordinis exequendi indulgentiam coarctari possit. Ponderanda sunt singula verba: testantur omnia de Diaconatus substantia sermonem esse, non de executione, nisi conse-*

consequenter. Etenim hoc manifestè important ista verba, *Nezelo nihil habuit, nihil dare potuit. Daibertum Diaconum ex integro constituimus, non per iterationem, sed integram Diaconii dationem seu collationem*.

In altera verò ad Lucium Epistola respondens huic quæstioni, *utrum sit utendum Ordinationibus & reliquis Sacramentis à criminosis exhibitis*, ait 1. *Quòd si schismate vel hæresi ab Ecclesia non separantur, eorumdem Ordinationes & reliqua Sacramenta sancta sint & veneranda*. Quod ubi aliquibus S. Augustini testimoniis demonstravit, sic pergit, *Cæterùm Schismaticorum & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, formam quidem* (hoc est, interprete Morino, exteriorem speciem) Sacramentorum, *non autem virtutis effectum* (id est, eodem judice, veritatem) *habere profitemur*. Ait 2. Baptismum ab Hæretico datum ratum esse; atque aliam esse considerationem Baptismi & Ordinationis, seu hoc esse discriminis inter Baptismum & Ordinationem, quòd Baptismus, cùm absolutè sit necessarius, ab Heretico datus valeat, non item Ordinatio. At discrimen illud repeti non potest ex parte effectus, siquidem Baptismus ab Hæretico datus & acceptus gratiam non confert, perinde ac Ordinatio; ergo discrimen illud totum se tenet ex parte substantiæ, quia nempe ratus est quoad substantiam Baptismus, irrita verò Ordinatio.

Ad primum testimonium, missa responsione Glossatoris, à qua non multùm recedit Estius, nempe illum Daibertum non ritu à Christo prescripto, sed violata forma ordinatum fuisse, cujus certè responsionis nullum videtur esse fundamentum. In.4.dist. 25.parag. 4. p.4.

Resp. 1. dubiæ ac incertæ fidei videri Epistolam illam quam refert Gratianus: verba etenim quæ laudat non exstant in Epistola Urbani II. ad Pistoriensem & Rusticum, qualis è codice manscripto Bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis publici juris facta est Tom. 10. Conc. edit. Laberanæ p. 443. ubi extat inter Epistolas hujus S. Pontificis n. 19. Hæc nihilominus, ut nihil dissimulemus, integra non videtur, sed mutila; siquidem ad propositam sibi à Pistoriensi & Rustico questionem, quare scilicet ordinasset in Episcopum Pisanum, eum qui Guezelone heretico ordinatus fuerat Diaconus, minimè respondet. Nec dicas verba à Gratiano relata esse finem illius Epistolæ, cujus initium legitur T. 10. Concil. ita ut ex utroque fragmento seu parte, integra Urbani II. Epistola coalescere debeat. Namq; non coheret initium cum fine: initio significat S. Pontifex maximum ortum esse scandalum, quòd in Episcopum Pisanum ordinasset eum, qui à Guezelone Sedis Moguntinæ invasore, hæretico, simoniaco, fuerat ordinatus Diaconus; in fine verò ejusdem (ut supponitur) Epistolæ, ait se Daibertum à Guezelone in Diaconum ordinatum, de novo Diaconum consecrasse: initium de Episcopo, finis de Diacono ordinato loquitur, prætermissa responsione de qua potissimùm rogabatur. Hec certè non cohærent, & nobis hanc Urbani auctoritatem maximè suspectam efficiunt.

Resp. 2. verba ista, *Nezelo nihil habuit, nihil dare potuit. Daibertum Diaconum de integro constituimus &c.* verba, inquam, illa, quidquid dicat Morinus, rectè intelligi & exponi posse, non de substantia, sed de functionibus, usu & exercitio Diaconatus: unde meritò ait Urbanus, *se non per iterationem, sed integram Diaconii dationem* seu collationem, ordinasse Daibertum; hoc est, se reintegrasse, seu restituisse Daibertum functionibus sui Ordinis à quibus suspensus erat. Communi autem ac recepto loquendi more, quoties aliqua potestas tota tendit ad certas aliquas functiones, quas tamen

obire non potest, cùm sit ligata & suspensa, irrita, nulla, inanis, & vacua dicitur; è contra, cùm tollitur suspensio, cùm ligamen solvitur, ac liber permittitur functionum illius potestatis usus, tunc potestas illa dicitur conferri, dari, de integro restitui, rata & valida fieri: non quidem in se simpliciter, sed respectivè ad functiones ad quas illa datur. Porrò potestas Ordinis tota est in utilitatem aliorum, tota ad certa munia obeunda, certasque exercendas functiones destinatur: sic Episcopus, Presbyter, Diaconus, non sibi, sed aliis est Episcopus, Presbyter, Diaconus; si ergo contingat, Episcopum, Presbyterum, Diaconum, suspendi à functionibus sui Ordinis, à gradu suo removeri, deponi, si suum aliis ministerium exhibere amplius non possunt, nec Episcopi, nec Presbyteri, nec Diaconi appellatione donantur, non quòd characterem amittant, qui indelebilis est, sed quòd priventur illius functionibus, honore, ac dignitate. Hoc sensu Scriptores ecclesiastici interdum asserunt inania, nulla & irrita esse Sacramenta, quæ carent effectu ad quem producendum sunt à Christo instituta. Sic S. Leo in Epist. 60. aliàs 40. ad Anatolium Constantinopolitanum, dixit, *in Ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, aliter nec rata esse sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet*. Et Algerus Lib. 3. de Sacramento corporis & sanguinis Domini cap. 12. ait sacrificium quod Hæretici offerunt, vocari à Sanctis, inane & falsum, *quia*, inquit, *effectum salutis, quem videtur promittere, non confert*, quæ certè loquendi ratio non arguit existimasse Scriptores illos nulla esse quoad substantiam Sacramenta, sed tantùm gratiæ spiritualis vacua.

[To. 1. p. 556. c. 2.] [Bibliot. PP. T. 21. pag. 290. C. B.]

Atque hoc sensu exponi debet quod hìc ex Urbano II. refert Gratianus. Pariter quod in Concilio Placentino, an. Christi 1095. sub Urbano II. statutum fuit, nempe ut *quidquid in sacris Ordinibus & in ecclesiasticis rebus data & promissa pecunia acquisitum simoniacè videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires habuisse & habere judicaretur*.

[Tom. 10. Conc. p. 501. E.]

Item quod in Synodo Romana an. 1099. sub eodem Urbano Can. 4. decretum est his verbis: *Qui scienter se à simoniacis consecrari, imò execrari passi sunt, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus*.

[Ib. p. 615.]

Item quod sub Gregorio VII. in Concilio Quintilinebergensi an. 1085. actum est. Ibi enim *Ordinatio Vvecilonis Moguntini invasoris .... imò omnes ordinationes & consecrationes excommunicatorum, penitus irritæ judicatæ sunt, juxta Decreta SS. Patrum, Innocentii, Leonis I. Pelagii, atque ejus successoris Gregorii I.* Vvecilo, sive Nezelo, ille ipse est, qui Daibertum, de quo hìc, Diaconum ordinaverat.

[Quedlinbourg. Abbatia prope Halberstadium in Saxonia.]

Ad secundum testimonium ex Epistola ejusdem Urbani II. ad Lucium, Resp. 1. vel ista ipsius verba citata, *Schismaticorum & Hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt ... formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur*: vel ista, inquam, verba decretoria sunt adversùs Morinum, quibus manifestè ostenditur, judice S. Pontifice Urbano II. apud Schismaticos & Hæreticos rata & valida esse Sacramenta quoad substantiam, licèt suum effectum, gratiam scilicet, non assequantur, quem tamen, recedente obice seu fictione, assequuntur, ut statim addit S. P. *nisi cùm ipsi*, inquit, *vel eorum Sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem*, quæ verba rursus confirmant loqui S. Pontificem de effectu Sacramentorum, qui nullus est apud Hæreticos, sed qui redit, ubi de-

[Ib. p. 405. B.] [Apud. Bar. T. 11. p. 676. n. 28.]

deponitur fictio. Si verò loqueretur S. P. de substantia Sacramenti, quam vellet, si Morino credimus, nullam in hęresi fuisse, an diceret Sacramentum illud denuo valere seu redire sine nova Ordinatione, ubi Hæreticus ad Ecclesiam se recipit? non profectò: Sacramentum enim quod semel fuit invalidum, defectu partis essentialis, semper invalidum remanet.

Resp. 2. S.Pontificem meritò distinguere inter Baptismum & Ordinationem, non quidem ratione substantiæ, quasi ratus foret ac validus Baptismus; irrita verò ac nulla Ordinatio; sed ratione effectus: quia Baptismus ab Hęretico datus suum consequitur effectum in eo qui hæresi baptizantis non adhæret, nec ullum aliunde gratiæ baptismali ponit obicem. Licet enim Baptismum, propter summam ejus necessitatem, à quocunque homine etiam Pagano percipere: non ita est de Ordinatione, quæ licitè ac tuta conscientia nec dari nec percipi potest ab Hæretico, Schismatico &c. Non aliam esse S. Pontificis mentem, intelliget quisquis ejus Epistolam legerit. *Alia*, inquit, *in Baptismo, & alia in reliquis Sacramentis consideratio est: quippe cùm & ordine prior & necessarior sit. Subditò enim morituro priùs baptismate, quàm dominici corporis communione vel aliis Sacramentis consulitur. Et dum fortè Catholicus non invenitur, satius est ab hæretico Baptismi Sacramentum sumere, quàm in æternum perire.* *Apud Bar. T. 11. p. 676. n. 29.*

Dices 1. S. Pontifex Urbanus II. in Epistola quam retulimus, absolutè pronuntiat Daibertum nihil à Nezelone accepisse, utpote qui nihil haberet; ergo non tantùm usum & exercitium Ordinis, sed nequidem ipsam Ordinis substantiam seu characterem accepit.

Resp. ex mox dictis & expositis, Daibertum nihil à Nezelone accepisse, quantùm ad liberas Ordinis functiones, à quibus propter labem simoniacam meritò suspensus erat, concedo: quantùm ad Ordinis substantiam nego. Accepit enim à Nezelone quod habuit: Nezelo autem validè fuerat ordinatus, & charactere insignitus, tametsi simoniacus. Quamdiu enim Ordinationis forma essentialis integra servatur, rata & valida est Ordinatio: crimen autem simoniæ formam Sacramenti non inficit, sed animam illius qui Ordinationem vel confert, vel recipit.

Instabis 1. Testatur ibidem S.P. Urbanus se Daibertum *Diaconum constituisse*, non quidem iterando, sed Diaconatum de integro conferendo. *Quod*, inquit, *non iterationem existimari censemus, sed tantùm integram Diaconii dationem. Quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* Igitur Urbanus S.P. de novo Diaconatum Daiberto conferens, manifestè supponit illum antea verè ac validè Diaconatum non percepisse.

Resp. dist. Urbanus non iteravit, sed de novo Diaconatum Daiberto contulit, eo quòd iisdem fermè exterioribus cærimoniis usus est ad restituendum ipsi liberum exercitium Ordinis, concedo: eo quòd de novo substantiam & characterem Diaconatus ipsi dederit, nego. Scilicet cùm alicui suspenso restituebatur libera functionum suarum exercendarum facultas, eædem fermè cærimoniæ ac ritus usurpabantur, qui in ipsa Ordinatione. Nicolaus II. S.P. in Epistola ad omnes Episcopos ait: *Ejusmodi simoniacos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere.* Et Fulbertus Carnotensis Episcopus Epistola 25. ad Leutericum Senonensem, loquens de aliquo Presbytero, qui ab Episcopo non suo data pecunia fuerat ordinatus, deponendum eum esse pronuntiat, & pęnitentiæ juxta sacros Canones subjiciendum; cęterùm digna peracta pęniten-

tentia suos ei restituendos gradus esse, non quidem iterata Ordinatione, quam sacri Canones, sicut & iterationem Baptismi severè prohibent, sed *benedictione aliqua , & vestium atque instrumentorum sacerdotalium restitutione* . Adumbrata igitur quodammodo erat , non vera & quoad characterem Ordinatio. Eo ferè modo quo , redeuntes ab hæresi ad Ecclesiam, per manuum impositionem,unctionem & chrismationem olim recipiebantur,ut aliàs diximus: quæ cærimonia imago quædam erat & umbra Sacramenti Confirmationis, non verum ac propriè dictum hujus nominis Sacramentum.

Instabis 2. Urbanus explicans qua ratione Daiberto *integram Diaconii dationem* contulerat, satis apertè indicat, se illam *integram* idcirco appellare, quòd nihil omnino præcessisse arbitraretur ; *quia* , inquit, *qui nihil habuit, nihil dare potuit*.

Resp. dist. ant. *integram* appellat, quantùm ad functiones & liberum acceptæ potestatis exercitium, concedo: quantùm ad substantiam & characterem Ordinationis, nego. Istum habebat Nezelo , quem consequenter aliis validè, quamquam illicitè, conferre potuit: qui autem, ut observatum est, Ordines suos à quibus suspensus est, exercere non potest, is usu quodam communi nihil habere dicitur, quia Ordo totus ad ministerium aliis præstandum tendit & ordinatur; & potestas iners, tanquam nulla censetur.

Instabis 3. Urbanus II. testatur se Innocentii & Damasi Ss. Pontificum sequi sententiam: Damasus autem loquitur de Chorepiscopis , qui , cùm Episcopi non essent, Presbyteros tamen ordinare præsumpserant , quam Ordinationem tanquam nullam & irritam jussit iterari, *quia*, inquiebat, *reiterari oportet, quòd malè actum est*.

Resp. Urbanus testatur se Damasi sententiam sequi, ex parte & in aliquibus , id est in restitutione functionum Ordinis, concedo: in iteratione Ordinationis, sicut agendum censuit erga illos qui à Chorepiscopis, non veris Episcopis, ordinati fuerant, nego. Paritas in omnibus hìc urgeri non debet, sed mens S.Pontificis commodè ac benignè pro subjecta materia, interpretanda est. Et certè Urbanus hic cum Damaso conjungit Innocentium, qui de sola, ut infrà videbitur, Ordinis executione loquitur; igitur ex utroque id sumit, quod utrique commune est: porro sententia ista, *iterandum quod nullum fuit*, universim sumpta , sive de substantia & charactere , sive de executione tantùm Ordinis, utrique communis quidem est, sed per legitimam, ut ajut, accommodationem distribuenda, non æqualiter applicanda.

Dices 2. In Synodo Romana an.1099. eodem sedente R. Pontifice Urbano Can.4. decretum emissum est his verbis , *Qui scienter se à simoniacis consecrari, imò & execrari passi sunt , eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus*. Idem planè statuitur à Concilio Placentino anno Christi 1095. sub eodem Urbano.

Tom.10. Conc. p. 615. Ib.p.501.

Resp. eamdem recurrere solutionem, ejusmodi scilicet Ordinationes nullas esse seu irritas, quantùm ad functiones seu executione Ordinis , &, ut loquitur Concilium Placentinum, *nullas vires habere*, concedo : quantùm ad substantiam & characterem Ordinationis, nego.

Dices 3. Hildebertus Cenomanensis Episcopus Epistola 14. consultus de aliquo, qui cùm simoniacè Diaconatum suscepisset, postea ad Presbyteratum promotus fuerat: respondet, eum esse deponendum, quòd sacerdotio perperam initiatus fuisset , & fortè ne ipsum *quidem Diaconatum suscepisset*.

Tom.21. Bibl.PP. Lugd. p. 123.

Resp.

Resp. Dubium & ancipitem eam in rem fuisse Hildebertum, qui non ignorabat eam suo tempore in controversia positam esse, nec adhuc satis eliquatam & definitam.

Expenditur factum Leonis IX. Summi Pontificis in causa Ordinationum Simoniacorum.

Simonia ex S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. *est studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*

Simoniam scelus esse, ac horrendum crimen ab infinitis propemodum Conciliorum Statutis & Canonibus proscriptum, superfluum videtur hic pluribus demonstrare, quod omnes agnoscunt.

Undecimo & duodecimo sæculo labes illa ac pestis simoniaca, ita omnium ferè Clericorum animos invaserat, ut cùm Clemens II. & Leo IX. eos reprimere, ac vigore Canonum à suis functionibus suspendere tentarunt, statim commota ingenti Clericorum seditione à proposito deterriti sunt, ne forte vix aliqui superessent, qui populis sacra possent dispensare. Quapropter inviti eos tolerare compulsi sunt, ac imposita dumtaxat quadraginta dierum pœnitentia, suorum Ordinum functiones ipsis pro necessitate temporis permiserunt. Quantùm verò ad nostrum præsens institutum attinet, simonia exerceri potest vel ab ordinante, vel ab eo qui ordinatur, vel ab utroque simul. His præmissis,

Leo IX. Sedere cœpit ann. 1049. Ejus ætate simoniaca labes Ecclesiam multùm infestavit, cujus occasione excitata fuit gravis ac molesta controversia circa Ordinationes factas à simoniacis, an nempe ratæ forent ac validæ, an irritæ & nullæ; adeoque an iterandæ vel non. *De iis qui sunt à simoniacis consecrati* (inquit Petrus Damianus Cardinalis Ostiensis, qui his florebat temporibus, in præfatione Opusculi 6. cui nomen fecit *Gratissimus.*) *quanta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit disceptatio, quàmque perplexa, atque confusa dubietas, & in iis partibus quotidie ventiletur, sanctitatem vestram latuisse non arbitror: præsertim cùm crescente fluctuationis ambiguo, eatenus sit processum, ut nonnullos constet Episcopos ab illis ordinatos Clericos denuò consecrasse.* Addit ibid. Leonem IX. S. P. *in postrema Synodo omnes Episcopos ex divina obtestatione rogasse, quatenus Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quidquid super hoc scrupuloso negotio decernendum esset, nutantibus revelaret.* Porrò, inquit Morinus c. 2. hæc animorum anxietas & dubitatio, hæc quæstionis obscuritas versari dumtaxat poterat circa substantiam Ordinationis à simoniaco datæ vel acceptæ, an rata scilicet foret vel irrita, non verò circa executionem, functionem & exercitium Ordinis; nullius enim Christiani animum subiit tam absurda cogitatio, nedum dubitatio, legitimam esse functionem Ordinis à simoniaco dati: omnes fatebantur, tum dantem, tum percipientem ejusmodi Ordinationem, peccare graviter, & ab Ordinis functionibus, usu & exercitio suspensum esse; de una igitur Ordinis substantia movebatur quæstio.

Obiit an. 1054. Obiit an. 1072. P. 422. Ib. p. 423. col. 1. B. N. 11. p. 82.

Ipse verò S. P. Leo IX. eodem teste Petro Damiano, irritas habuit Ordinationes simoniacorum, quas idcirco iteravit. *Id etiam nos non præterit,* inquit Petrus Damianus Opusculo 5. circa medium, *quòd nostræ memoriæ Leo IX. Papa plerosque simoniacos, & malè promotos, tanquam noviter ordinavit.* Et cap. 35. citati Opusculi 6. testatur eumdem Leonem *synodalis vigore* P. 419. col. 1. A. P. 445. col. 1. A.

aucto-

auctoritatis omnes simoniacorum Ordinationes cassasse, sed cùm incommoda hinc emergentia conspexisset, Constitutionem suam ad Clementis II. decretum, quod illi suggestum est, attemperasse, atque non omnes Ordinationes à simoniacis factas irritasse; sed eas tantùm quæ simoniacè, hoc est pacta & data pecunia factæ fuerant; alios verò, qui non simoniacè fuerant à simoniaco ordinati, post pœnitentiam quadraginta dierum Ordinis sui functionibus & exercitio restituisse, juxtà dictum Clementis II. decretum. Postea verò Nicolaus II. stauit, ut qui hactenus fuissent in cujuslibet ecclesiastici gradus dignitate promoti à simoniacis, *in percepti honoris ministerio permanerent*; in posterum verò, ab eo in perpetuum suspenderentur ac privarentur.

Clemens II. sedere cœpit an. 1046. sedit menses 9.

Nicolaus II. sedere cœpit an. 1059. sedit an. 2. mens. 6.

Resp. revera undecimo & duodecimo sæculo dubitasse nonnullos, an rata & valida foret Ordinatio data à simoniaco, ita ut aliqui etiam extiterint Episcopi, qui Clericos à simoniacis ordinatos, denuò consecraverint, sicut refert Petrus Damianus in præfatione citati Opusculi 6. At in ea fuisse sententia Leonem IX. aut saltem in ea firmum & constantem perseverasse, non certò colligitur ex iis quæ hìc commemorat Morinus.

Ib. p. 619. col. 1. A. P. 423. col. 1. A. Cap. 2. Exer. 5.

Dici etenim non immeritò potest, Leonem dubium & ancipitem non fuisse, aut circa substantiam Ordinationis datæ à simoniacis, aut circa illicitam & illegitimam functionem suscepti Ordinis; illam enim ratam & validam hanc verò illicitam & illegitimam agnovit: sed dubius fuit dumtaxat circa pœnam imponendam iis qui à simoniacis fuissent ordinati, an nempe suspensi, vel suspendendi in perpetuum forent à functionibus sui Ordinis absque ulla spe restitutionis. Sic esse suspendendos censuerat statim Leo S.P. cùm refertur *cassasse omnes ejusmodi simoniacorum Ordinationes*. Sic pariter Decretum ejus interpretati fuerant Sacerdotes Romani, qui, narrante Damiano citato cap. 35. Opusculi 6. *magnæ seditionis tumultum excitarunt; ita ut*, pergit Damianus, *non solùm ab ipsis, sed à plerisque diceretur Episcopis, omnes benè Basilicas sacerdotalibus officiis destitutas, & præcipuè Missarum solemnia ad subversionem Christianæ Religionis, & desperationem omnium circumquaque Fidelium, funditus omittenda*, quæ certè omnia, ut per se clarum est, spectant non substantiam Ordinis, sed functiones & officia ipsius, à quibus in perpetuum removendos esse ordinatos à simoniacis statuerat S. P. Leo IX. Sed temperato subinde consilio, ac re maturiùs expensa, antecessoris sui Clementis II. mitiorem amplexus est sententiam, nempe, *ut* (sunt verba Clementis) *quicunque à simoniaco consecratus esset, in ipso Ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum cui se obtulerat promovendum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis officio ministraret. Quam sententiam*, ait Damianus ibidem, *protinus venerabilis Leo ratam percensuit*. Quis verò non intelligat, eo Decreto de una dumtaxat Ordinis functione & executione fieri mentionem? Postea tamen Nicolaus II. ut jam diximus, statuit ut *in posterum quicunque pateretur se à simoniaco provehi, nihil penitus ex ea deberet promotione lucrari, & sic ministrandi jura deponeret, tanquam si hæc nullatenus percepisset*. Vides rursus de solo ministrandi jure, seu exercitio & usu Ordinis fuisse quæstionem, quo ita privantur & exuuntur qui sunt à simoniacis ordinati, ac si *nullatenus* hæc percepissent. Ita refert Petrus Damianus in Epistola ad Cives Florentinos. Cùm igitur idem narrat, Leonem IX. plerosque *simoniacos & malè promotos, tanquam noviter ordinasse*, intelligi non debet de substantia Ordinis de novo collata, sed de reddita & restituta libera functione Ordinis, quæ, ut loqui-

P. 415. col. 1. B.

Ibid.

Opusc. 30. p. 618.

tur

tur Damianus, tanquam nova videtur Ordinatio. Sensum hunc conceptis verbis exponit Concilium Constantiense Sess.43. cujus hæc verba sunt: *Multæ contra simoniacam pravitatem ab olim factæ sunt constitutiones quibus morbus ille non potuit competenter extirpari. Nos volentes de cetero, ut possumus attentiùs providere, sacro approbante Concilio declaramus, quòd ordinati simoniacè ab executione suorum Ordinum sint eo ipso suspensi.* Executio igitur, seu usus & exercitium officii suspenditur, sed Ordinatio ipsa non declaratur irrita & nulla. Tom. 12. Conc. p. 257.

Expenditur factum Formosi Papæ, cujus Ordinationes publicè iteratæ sunt à Stephano VII. S. Pontifice.

Formosus creatus est S. Pontifex an.890. *Is*, inquit Sigebertus in Chronico ad an.90. *cùm aliquando in sinistram suspicionem venisset Joannis VIII. Papæ, timore ejus fugiens, Episcopatum Portuensem reliquit; & quia revocatus à Papa redire noluit, anathematizatus est; & tandem ad satisfaciendum Papæ, in Gallias veniens usque ad laicalem habitum degradatus est, jurans se non amplius Romam intraturum, nec Episcopatum suæ Urbis repetiturum, confirmans etiam propriæ manus scripto, se in laicali communione perseveraturum. Postea à Marino Joannis successore in Episcopatu contra datum sacramentum restitutus, non solùm Romam intravit, sed etiam R. Ecclesiæ Papatum suscepit.* Hæc Sigebertus.

Stephanus VII. vel VI. S. P. qui sedere cæpit ann. 896. prædecessorem suum Formosum sepultum exhumari jussit, ac tanquam viventem in judicium vocari, & condemnatum, tribusque digitis, quibus populo benedicere solebat, abscissis, in Tiberim projici, & Ordinationes ab eo factas irritas declaravit & de novo iteravit. Rem sic narrat Luitprandus Auctor ejusdem temporis Ticinensis Diaconus Lib.1. Historiæ suæ cap. 8. *Formoso*, inquit, *defuncto Sergius*, (lapsus hìc memoria Historicus, dicere debuisset, Stephanus) *Papa constituitur: quo constituto, ut impius, doctrinarum sanctarum inscius, Formosum sepulchro extrahere, atque in sedem Romani Pontificatus, sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit: cui & ait: Cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, (quibus bendicere moris est) in Tiberim jactare præcepit; cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.*

Idem narrat Sigebertus: additque maximam tunc exortam fuisse contentionem circa Ordinationes illas à Formoso factas; aliis eas ratas esse contendentibus, aliis verò eas irritas & nullas, adeoque iterandas, sicut reipsa eas iterandas judicavit in Synodo Romana an. 897. Stephanus VII. Idem testatur Auctor coætaneus Auxilius, qui ex professo duos ea de re Tractatus scripsit pro defensione Formosi, & Ordinationum quas fecerat.

Causæ autem seu prætextus, quibus Stephanus cum suis factum tam immane obvelare conabatur, isti erant. 1. quòd contra Canones à Portuensi, ad Romanam Sedem translatus fuisset. 2. quòd datum juramentum violasset. 3. quòd depositus fuisset ab Episcopatu per Joannem VIII. 4. quòd renitente aliqua populi & Cleri parte, non sine tumultu Romanam Sedem occupasset, expulso Sergio quem altera Romanorum pars elegerat. 5. quòd Romam advocasset Arnulphum Germaniæ Regem, qui plures ex iis, qui Formoso adversabantur, decollari jussit, ajunt Luitprandus & Sigebertus.

Inde

Pag. 85. Inde concludit Morinus c. 3. Exercit. 5. nono sæculo disputatum acriter de validitate Ordinationis factæ ab Episcopis contra Canones promotis ac depositis; ac multis, imprimis Stephano VII. ac Romanæ Synodo, & postea Sergio III. Romano pariter Pontifici, irritas & nullas visas fuisse Ordinationes factas à Formoso, & idcirco iteratas. De substantia verò Ordinationis, non de usu, seu executione ipsius, agitatam tunc temporis quæstionem fuisse, videtur manifestum.

Resp. Ex tam barbaro & immani facto nihil posse colligi adversùs doctrinam Ecclesiæ de non iterandis Ordinibus; sed hoc unum, crudelissimum fuisse Stephanum VII. atque ex ira, odio, invidia, dominandi &

Tom. 10. p. 622. B. ulciscendi libidine egisse. *Furore percitus homo*, inquit Baronius ad an. Christi 897. *non quod jure liceret, sed quod exæstuans rabies suasit, implevit. Non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto.* Unde pergit Annalium

Ib. p. 625. n. 10. parens paulò post, *non auderem eum inter Pontifices Romanos numerare, nisi id factum à majoribus invenissem, utpote tanto indignum nomine; qui primus & solus nefando & inaudito sacrilegio Petri sedem adeo deturpavit.* Intrusum fuisse Stephanum in Romanam Sedem, non dissimulat ibid. Baronius, quod etiam affirmat Sigebertus ad an. 907.

Præterea exceptis Stephano, & iis qui ipsi adhærebant, omnes alii ratas & validas habuerunt Ordinationes à Formoso factas, quamvis iis obnoxius fuisset criminibus, de quibus falsò accusabatur.

Sigebertus ad an. 900. ait saniori consilio multos judicasse, consecrationes ejus ratas esse debere, qualiscumque tandem fuerit Formosus; sed maximè cùm à Marino Papa absolutus fuerit à perjurio.

1. Cor. 3. v. 7. Luitprandus c. 8. lib. 1. improbat factum Stephani iterum ordinantis ordinatos à Formoso, & rationem reddit: *Tum quia & hi qui à Juda Domini nostri proditore ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperunt, ea post proditionem propriique corporis suspensionem minimè sunt privati.* Tum quia benedictio quę à ministro Christi impenditur, vim suam habet non à ministro, sed à Christo: *Neque enim qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

Auxilius ex professo scripsit pro defensione Ordinationum Formosi, etiam in hypothesi (quamquam falsa) eum non fuisse ritè promotum: testatur se velle in eo remanere sacro Ordine, quo à Formoso fuerat consecratus. Narrat etiam Leonem Nolanæ civitatis Episcopum, cùm à multis sollicitaretur, ut se denuò consecrari permitteret, quòd ab eodem Formoso fuisset consecratus, consuluisse Episcopos Galliæ, cæterosque, à quibus responsum accepit, ut ab actione tam temeraria abstineret. Major itaque pars tunc temporis ratas & validas admittebat Ordinationes factas ab Episcopis etiam depositis aut excommunicatis.

Et verò Joannes Papa IX. in Concil. Ravennatensi & Romano Episcoporum 74. an. 904. damnavit & abrogavit quidquid à Stephano VII. in Synodo Romana contra Formosum ejusque Ordinationes attentatum fuerat. Acta hujus Synodi flammis ultricibus tradi jussit, Ordinationes Formosi probavit & confirmavit, Episcopis, Presbyteris, aliisque Clericis, qui Stephano adhęserant ac veniam postulabant, indulsit; alios verò, ut Sergium, Benedictum, Marinum, in perpetuum à suis gradibus suspendit. Lege apud Baro-

To. 10. p. 641. n. 4. nium ad an. Christi 904. Acta hujus utriusque Synodi sub Joanne IX.

Nec dicas à Sergio S. Pontifice an. 908. rescissa fuisse quæ à Joanne IX. è contra confirmata ac revocata quæ à Stephano VII. in Formosum facta

fue-

fuerant. *Ab omnibus enim*, ait Baronius ad an.908. *Sergius ille non legitimus Pontifex, sed conclamatur invasor: quem quidem constat*, ait ibidem, *potest malum ingressum deterioremque progressum, pessimum demum esse consecutum egressum*. Et certè ille ipse est Sergius qui à Joanne IX. nominatim damnatus fuit & à suo gradu in perpetuum dejectus, intentata pœna anathematis adversùs eos qui ipsum restituere tentarent. *Ib.p.649. E.* *Ibid. D.* *Ib.p.642. n.11.*

Expenditur factum Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis, cujus Ordinationes post depositionem factas, ab Hincmaro irritæ factæ sunt. *Morin.c.4.*

Ebbo Rhemensis Archiepiscopus in Conventu ad Theodonis Villam anno 835. sub Ludovico Imperatore & Francorum Rege, adversùs quem conspiraverat, Sede sua privatus ac depositus fuit. Ultro suæ depositioni, premente malè facti conscientia, consensit, quam confirmavit etiam Sergius S.P. ita ut in communione laica permanere teneretur. Nihilominus opera Lotharii Imperatoris postea Sedi suæ restitutus, complures ordinavit Clericos. Rursus ab Episopis Gallicanis auxilio Caroli Regis ab eadem Sede dejectus, & adhuc vivens successorem habuit Hincmarum S. Dionysii Monachum. Hic verò ab Ebbone ordinatos, omni gradu dejectos recipere noluit; causatus eos ab Episcopo deposito, nec legitimè ac canonicè restituto, nihil accepisse nisi damnationem. Res ad Concilium Suessionense II. sub Leone IV. S.P. ann.853. deducta est ac judicata. *Thionville dans le Duchè de Luxembourg.* *Tom. 7. Conc. p. 1696.*

Canone 1. Hincmarus dicitur ostendisse, *non paucos à decessore suo Ebbone, postquam canonicè depositus fuisset, nec canonicè restitutus, irrationabiliter ordinatos*. *Tom. 8. Conc. p. 80. D.*

Actione 4. Immo Episcopus Noviomagensis *porrexit rotulam, auctoritatem canonicam & Apostolicam continentem, quòd qui ab ipso* (Ebbone) *voluerant & visi fuerant ordinari in gradus ecclesiasticos, ab eodem quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit: damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem eis dedit*. *Ibid. p. 88. D.*

Actione 5. *Canonica & Apostolica auctoritate decretum est à sacratissima Synodo, ut quidquid in Ordinationibus ecclesiasticis idem Ebbo post damnationem suam egerat, secundùm Traditionem Apostolicæ Sedis ... præter sacrum Baptisma quod in nomine sanctissimæ Trinitatis perfectum est, irritum & vacuum habeatur*. *Ibid. E.*

Actione 6. Halduinus Abbas Monasterii Altivillaris, qui Diaconus ab Ebbone, & postea Presbyter à Lupo Catalaunensi Episcopo fuerat ordinatus, dicitur *per saltum* ad Presbyteratum promotus, eo quòd Diaconatum ab Ebbone illegitimè percepisset, aut potius nullatenus percepisset. *Ib. p.89. & seq.*

Denique in fine Actionis 8.cùm ageretur de Clericis qui Episcopos falsò accusaverant, puniendis, dicitur eos *communione*, si ita Synodo videatur, privandos, *quoniam gradus ecclesiasticos habere non possunt*. Supponit igitur Concilium Suessionense, ejusmodi Clericos omnino à suis gradibus excidisse. *Ib. p.90. E.*

Porro, inquit hic Morinus c.4. non agebatur eo in Concilio de executione dumtaxat seu functione Ordinum restituenda vel deneganda Clericis ab Ebbone canonicè deposito, nec canonicè restituto ordinatis, sed de ipsa Ordinis substantia, an rata foret & valida, an non. *Ut quid enim*, ait Morinus, *tam acres controversiæ, & in re ad definiendum & sedandum adeo facili, cui neutra pars repugnabat, tanti tumultus Italiam, Galliam & Germaniam tot annis commovissent?* Nullus etenim dubitat quin ab Episcopo *Morin. p. 89. col.1. B.*

legi-

legitimè deposito ordinatus, ipso facto suspensus foret ab omni Ordinis sui functione & exercitio.

Resp. 1. Quæcumque in eo Suessionensi Concilio gesta sunt contra Ebbonem & Clericos abipso ordinatos, improbata ac rescissa fuisse à Nicolao I. S. P. qui jussit, causam hanc iterum retractari & expendi in altero Concilio Suessionensi, quod tertium est, ann. 866. Convocati re vera Episcopi ad judicium revertuntur: illos Clericos ab Ebbone ordinatos, ac suspensos, dignos pronuntiant qui suis gradibus restituantur, *quos*, inquiunt Patres in Epistola synodica ad Nicolaum I. *non procacia obnoxios fecit, sed obedientia inculpabiliter in adeptionem sacrorum graduum induxit*. Nihilominus definitivum judicium ac plenam illorum Clericorum restitutionem reservant S. Pontifici Nicolao. S. Pontifex datis tum ad Episcopos Concilii hujus Suessionensis III. tum ad Hincmarum Epistolis, quæ extant Tomo 8. Concil. edit. Labb. p. 843. & 851. quæcumque in II. Suessionensi Concilio gesta fuerant severo examine discutit, multa vitia irrepsisse ostendit, Clericos illos injustè depositos, imò & Ebbonem ipsum immeritò dejectum affirmat, Hincmari calliditatem, astutiam ac fraudes in truncandis Benedicti Epistolis aperit, reprimitque stylo duriori. Tandem rescissa priori Suessionensis Synodi sententia, quam nec à Leone, nec à Benedicto suis prædecessoribus approbatam fuisse asseverat, Clericos illos suis gradibus & honoribus restituendos esse pronuntiat, ac de facto restituit, concessis nihilominus Hincmaro anni unius induciis, ut si quid haberet Clericis hujusmodi objiciendum, liberè objiceret; jubens etiam ut iterum convenirent Episcopi, atque recognita & collecta totius hujusce causæ Acta & Instrumenta dirigerent ad se. Episcopi convenerunt an. 867. apud Trecas, atque prolixam scripsere Epistolam ad Nicolaum quæ extat Tom. eodem 8. Conc. pag. 870. & seq. in qua totam historiæ Ebbonis seriem accuratè exponunt. Epistola hæc Nicolao destinata, reddita est ejus successori Hadriano II. qui data ad Synodum Tricassinam Epistola, rata habuit & confirmavit quæcumque ea in causa gesserat Nicolaus I. atque diligentiam Episcoporum in illis Actis colligendis laudat, palliumque concedit Vulfado, de quo potissimùm agebatur.

Tom. 8. Conc. p. 834. A.

Tom. 8. Conc. p. 670.

Ibid. p. 899.

Ex his intelligi facilè potest, in hac discordia duplicem distingui posse quæstionem; unam facti, alteram juris. Facti, & quidem præcipua, quæstio fuit, an Ebbo canonicè depositus, nec canonicè restitutus fuisset. Affirmabat Hincmarus cum suis, negabant alii cum Nicolao: atque hinc diversa de Clericis ab Ebbone ordinatis judicia, diversa circa ipsos agendi ratio. Hincmarus malè ordinatos & à suis gradibus ipso facto suspensos ac dejectos esse contendebat, Nicolaus ècontra. Hincque juris quæstio, & quidem bipartita. Prima, an Ordinatio facta ab Episcopo canonicè deposito, nec canonicè restituto, rata sit & valida quantùm ad substantiam. Secunda, an sit illegitima & illicita, omnique functione, usu & exercitio ipso facto privata. Seposita jam quæstione facti, de qua una fuit disputatio, contendimus quæstionem juris, si quæ fuit, non spectasse substantiam Ordinis ab Ebbone deposito collati, sed liberam dumtaxat illius executionem & functionem, quam unam sibi immeritò ereptam ac denegatam conquerebantur Clerici ab Ebbone ordinati.

Resp. Itaque 2. In hoc toto Ebbonis & Clericorum ab ipso ordinatorum negotio, actum dumtaxat fuisse de functione, executione & exercitio, non autem de substantia ipsa dati & suscepti Ordinis. Patet

I. Ex

I. Ex ipsismet Clericis qui Actione 1. Concilii II. Suessionensis sic loquuntur: *Misericordiam*, inquiunt, *petimus nobis à vestra paternitate impendi de ministratione Ordinum Ecclesiasticorum, ad quos à Domino Ebbone quondam provecti, à vestra autem auctoritate suspensi sumus*. Audis de ministratione Ordinum loquentes Clericos. Ib. 85. A

Et Actione 2. De iisdem dicitur: *ministrare non debuerunt, nec potuerunt*.

Actione 4. Postquam Immo Episcopus Noviomagensis dixit, Ebbonem nihil nisi damnationem Clericis illis dare potuisse, cùm eos ordinavit, manifestè significat se loqui non de substantia, sed de honore Ordinis, & quidem ad mentem Innocentii primi S. P. *Qui particeps factus est damnato*, inquit, *quomodo debeat honorem accipere, ut Innocentius Papa dicit, inveniri non potest*. Ibid. p. 87. B. Ibid. p. 88. E.

II. Hincmarus ipse scribens ad Episcopos Concilii Suessionensis III. fatetur posse Ecclesiam ex indulgentia Clericos illos cum suis Ordinibus recipere, sicut recepit olim Novatianos & Meletianos, nulla prorsus injecta mentione Ordinationis iterum conferendæ. Persuasum igitur habebat, validam & ratam fuisse quoad substantiam Ordinationem factam ab Ebbone, quamquam canonicè deposito nec canonicè restituto; aliàs debuisset instare ut iterum illi Clerici ordinarentur. At certum est nusquam Hincmarum de iteranda Ordinatione, sed dumtaxat de restituendis vel denegandis suscepti Ordinis functionibus & officiis sollicitum fuisse. Ibid. p. 826. B.

III. Nicolaus I. S. P. Etiam testatur de sola functione & executione Ordinis fuisse quæstionem. In Epistola quam scripsit ad Hincmarum, *Clerici*, inquit, (ab Ebbone ordinati) *qui evidentissimè irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur ...... ante omnia pristinis gradibus & officiis reformati consistant*. Ibid. p. 858. C. D.

Et Epistola ad VVlfadum gratulatur ipsi suam in gradu & honore restitutionem. Ib. p. 861.

Denique in Epist. ad Episcopos Concilii Suessionensis III. ait quòd etsi Ebbo is fuisset, qualis ab Hincmaro dicebatur, irritanda tamen non fuisset Ordinatio ab ipso facta. *Verumtamen*, inquit, *qualiscumque fuerit, vel quæcumque pertulerit Ebbo, à se ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum*. Quod confirmat ibidem exemplo Maximi, quem S. Leo ab Episcopatu repelli noluit; & responso Anastasii S. P. qui rescribens ad Anastasium Imperatorem, ait, *quòd mali, bona ministrando, sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ Sacramenta commaculent*. Hæc certè manifestè demonstrant, existimasse Nicolaum, etiam in hypothesi quòd Ebbo canonicè fuisset depositus, nec canonicè restitutus, Ordinationes ab ipso factas ratas & validas esse quoad substantiam; imò & Clericos ab ipso ordinatos licitè suorum Ordinum functiones exercere potuisse affirmat, cùm nihil illi peccassent, ac existimassent Ebbonem canonicè per Judicium Episcoporum fuisse restitutum, sicut revera illum restitutum fuisse Clerici probabant, ac persuasum habebat Nicolaus. Ibid. p. 850. E. Ibid.

His expositis facile est dissolvere quod ex Concil. II. Suessionensi oppositum initio fuit. Cùm enim quidquid ab Ebbone gestum est, præter sanctum Baptisma, declaratur vacuum & irritum, intelligendum est, juxta sensum à nobis suprà expositum, nempe quòd Ordinatio etiam vacua & irrita dicitur, quando ordinatus & honore suo ac functionibus Ordinis, & gradu suo dejectus censetur.

Similiter dicitur *per saltum* promotus ad Presbyteratum Halduinus, qui ab Ebbo-

Ebbone fuerat Diaconus ordinatus; quia licèt characterem Diaconi accepisset, non tamen honorem & gradum; unde eodem modo cum illo agitur, quantùm ad executionem ministerii, ac si per saltum promotus fuisset.

Denique, cùm illi Clerici, de quibus agitur in fine Actionis 8. jam suspensi forent à suis gradibus, nihil mirum est, si in penam calumniæ, ut dicebatur, Episcopis per ipsos illatæ, non amplius suspenduntur, sed de illis communione privandis deliberatur.

Morin. c. 5. p. 91.

Expenditur factum Constantini Papæ, cujus Ordinationes irritæ factæ sunt, quòd contra Ecclesiæ Canones ex Laico statim Pontifex creatus esset.

Paulo I. è vivis sublato an. 767. Constantinus adhuc Laicus, fratrum, qui Romæ præpotentes erant, ambitu & auctoritate Sedem Romanam invasit; ac unico fermè momento, tanquam in scena, ex Laico prodiit Pontifex. Paulò post è Sede pulsus, damnatus, atque è Monasterio, quo inclusus fuerat, per vim extractus, effossis oculis semianimis in platea relinquitur: quo verò tempore sedit, (an. scilicet uno & mense uno) consecravit Episcopos octo, Presbyteros octo, & Diaconos quatuor. Illas verò Ordinationes, utpote contra Canones factas, ab Episcopo scilicet, non servatis interstitiis, promoto, nullas & irritas, adeoque iterandas judicavit Stephanus IV. S.P. in Concil. Romano an. 769. narrante & hujus Concilii Acta referente Anastasio Bibliothecario. *De Episcopis verò*, inquit, *Presbyteris & Diaconibus, quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem Concilio promulgatum est: ut Episcopi illi, si aliquis eorum priùs Presbyteri aut Diacones fuerint, in pristinum honoris sui gradum reverterentur; & si placabiles fuissent coram populo civitatis suæ, denuò facto decreto electionis more solito, cum Clero & plebe ad Apostolicam venissent Sedem, & ab eodem sanctissimo Stephano Papa benedictionis suscepissent consecrationem: Presbyteri verò illi & Diaconi ab eodem Constantino consecrati, simili modo, in eo quo priùs existebant habitu reverterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles extitissent, antefatus beatiss. Pontifex Presbyteros eos aut Diaconos consecrasset, statuentes ut hi qui ex eis consecrandi essent, nequaquam ad fortiorem honorem ascenderent.* Et postea in eodem Concilio statutum est, ut omnia quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis ac divino cultu egit, iterari debuissent, præter sacrum Baptisma.

Baron. ad ann. 768. t. 9. pag. 195. n. 2.

Tom. 6. Conc. p. 1724. A.

Ibid. p. 1725. B.

Ibid. p. 1724. C. *De Laicis verò qui ab eodem Constantino Presbyteri aut Diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, ut in religioso habitu cunctis diebus eorum vitæ, sive in propriis domibus, vel ubi fuissent, permanere deberent.*

Dici hic non potest, de solo exercitio & usu, non autem de substantia ipsa Ordinis sermonem esse. 1. quia jussit Concilium ordinatos à Constantino in eo ipso debere gradu remanere, in quo erant cùm ordinati ab ipso fuerunt. 2. jussit ut si eorum aliqui ad Clerum vocarentur, rursus à Stephano *benedictionis consecrationem* acciperent, quam re ipsa nonnulli acceperunt, teste eodem Anastasio; alii verò, qui à plebe & Clero non postulabantur, per totam vitam ab Ordine dejecti, nequaquam sunt consecrati. 3. Auxilius non diffitetur cap. 4. in hocce Constantini facto de substantia Ordinationis, ejusque vera iteratione quæstionem fuisse: hoc enim ipsum exemplum cùm objicerent, eoque se defenderent, qui Formosi depositionem & Ordinationum ab eo factarum iterationem tuebantur, factum non negat Auxilius, sed improbat. *Numquam*, inquit, *à malis exemplum est sumen-*

sumendum: ex his enim quæ in voluminibus leguntur, ea solummodo imitanda vel facienda sunt, quæ bona esse probantur, mala autem penitus execranda sunt, & omnino cavenda. Deinde damnat quæ Stephanus cum suo Romano Concilio egit contra Ordinationes à Constantino factas, *quas*, inquit, *non rectitudinis intuitu, sed invidiæ zelo contra sanctorum Patrum sanctiones in pristinos deposuerunt gradus.*

Dici pariter non potest, Synodum hanc Romanam nullius esse auctoritatis, ejusque Episcopos peccasse tum ex ignorantia, cùm iterari voluerunt Ordinationes Constantini, tum ex commotiori iracundia, cùm ipsum Constantinum in Synodo præsentem alapis cædi jusserunt, quamquam cum fletu ac lacrymis in terram prostratus culpam fateretur, ac veniam postularet.

Namque 1. nusquam legitur hæc Synodus Stephani reprobata, imò ab ejus successore Hadriano I. confirmata. 2. inter illos Episcopos ex Gallia, Tuscia atque Campania convocatos, duodecim erant Gallicani omnium doctissimi, inquit Anastasius, à Carolo Rege missi, quos certè ignorantiæ accusari non decet. 3. ex zelo disciplinæ, non iracundia, Episcopi in Constantinum exarserunt, quòd nempè vellet postera die Ordinationem suam aliquibus exemplis defendere, quam tamen pridie damnaverat supplex misericordiam efflagitans, *Ita planè*, inquit Baronius ad an. Christi 769. *tanta insolens fuit adhibenda severitas, ne ad tantùm patrandum scelus quis audax rursus auderet irrumpere, sicque nullus penitus pateret aditus audacissimæ temeritati.*

Bar. t. 9. ad ann. 769. pag. 299.

Ib. n. 4.

Resp. itaque, Ordinationes à Constantino factas non fuisse judicatas à Concilio Romano irritas & nullas quoad substantiam & characterem, nec consequenter verè iteratas, sed tantum quoad gradus honorem, usum, exercitium, functiones. Ratio videtur ex ipsomet Concilio erui, à quo ratum habitum est sacrum chrisma, seu Sacramentum Confirmationis ab eodem Constantino datum, ad quod tamen, non minùs quàm ad Ordinationem validè conferendam, requiritur vera episcopalis consecratio & auctoritas. Idcircò verò ratum habet Concilium Sacramentum Confirmationis, Ordinationes verò Constantini rejicit, quòd istæ sint ad aliquas functiones destinatæ, quas obire non possunt, qui illegitimè & contra Canones sunt promoti; unde necesse est eos suis gradibus ecclesiastico judicio restitui. Restitutionem porrò hanc Concilium Romanum appellat *benedictionis consecrationem*, non quidem verè & propriè ordinatoriam, sed cærimonialem aut reconciliatricem. Ita rem explicat Baronius ad an. 769. post relata Concilii verba. *Quod ad Episcopos spectat*, inquit, *ne eos existimes iterum consecratos, sed accepisse dumtaxat, more majorum, benedictionis mysterium, quod auctor* (Anastasius) *nominat benedictionis Sacramentum, ritus illos solemnes adhiberi solitos in reconciliatione schismatici vel hæretici.* Ritus illos expressos habes disertissimè in IV. Concilio Toletano an. 633. Can. 28. *Episcopus*, inquit, *aut Diaconus, si a gradu suo injustè dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi, orarium, annulum, & baculum; si Presbyter, orarium & planetam; si Diaconus, orarium & albam: si Subdiaconus, patenam & calicem: sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ cùm ordinarentur, perceperunt.*

Tom. 9. 300. C.

Tom. 5. Concil. p. 1714.

Cùm igitur aliquis à suis gradibus suspensus, iis restituitur, vel cùm aliquis jam ordinatus alicui Ecclesiæ addicitur & incardinatur, consecrari

& ordinari dicitur. Hoc posteriori sensu dixit S. Hieronymus, sanctum Jacobum ab Apostolis ordinatum fuisse Episcopum Jerosolymitanum, hoc est, addictum Ecclesiæ Jerosolymitanæ: fuerat enim à Christo Episcopus creatus & ordinatus.

Frustra hic Auxilii testimonio, quod retulimus, tuetur se Morinus. Licèt enim ipse putet, errore facti, iteratas fuisse quoad substantiam Ordinationes Constantini, hanc nihilominus iterationem totis viribus impugnat & improbat.

Mor. c. 6. p. 92.

Expenditur factum Photii Patriarchæ, cujus Ordinationes nullæ & irritæ declaratæ sunt.

Photius vir primariæ nobilitatis, ingenio, facundia, multiplici eruditione conspicuus, ambitione, violentia ac lugendo casu famosus, in
Sub Hadriano II. IV. Concilio Constantinopolitano, quod est octavum generale, an. 869. à Sede Patriarchali Constantinopolitana depositus fuit, his præsertim de causis. 1. quòd Sedem illam vivente legitimo Patriarcha Ignatio invasisset. 2. quòd à Gregorio Syracusano deposito fuisset ordinatus. 3. quòd contra Canones, non servatis interstitiis, ex Laico sex dierum spatio factus fuisset Episcopus. Itaque tum ejus Ordinatio, tum illæ quas ipse fecerat, nullæ & irritæ declaratæ sunt Can. 4. dictæ Synodi generalis
Tom. 8. Concil. p. 1370. D. VIII. cujus hæc verba sunt: *Ut ambitionem veluti quamdam malorum omnium malam radicem convellamus, Photium contra jus fasque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Christi insilientem, orbemque terrarum perturbatione complentem, nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse, justo decreto declaramus: nec ab illo creatos in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, manere.*

Ibid. pag. 1128. E. Addit Anastasius Bibliothecarius in versione quam dedit hujus Synodi, ad Canonem 4. Ecclesias à Photio vel ordinatis ab eo dedicatas, rursus dedicatas & consecratas Synodi mandato fuisse.

De illa Photii Ordinatione à Gregorio facta sic ante VIII. Synodum locutus fuerat Nicolaus I. S. P. in Epistola 9. ad Michaelem Imperatorem: *Gregorius, qui canonicè ac synodicè depositus, & anathematizatus erat,*
Ibid. pag. 335. E. *quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, nisi quantùm Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.*

Ibid. pag. 1012. C. Hadrianus II. S. P. in Epistola ad Ignatium sic pariter loquitur: *Præ omnibus & super omnia Gregorium Syracusanum, & Photium tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab Episcoporum numero vel dignitate, quam usurpativè ac fictè dedit, meritò sequestrantes. Primò, quia Photius Maximo, & Ordinatio ejus, vel potius execratio, istius Ordinationi penè in cunctis videtur esse simillima. Secundò quia sic se habet per decessorem meum Apostolicæ Sedis Decretum .... Tertiò, quia Photius vir forensis, curialis, neophytus, invasor, atque adulter, necnon & anathemate condemnatus existens, nihil habuit.*

Cap. 6. Exercit. 5. Certè, inquit hic Morinus, & quæ de Photio deposito dicuntur, plura significant quàm perpetuam sed nudam ab Ordinis executione suspensionem; & quæ de Ordinationibus ab eo factis disputantur, intelligi non possunt de simplici crimine quod committit qui Sacramentum à suspenso, aut illicitè ordinato suscipit.

Di-

Dicitur enim 1. Photium nunquam fuisse Episcopum, nec esse: qui verò ab illo sunt ordinati, non posse, in eo grado permanere.

Dicitur 2. rursus dedicatas & consecratas fuisse Ecclesias, quas Photius aut ab ipso ordinati consecraverant.

Dicitur 3. Photium à Gregorio qui nihil habuit, nihil accepisse.

Dicitur 4. putativam, fictam, & usurpativam fuisse ejus Ordinationem; id est, nullam, irritam, invalidam.

Dicitur 5. Ordinationem Photii simillimam fuisse Ordinationi Maximi Cynici: hanc autem irritam fuisse declaravit Concilium Constantinopolitanum I. quod est generale II. an. 381. Can. 3. his verbis: *De Maximo Cynico, & ejus inordinata constitutione, quæ Constantinopoli facta est, placuit, neque Maximum Episcopum esse vel fuisse, nec eos qui ab ipso in quolibet grado Clerici sunt ordinati; cùm omnia quæ ab eodem perpetrata sunt, in irritum deducta esse videantur.* Tom. 2. Concil. p. 954. D.

Resp. Ex his probari dumtaxat, Ordinationem Photii, & eas quas ipse fecit, irritas fuisse quantùm ad liberum usum & exercitium officiorum suscepti & dati Ordinis: eas autem ratas & validas quantùm ad substantiam habitas fuisse, demonstrari potest his momentis.

I. Quia non deponuntur nisi validè ordinati: atqui lata est sententia depositionis adversus Photium, & eos qui ab illo consecrati fuerant. *Photius*, ait Nicolaus I. Epistola 7. ad Michaelem Imperatorem cap. 1. *sit omni sacerdotali honore & nomine alienus, & omni clericatus officio prorsus exutus.* Tom. 8. Concil. p. 287. A. Et cap. 3. loquens de ordinatis à Photio, *Quoniam*, inquit, *manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicasse, omni clericali officio eos privamus, & Apostolica atque canonica auctoritate.... sequestramus.* Ibid. pag. 288. A. Iisdem penè verbis depositus dicitur Gregorius Syracusanus, capite 2. ejusdem Epistolæ, quem tamen validè ordinatum fuisse fatentur omnes.

II. Quia illæ Ordinationes validæ sunt quoad substantiam, quæ legitimæ reddi possunt per subsequentem S. Pontificis dispensationem: atqui talis erat Photii Ordinatio.

Nicolaus I. Epistola 3. ad Photium; *Vestræ*, inquit, *consecrationi consentire modò non possumus, donec nostri, qui à nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestræ observationis actus & ecclesiasticæ utilitatis constantiam, & quo studio circa catholicæ fidei defensionem vosmet exerceatis. Et tunc, si dignum fuerit, ut tantæ Sedis Præsulem honorabimus.* Ibid. pag. 276. E.

S. ipse Ignatius in Epistola ad Hadrianum II. S. P. ab ipso postulat ut dispenset cum Paulo Carthophylace *ordinato à Photio, ut Episcopus fieri posset.* Existimabat ergo illum validè fuisse ordinatum. Ibid. pag. 1172. D.

Stylianus Neocæsareæ Episcopus cum aliis Episcopis & Presbyteris in Epistola ad S. P. Stephanum, quamquam dicat *se nullum in Photio agnoscere vestigium sacerdotii*, preces suas nihilominus interponit pro iis, qui à Photio fuerant ordinati, ut nempè suis restituantur gradibus. Ibid. pag. 1410. C.

Formosus Stephani successor huic Epistolæ respondens, ait *se in eos qui à Photio consecrati sunt clementem tulisse sententiam, ut nempè datis libellis supplicibus fateantur se peccasse, veniam per pœnitentiam petant, & polliceantur nihil se amplius hujusmodi peccaturos.* En conditiones quibus indulget S. Pontifex illis Clericis: nulla hic iterandæ Ordinationis mentio. Ibid. pag. 1411. E.

Joannes VIII. S. P. precibus Imperatoris Basilii, consentientibus Ecclesiis Alexandrina, Antiochena & Jerosolymitana, Photium supplicem Ibid. pag. 1454. & seq.

pro bono pacis statuit restituendum; neque tamen eum, aut ab illo consecratos iterum ordinatos legimus. Revera multi hocce Joannis factum reprobarunt, sed & multi etiam laudarunt. Vide Epistolas Joannis VIII. Tom. 8. Conc. pag. 1451. & seq. præsertim eam, quæ est ad Basilium Imperatorem. Cùm igitur neque Photius, neque ab eo ordinati cùm suis gradibus redditi sunt, legantur de novo consecrati, certum videtur argumentum, ratam & validam visam fuisse quantùm ad substantiam eorum Ordinationem.

Ex his facilè dissolves quæ initio proposita sunt.

Ad primum, Photius dicitur nusquam fuisse Episcopus, id est, non legitimè nec licitè ordinatus, qui consequenter se Episcopum gerere non debuit, hoc est, functiones episcopales, à quibus suspensus erat, exercere, sicut & illi qui ab ipso fuerant ordinati. Eo enim ferè modo dicitur non Episcopus, quo & à Synodo quadam Occidentali dicitur non esse Christianus, sicut
Ibid. pag. 1390. E. refertur in Epistola synodica Concilii Constantinopolitani IV. ad Hadrianum, teste ipso Anastasio. At nemo non intelligit, Photium appellari non Christianum, non quòd Baptismi characterem non haberet, sed quod Ecclesiam ambitione sua perturbans, se Christianum non gereret.

Ad secundum: aperta est disparitas. Nam consecratio templorum est tantùm juris ecclesiastici, adeoque jubente Ecclesia potest iterari: at consecratio ministrorum Ecclesiæ, præsertim majorum, juris est divini, atque characterem imprimit, qui legibus Ecclesiæ non subjacet, ideoque non potest iterari.

Ad tertium & quartum: Photius dicitur *nihil accepisse* à Gregorio; *fictè ac putativè ordinatus; nullum in eo esse*, ut loquitur Stephanus S.P. *vestigium sacerdotii* &c. per ordinem scilicet ad liberum usum & exercitium Ordinis quem illicitè perceperat.

Ad quintum: paritas valet. Sicut enim Ordinatio Maximi rata fuit quoad substantiam, nec iterata, sed irrita tantùm quoad functiones & officia, quia in laica domo per fraudem ab aliquibus Episcopis fuerat ordinatus, ita pariter Ordinatio Photii, vivente legitimo Patriarcha Ignatio, facta à Gregorio deposito & excommunicato, quamvis valida fuerit quantùm ad substantiam & characterem, illegitima tamen fuit & irrita quantùm ad honorem gradus, executionem & functionem.

Instabis 1. Nicolaus I. Photium Laicum appellat, nusquam verò Episcopum; ergo &c.

Resp. causam & rationem esse, quòd Photius, perinde ac si simplex fuisset Laicus, non posset legitimè ac licitè functiones Episcopales exercere, à quibus suspensus erat.

Instabis 2. Si Canon 4. Constantinopolitanus vellet ordinatos à Photio
Tom. 8. Concil. p. 1143. A. B. sola functione & executione Ordinis esse privatos, quare non eodem modo loquitur ac Can. 25. juxta Anastasium, cùm ait, Sacerdotes, ac Clericos ab Ignatio & Methodio ordinatos, qui Concilio non obediunt, sed impietati Photii pertinaciter adhærent, *depositos* esse debere, *ac omnino sacerdotali operatione privari*? quæ loquendi ratio clarè designat functionem & executionem dumtaxat Ordinis. Cùm verò de ordinatis à
Ibid. pag. 1170. E. Photio sermo est, dicitur Can. 4. *eos non debere manere in eo sacerdotii gradu in quem ab eo promoti sunt*; quæ varia loquendi ratio innuit istos Clericos nullum à Photio gradum accepisse.

Resp. 1. in eumdem sensum recidere utramque hanc loquendi rationem:

idem

idem enim est Clericos deponi, seu privari sacerdotali operatione, & eos non debere remanere in gradu ad quem promoti sunt.

Resp. 2. discrimen fuisse inter Clericos ordinatos ab Ignatio & Methodio, ac deinde depositos, & Clericos à Photio ordinatos; quòd primi cùm à legitimis Episcopis fuissent ordinati liberum aliquando habuerunt suorum Ordinum exercitium; non ita ordinati à Photio schismatico, qui ipso facto ab omni Ordinis honore, gradu, functione suspensi ac remoti fuerunt.

Instabis 3. Anastasius duplicem distinguit depositorum ordinem: eorum scilicet qui sunt à legitimis Episcopis ordinati, & qui idcirco restitui possunt; & eorum qui nunquam possunt restitui, eo quòd non sint ordinati à vero Episcopo. Primi ordinis fuisse ait eos, qui ab Hebione, Acacio &c. ordinati sunt; secundi verò eos qui sunt à Photio consecrati. *Quæritur*, inquit, *cur Sedes Apostolica eos qui à Photio damnato in diversis sunt Ecclesiæ gradibus constituti, sine recuperatione deposuerit, cum ab Ebione damnato sacratos & post depositos instaurari decrevit. Sed sciendum est, quia Photius tamquam neophytus & adulter, qui scilicet Ecclesiam viventis invaserit, nusquam fuisse Episcopus, dictus & promulgatus est; sed nec ii, qui ab eo manus impositionem acceperunt, comparati videlicet Maximo Cynico & ordinatis ab eo, à secunda Synodo cum ordinatore repulsis....* Deinde rem explicat comparatione: *Si pater meus, adulter est, & ego ex adulterio nascor; profectò ut non legitimus ex hæreditate repellor; quod tamen non paterer, etiam si pater meus probaretur veraciter homicida.* Juxta comparationem hanc ordinati à Photio similes sunt filiis spuriis qui ex adulterio nascuntur. *Ibid. pag. 1176. A.*

Resp. Anastasium non asserere ordinatos à Photio nusquam posse restitui: siquidem ipse Photius & aliqui ab ipso ordinati reipsa suis gradibus redditi sunt; nec etiam asserere ordinatos ab Episcopis legitimis, & posteà ob crimen depositos, semper restitui. Noverat enim in hoc ipso Can. 25. Constantinopolitano ordinatos ab Ignatio & Methodio, qui Concilio inobedientes erant, & Photio adhærebant, perpetua depositione privari absque spe restitutionis. Igitur Anastasius eò loci causam dumtaxat & rationem reddit cur Photiani Clerici non restituantur, alii verò ab Ebione vel Acacio ordinati restituti fuerint; quæ ratio alia non est ab ea quam mox adduximus, quia nempè ordinati à Photio schismatico nusquam liberum habuerunt Ordinum suorum exercitium; secus verò qui ordinati fuerant ab Ebione vel Acacio.

Instabis denique: Legati Nicolai I. in Bulgaria confirmatos à Photio iterum confirmaverunt, ut expresse testatur Synodus VIII. rescribens ad Adrianum II. *Ibid. Pag. 1387. B.*

Resp. non à Photio ipso confirmatos fuisse Bulgaros, sed ab ejus Presbyteris, qui confirmandi jus non habebant, præsertim in Bulgaria, quæ non pertinebat ad Patriarchatum Constantinopolitanum, sed Romanum, ubi proinde non poterant Presbyteri etiam extraordinariè Sacramentum Confirmationis conferre absque licentia S. Pontificis; meritò igitur, jubente S. Pontifice, ab illis confirmati, rursus sanctum chrisma perceperunt.

Solvuntur aliæ nonnullæ Objectiones.

Post exempla mox exposita, Morinus cap. 7. nonnulla alia refert testimonia, quibus contendit iteratam olim Ordinationem.

Tom. 1. Conc. p. 39. D. Objicies itaque 1. Canonem 67. eorum qui Apostolici dicuntur. *Si quis, inquit, Episcopus vel Presbyter vel Diaconus secundam Ordinationem ab alio susceperit, deponatur & ipse, & qui ordinavit; nisi utique constiterit, quod ab Hæreticis Ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati, & ordinati sunt, ut fideles & clerici sint, fieri non potest.*

Resp. 1. eo Canone Ordinationem Hæreticorum pariter ac Baptismum rejici: sicut igitur necesse est, Canonem intelligere de Hæreticis qui Baptismi formam adulterabant, (siquidem Can. 47. expressè damnatur Episcopus vel Presbyter, qui denuo baptizaverit verè ac legitimè baptizatum) ita & de iis qui in consecratione ministrorum non observabant ritum à Christo præscriptum; fuere porrò nonnulli primis temporibus qui & Baptismi formam violabant, & ad Cleri dignitatem sola populi factione, citra legitimam consecrationem, aliquos evehebant, quos Canon iste perstringit. Quòd si responsio hæc non placeat,

Resp. 2. Canones illos falsò Apostolis adscribi, qui ex variis Conciliis ante Nicænum generale primum celebratis, promiscuè collecti sunt. inter quos collector recensuit eos, qui ab Iconiensi & Sinadensi Conciliis contra Baptismum Hæreticorum editi sunt, qui certè Judicio Ecclesiæ universæ rejecti ac reprobati fuere.

Objicies 2. auctoritatem tum Concilii II. generalis, à quo irrita facta est Ordinatio Maximi Cynici Philosophi; tum Concilii Cæsaraugustani II. Can. 1. ubi jubet *Presbyteros ex Ariana hæresi revertentes, accepta denuo benedictione Presbyterii ministrare*; quæ benedictio, ait Morinus, est ipsa Ordinatio: quemadmodum enim jubet Synodus illos Presbyteros denuò benedici, ita Can. 3. jubet consecratas ab Arianis Ecclesias iterum consecrari. Tum Ecclesiæ totius Orientalis, quæ Hæreticos in Ecclesia baptizatos per unctionem & reordinationem admittebat: quod confirmat Morinus testimonio Balsamonis, qui interrogatus à Marco Patriarcha Alexandrino, *an Sacerdos vel Diaconus hæreticus possit sacra facere cum priore Ordinatione sua; an verò, si sacra ministrare velit, sit iteranda ejus Ordinatio?* respondet, *eum priore sacerdotio pro sacrilegio habito, & pro non facto, omnino per consuetos gradus ad doctoriam sublimitatem ascendere debere.*

Morin. p. 98. n. 5. Juris Orientalis Lib. 5. p. 379.

Resp. ad primum, distinguo: Ordinatio Maximi irrita facta est quoad functiones, usum & exercitium, concedo: quoad substantiam, nego. Neque enim ordinatus ille fuit ab aliquo Hæretico vel Schismatico; sed tantùm per fraudem ab Alexandro Alexandrino & S. Athanasii successore, in præjudicium S. Gregorii Nazianzeni, qui legitimè electus fuerat, in laica domo consecratus fuit, unde meritò suspensus est ac privatus Ordinis accepti functionibus.

Ad secundum: benedictio illa per quam Sacerdotes ab hæresi Ariana conversi suis gradibus & functionibus restituuntur, verè consecratoria seu ordinatoria non erat, sed cærimonialis, non absimilis illi, de qua Canon 28. Concilii IV. Toletani laudatus à nobis suprà, ubi de facto Constantini Papæ.

Ad tertium: gratis ac sine ullo fundamento supponit Morinus, Hæreticos in Ecclesia catholica baptizatos in Oriente receptos fuisse per iteratam Confirmationem & Ordinationem, sicut ostendimus in nostro de Sacramento Confirmationis Tractatu.

Balsamon, quem laudat, loquitur de Sacerdote qui non fuerat ordinatus ritu legitimo à Christo præscripto, sed profano: *qui, inquit, cùm esset profanus*

fanus Sacerdos, orthodoxam fidem amplexus est &c. de quo meritò pronuntiat, eum debere *per consuetos gradus, priori sacerdotio pro sacrilegio habito & pro non facto*, ascendere, si opus fuerit, etiam ad dignitatem Episcopalem.

Objicies 3. auctoritatem Innocentii I. S. P. ex Epistola ipsius 18. ad Alexandrum Episcopum, ubi sic loquitur n. 3. *Arianos, cæterasque ejusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo Baptismate illisque mysteriis arbitramur .... nec dare ejusdem plenitudinem possunt, quæ maximè in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam.... perdiderunt.* Hæc Innocentius. Ad quæ sic Morinus: *Qua ratione*, inquit, *intelligi potest hoc Innocentii effatum, Solum Hæreticorum Baptisma ratum est, solum Hæreticorum Baptisma non reperitur, si Hæreticorum quoque Ordinatio rata est, & non iteranda? Si dicas; Hæreticorum ordinationem non dare gratiam, & ideo irritam dici: nec Baptisma Hæreticorum pariter dat gratiam, ut notum est, & disertè affirmat Innocentius. Ratum igitur Innocentio non dicitur ratione gratiæ collatæ, sed ratione prohibitæ iterationis: solum igitur Hæreticorum Baptisma ratum est, quia solùm characterem imprimit. Sed Ordinatio eorum potissimùm est irrita, eo quòd ex Innocentii principio Hæreticus Spiritum sanctum dare non potest; per Ordinationem verò Spiritus sancti plenitudo traditur.* Ita Morinus, ex quibus sic breviter argui potest: illorum Ordinatio invalida est, quorum solum Baptisma ratum esse judicat Innocentius: atqui judicat solum Baptisma Hæreticorum ratum esse; ergo &c.

Innoc. I. Tom. 2. Concil. p. 1269. D.

Pag. 98. n. 6.

Resp. dist. maj. quorum solum Baptisma ratum esse judicat Innocentius, quantùm ad characterem, concedo: quantùm ad alios effectus, quorum particeps fit, qui revertitur ad Ecclesiam, nego. Similiter distinguenda minor propositio: quæ distinctio ut intelligatur,

Observandum tria debere distingui in Baptismo & Ordine. Scilicet 1. characterem. 2. gratiam sanctificantem. 3. aliquos effectus secundarios, qui sequuntur ex susceptione Baptismi vel Ordinis. Sic v.g. adultus, qui erroribus aliquorum Hæreticorum consentiens ab ipsis baptizatur, equidem characterem percipit, non verò gratiam sanctificantem, quia fictio hæc gratiæ sanctificanti obest: non recipit etiam alios Baptismi effectus secundarios, quales sunt participatio precum & meritorum Ecclesiæ, jus ad alia percipienda Sacramenta &c. Ubi verò redit ad Ecclesiam per veram pœnitentiam, fictionis obice priùs sublato, recipit gratiam sanctificantem, acquirit jus communionis cum Ecclesia, & participationis aliorum Sacramentorum.

Discrimen itaque quod juxta mentem Innocentii occurrit inter Baptismum & Ordinem est, quòd Hæreticus rediens ad Ecclesiam, & cum ipsa reconciliatus, statim omnes fructus Baptismi recipiat, omnesque honores baptizati & filii Ecclesiæ habeat, non autem omnes sacerdotii honores, nec omnia ecclesiastica obire munia possit, quia nempè præter reconciliationem cum Ecclesia, necessaria est restitutio prioribus gradibus, & absolutio à suspensione quam incurrerat. Ratio Innocentii hæc est: quòd cùm Laici recipiantur per manus impositionem in pœnitentiam, Clerici recipi non debent cum suis honoribus. Itaque in mente S. P. adulti illius Baptisma ratum est quantùm ad characterem aliosque

Baptismi effectus secundarios, Ordinatio verò manet tantummodo quoad characterem, non quoad dignitatem, & honorem gradus; namque Clericus ille ad laicam communionem dejicitur.

Hanc esse Innocentii mentem suadent hæc ipsius verba. *Non videtur*, inquit, *Clericos eorum cum sacerdotii, aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate* ∴. Item: *Nec dare ejusdem plenitudinem possunt*, (nempe Spiritus sancti) *quæ maximè in Ordinationibus operatur*, *quam per impietatem perdiderunt*. Et post: *Quomodo fieri potest ut eorum profanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitrentur?*

Instabis 1. Idem Innoc. in Epistola 21. ad Marcianum Episcopum Naxitanum, vetat reordinari eos qui ante damnationem Bonosi fuerant ab eo ordinati; ergo supponit reordinandos esse, qui ab eodem post ejus damnationem fuerant ordinati.

Resp. equidem definire Innocentium, ut ordinati à Bonoso, antequam damnaretur, cùm revertuntur ad Ecclesiam cum honoribus suis & absque nova consecratione suscipiantur; sed nego, Innocentium aut dixisse, aut etiam innuisse ordinatos ab eodem Bonoso, postquam damnatus fuerat, nova indigere consecratione ut in suis Ordinibus permaneant. Pontifex pronuntiavit de ordinatis à Bonoso ante condemnationem, de quibus solis erat difficultas mota; siluit de cæteris, de quibus non erat instituta controversia.

Instabis 2. Idem Innoc. Epistola 22. c. 3. dicit *Clericum in hæresi ordinatum*
Tom. 2. Conc. p. 1274. A. *nihil accepisse*, *quia nihil in dante erat*, *quod ille posset accipere*. Et cap. 5. *Qui nihil*, inquit, *a Bonoso acceperunt*, *rei sunt usurpatæ dignitatis*, *qui conficiendorum Sacramentorum sibi vindicarunt auctoritatem*.
Ib. p. 1275. E.

Resp. mentem Innocentii ea in Epistola colligi debere ex controversia quæ erat inter ipsum & Episcopos Macedoniæ, ad quos hanc scripsit Epistolam. Hoc verò unum tunc controvertebatur, an scilicet ii qui ordinati fuerant à Bonoso, statim deberent Ordinum suorum functionibus & honoribus restitui, ut contendebant illi Episcopi; an verò pœnitentiæ subjici, ut volebat Innocentius: nusquam verò fuit controversia, an iterum ordinari & consecrari deberent, sicut falsò supponit Morinus.

Hunc fuisse quæstionis statum patet manifestè ex rationibus quibus utitur Innocentius, & illorum Episcoporum dissolvit objectiones.

Rationes Innocentii sunt. 1. quia ab Hæreticis ordinati, *vulneratum per illam manus impositionem habent caput; atque ubi vulnus infixum est*, *medicina*
Ib. p. 1274. A. *est adhibenda*: medicina verò illa est pœnitentia. *Ubi autem remedium pœnitentiæ necessarium est*, inquit, *illic Ordinationis honorem locum habere non posse decernimus*. Et apud illos Macedoniæ Episcopos, ejusmodi Clerici *non*
Ibid. C. *solum*, ait S. P. *pœnitentiam non agunt*, *verùm etiam honore cumulantur*. 2. quia immundi sunt illi Clerici cùm redeunt, adeoque debent per pœnitentiam mundari, nec ea exercere munia quæ nonnisi omninò mundis permitti debent. 3. quia in sua Ordinatione non acceperunt jus legitimè obeundi Ordinis sui munera, cùm eo jure carerent ii à quibus ordinati fuerant:
Ibid. A. *Qui enim*, inquit, *honorem amisit*, *honorem dare non potuit*. 4. denique, quia hæc est lex Romanæ Ecclesiæ, ut Clericis redeuntibus ab hæresi, *laicæ*
Ibid. B. C. *tantùm per manus impositionem detur communio*, *nec exiguus honor Clericatus ipsis subrogetur*.

Cùm verò Macedoniæ Episcopi ad suæ consuetudinis defensionem objicerent. 1. Clericos illos mundos fieri per benedictionem Episcopi Catholici,

ci,

ci, quam accipiunt cùm ab hæresi ad Catholicam Ecclesiam revertuntur. 2. exemplum Anysii Archiepiscopi Thessalonicensis qui ordinatos à Bonoso recepit. 3. exemplum Novatianorum qui à Concilio Nicæno cum suis honoribus recepti sunt.

Respondet ad primum Innocentius, non ita esse; quod probat ex absurdis. *Ergo*, inquit, *si ita est, applicentur ad Ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia benedictione Ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare Ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit.* Ordinationem ibi appellat Innocentius, simplicem benedictionem, per quam Episcopi illi recipiebant Clericos à Bonoso ordinatos, qua contendebant omne vitium prioris Ordinationis deleri: è contra Innocentius vult eam non sufficere, sed necessariam esse pœnitentiam. *Ibid.* B.

Ad secundum respondet, temporum necessitate adactum Anysium fuisse ut ita cum Bonosianis ageret, ne mediocre scandalum oriretur: *Sed*, inquit Innocentius, *quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate debet utique cessare quod urgebat; quia aliud est ordo legitimus, alia usurpatio quam ad præsens fieri tempus impellit.* Dixerat paulò ante S. P. hanc Anysii indulgentiam indicasse, fuisse antiquitus legem contrariam. *Ibid.* D.

Ad tertium respondet, hoc esse privilegium Novatianis concessum, nec esse ad alios Hæreticos trahendum. *Ibid.*

Objicies 4. Ordinationes factæ à Meletio irritæ judicatæ sunt à Concilio Nicæno, & iteratæ, ut patet ex Epistola Synodica illius Concilii ad Alexandrinos, ubi refertur sententia Concilii adversùs Meletium, qua statuitur ut ille remaneat in propria civitate sine potestate manus cuiquam imponendi, sed solum dignitatis & officii nomen retineat. *Ii verò*, ajunt Patres in dicta Epistola apud Socratem Lib. 1. Hist. c. 1. *qui ab ipso constituti sunt* (Presbyteri,) *sanctiore Ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, ea lege ut honorem quidem ac ministerium suum retineant; secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus qui in unaquaque Parœcia & Ecclesia versantur &c.* Sed qui sanctiori Ordinatione confirmantur, ii ordinantur; ergo &c. *P. 28. G.*

Resp. 1. fatetur ipse Morinus cap. 12. Exercit. 5. nu. 17. Meletium ante Concilium Nicænum non fuisse schismaticum, adeoque dubium non esse quin Ordinationes ipsius catholico ritu celebratæ fuerint, adeoque irritæ non potuerint declarari. Equidem jus ordinandi in aliena Diœcesi usurpaverat: at nullus proferri potest Canon ante illa tempora, quo hujusmodi Ordinationes declarentur invalidæ. *Morin. P. 122.*

Resp. 2. Socrates, qui refert quæ gesta sunt in Concilio Nicæno, dicit solummodo statutum fuisse ut ad communionem & ministerium admitterentur, ea lege, ut in unaquaque Ecclesia aliis Presbyteris essent inferiores: non meminit reordinationis factæ.

Resp. denique, nomine sanctioris Ordinationis, intelligi posse electionem canonicam; hanc enim Confirmationis nomine Patres aliquando designant. Neque enim æquum videbatur, ut Schismatici ullam haberent jurisdictionem præter Episcopi & populi voluntatem: unde eos eligi, & in suo munere confirmari maximè congruebat.

Objicies 5. Cùm Cæcilianus à Felice Aptungitano Episcopo ordinatus fuisset ex Diacono Presbyter, ac deinde Episcopus, nonnulli Episcopi vitiosam esse ejus Ordinationem arguerunt, eo quòd Felix, à quo fuerat ordinatus,

natus, esset traditor. Cùm verò id accepisset Cœcilianus, mandavit ejusmodi Episcopis, *ut si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsum tamquam adhuc Diaconum ordinarent in Episcopum*. Id refert Optatus Lib. I. post medium; S. Augustinus in Breviculo Collationis diei 3. c. 5. atqui tale responsum apertè supponit, in sententia Cœciliani nullam esse Ordinationem à traditore factam.

Pag. 15. & seq. To. 9. p. 571. B.

Resp. I. responsum hoc Cœciliani conditionatum fuisse, *si nempè Felix nihil contulisset*. Si autem Episcopi qui adversùs Cœcilianum convenerant inquirere voluissent in personam Felicis, eum profectò innocentem agnovissent, & traditionis minimè reum, sicut posteà judicatum est.

II. Tale responsum datum fuit à Cœciliano ad retundendum potius adversariorum furorem, quàm ad declarandum potuisse aliquem ab Episcopo traditore ordinatum reordinari; sciebat enim quòd eum non essent ordinaturi, quandoquidem receperant Ordinationes à traditoribus. *Id dici potuit*, ait S. Augustinus in Collatione diei 3. *cum Donatistis, ad illos irridendos, quibus hoc mandasse perhibetur, quoniam certus erat ordinatores suos non esse traditores*.

Tom. 9. p. 571. B.

Objicies denique cum Morino cap. 8. 9. & seq. Exercit. 5. Potest Ecclesia statuere aliqua impedimenta quæ Ordinationem irritam & invalidam efficiant: v. g. hæresim, schisma, simoniam &c. sicut impedimenta nonnulla in Matrimonio apposuit, quibus irritatur; qualis est v. g. clandestinitas, raptus &c. aut saltem potest Ecclesia retundere vim characteris, & efficere ut nihil ultrà possit agere.

Resp. nego ant. consecratio enim ministrorum Ecclesiæ fundatur in potestate Ordinis, quæ datur Episcopo vi suæ consecrationis: at consecrationem hanc irritam facere non potest Ecclesia propter crimen, hæresim, aut schisma in quod prolabitur qui consecratus est apud Catholicos, nec delere characterem, non diffitente ipsomet Morino; sicut nec impedire potest characterem Baptismi, à quocumque ille conferatur: quemadmodum etiam impedire non potest, quin Sacerdos quantumvis sceleratus, etiam à fide apostata, validè consecret Christi corpus; falsò igitur ac gratis supponit Morinus, esse in potestate Ecclesiæ ita ligare ac retundere vim characteris, ut nihil agere possit.

Neque hìc eadem est ratio Ordinis, ac Matrimonii. In isto essentialiter includitur ratio contractus, non in alio: potest autem Ecclesia, possunt & Principes certas exigere ad contractus ineundos conditiones, quarum defectu contractus nullus sit: hoc quippè necessarium est ad optimum Ecclesiæ ac Reipublicæ regimen, ad dignitatem & reverentiam Sacramenti, & ad pacem ac tranquillitatem Regnorum. Conditiones illæ quæ irritant conjugalem contractum, propriè & accuratè loquendo in ipsas personas cadunt, *quæ*, ut loquitur Synodus Trid. Sess. 24. De reformatione Matrimonii c. 1. *inhabiles redduntur ad contrahendum*. Sed de hoc argumento in nostro de Matrimonio Tractatu abundè differemus.

Tom. 14. Conc. p. 876. E.

ARTICULUS SECUNDUS.

Proponuntur & solvuntur nonnullæ quæstiones scholasticæ circa characterem Ordinis.

QUæres 1. utrum omnes & singuli Ordines imprimant characterem.

Resp. I. eos omnes Ordines qui sunt Sacramenta, imprimere characterem.

Ratio

Ratio est, quia cùm Sacramentum Ordinis characterem imprimat, omnis Ordo, qui Sacramentum est, pariter imprimit characterem: quod enim de aliquo secundùm suam genericam rationem spectato dicitur, de omnibus inferioribus sub illo genere contentis dici quoque debet, sicut docent vulgò Dialectici.

II. Ordines quibus non convenit ratio Sacramenti, non producunt characterem.

Ratio est, quia cùm character, juxta communem Theologorum sententiam, sit aliqua qualitas spiritalis animæ impressa, virtus eam producendi non competit nisi iis quæ ex Christi institutione eam acceperunt: atqui sola Sacramenta hanc virtutem habere ex Traditione cognoscimus: ergo &c.

III. Si per characterem nihil aliud placeret intelligere, quàm deputationem ad aliqua ministeria, aut id omne quod semel datum iterari non potest, dici posset etiam minores Ordines & Subdiaconatum conferre characterem: tum quia per illos Ordines fit deputatio ad certa ministeria; tum quia illi iterari & repeti non possunt, ita decernente Ecclesia. Quia ex ante dictis, quod consecratione aliqua confertur, semel datum iterari non potest.

Quæres 2. utrum characteres Ordinum sint omninò inter se distincti, num verò subsequentes Ordines præcedentium characterem tantùm intendant.

Resp. in singulis Ordinibus distinctum imprimi characterem.

Ratio est, quia unumquodque Sacramentorum suos peculiares & distinctos habet effectus, ut patet inductione omnium Sacramentorum; ergo etiam ex his Sacramentis quæ producunt characterem, peculiarem & distinctum illa conferunt.

Deinde, tam distincti sunt characteres collati à Diaconatu, Presbyteratu & Episcopatu, quàm illi qui conferuntur à Baptismo & Confirmatione: quòd si character Confirmationis dici non potest extensio characteris Baptismi, non potest similiter character Episcopalis dici extensio characteris Presbyteratus.

Quæres 3. an Ordines in quibus plures ac distinctæ conferuntur potestates, totidem diversos characteres habeant. V. g. in Presbyteratu, in quo traditur potestas consecrandi Eucharistiam, & absolvendi à peccatis.

Affimat Isambertus, De Sacramento Ordinis disput. 4. art. 4. & 5. ubi docet ab unaquaque partiali materia & forma suum quoque partialem characterem imprimi; & ex partialibus illis, unum totalem componi characterem.

Verùm opposita opinio verisimilior nobis videtur: tum quia unicum est Sacramentum, ergo unicus character impressus; tum quia nulla videtur esse necessitas plures illos admittendi characteres pro duplici potestate, siquidem unus ad utramque sufficit: sicut enim eadem causa distinctos & oppositos effectus producere potest, ita & in unico charactere fundari potest duplex potestas.

QUÆSTIO SEXTA.

De variis Ordinis speciebus.

GEneratim Ordines distinguuntur in majores seu sacros, & in minores seu non sacros, hoc est qui non ita propè accedunt ad Eucharistiam, quæ finis est omnium Ordinum. *Ordo dicitur sacer*, ait S.Th.

in 4.

in 4. dist. 24. qu. 2. art. 1. quæst. 3. *qui habet aliquem actum circa rem aliquam*
To. 10. p. 440. *consecratam: & sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdos & Diaconus, qui habent actum circa corpus Christi & sanguinem consecratum; & Subdiaconus qui habet actum circa vasa consecrata: & ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint qui sancta tractant.*

Quæstio est 1. cum Novatoribus, an sint admittendæ variæ species Ordinum, quas Concilium Trid. enumerat. 2. an Græci eumdem nobiscum numerum Ordinum admittant.

PRIMA CONCLUSIO.

Septem apud Latinos admittuntur Ordinum species; nempè Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii.

Probatur ex Conc. Trid. sess. 23. c. 2. & Can. 2. *Si quis dixerit*, ait Canon 2.
Tom. 14. Conc. pag. 863. *præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.* Hoc Canone non determinat nec figit quis sit illorum Ordinum numerus, ne fortè Græcos, qui eumdem nobiscum numerum non admittunt, damnare videatur.

Capite verò secundo ejusdem Sessionis rem paulò amplius evolvit & explicat Concilium his verbis: *Cùm divina res sit tanti sacerdotii ministerium,*
Ibid. p. 862. *consentaneum fuit, quo digniùs & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solùm de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum Ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docent; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus, & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.*

In hac Concilii Tridentini doctrina.

Observa I. id unum hìc ad fidem pertinere, quod Canone 2. mox laudato Concilium definivit adversùs Novatores, nempè, *præter sacerdotium alios esse in Ecclesia Ordines, & majores, & minores.* Utrum verò sint dumtaxat numero septem, an plures, vel pauciores, non definivit, ne vel Græcos, qui tantùm quatuor, vel nonnullos Scholasticos, qui plures, quàm septem, admittunt, damnaret. Quapropter quod de septem Sacramentis dixit Concilium, ea numero septem esse, non plura nec pauciora, de septem Ordinibus pariter non dixit, sed tantùm eos septem esse.

II. Inter Ordines alios majores seu sacros appellari, quales sunt Presbyteratus, Diaconatus & Subdiaconatus; alios verò minores & non sacros: non eo quidem sensu quòd suo modo sancti & sacri non sint, sed quòd, ut diximus, non ita proximè ad Eucharistiam accedant.

III. Septem dumtaxat à Concilio Ordines recenseri, nulla facta Episcopatus mentione. *Etsi enim*, ait Bellarminus de Clericis L. 1. c. 11. *Episcopus*
Tom. 2. p. 103. A. *& Presbyter distinguantur, tamen quantùm ad sacrificium* (unde repetitur Ordinum diversitas) *idem omninò ministerium exhibent; proinde unum Ordinem,*

non

non duos faciunt: sicut etiam Lector, & Cantor, seu Psalmista. Sub sacerdotio igitur, tamquam sub genere proximo, comprehenditur Episcopatus, quæ nobilior est species Sacerdotii. *Ad eum modum*, inquit Isambertus, *quo enumerando septem tantùm Sacramenta novæ Legis, comprehendunt sub nomine Ordinis omnes illos singulares Ordines, qui sibi vindicant rationem Sacramenti. Nam quemadmodum in ista enumeratione ita enumerant Ordinem pro uno Sacramento, quatenus sumunt illud genericè, ut tamen rationem Sacramenti non denegent membris suis sub isto genere contentis; pari etiam jure, quando in enumeratione Ordinum recensent tantum Presbyteratum, seu Sacerdotium, recensent illud quatenus genericè sumitur, & prout dividitur in duas species, quarum una est simplex Presbyteratus, & altera Episcopatus*. Ex quibus facilè intelligitur, nullum Episcopatui præjudicium inferri, ex eo quòd inter septem varios Ordines, quos enumerant Patres Tridentini non recenseatur. De Sacramento Ordinis disp. 1. art. 3. Tom. 5. p. 399.

IV. Sacerdotium finem esse ad quem cæteri Ordines, velut per gradus quosdam, tendunt ac referuntur.

V. Denique, Sacerdotum & Diaconorum apertam fieri in Litteris sacris mentionem; aliorum verò Ordinum *nomina & ministeria ab initio Ecclesiæ cognita fuisse* Concilium declarat, nec immeritò certè.

Cornelius S. Pontifex electus anno 251. in Epistola ad Fabium Antiochenum testatur suo tempore Romæ fuisse *Presbyteros quatuor & quadraginta: septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos: Acolythos duos & quadraginta; Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos*. En septem Ordines diversi manifestè à Cornelio enumerati. Apud Eusebium L.6. Hist. c.43. p. 244.

Concilium pariter Carthaginense IV. anno Christi 398. à Canone secundo usque ad nonum expressam mentionem facit illorum septem Ordinum, quibus Canone decimo Psalmistam seu Cantorem addere videtur. Non est quòd hìc diutius immoremur in eo septenario Ordinum numero ad mentem Concilii Trid. ex veteribus ecclesiasticis monumentis comprobando, de quibus sigillatim posteà dicturi sumus. Non ignoramus, discordes hìc esse Scholæ Theologos, quorum aliqui octo numerant Ordines, septem jam enumeratis Episcopatum addendo. Ita Cajetanus, Medina, Soto &c. Alii novem, addita nimirum prima Tonsura clericali, sicut multi Canonistæ addunt apud Navarrum. Alii denique decem, addentes Ordinem *Cantorum* cum Concilio IV. Carthag. mox citato. Tom. 2. Conc. p. 1199. & 1200.

Maldonatus, De Sacramento Ordinis q. 4. ait, *sibi hac in re videri Juris Pontificii peritos melius sentire, quàm Scholasticos Theologos, quòd dicant plures esse Ordines quàm septem. Tota enim*, inquit, *antiquitas plena est testimoniis; & Episcopatum esse Ordinem distinctum, adeo perspicuum est ex omnibus Conciliis vetustissimis, & ex Canonibus Apostolorum, ut nemo negari possit, qui non legerit*. Hæc Maldonatus. P. 400.

Sufficiat hìc ex S. Thoma descripsisse rationem quam reddit hujusce septenarii Ordinum numeri. *Dicendum*, inquit, *quòd Ordinis Sacramentum ad Sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est Sacramentum Sacramentorum. Sicut enim templum, & altare, & vasa, & vestes, ita & ministeria quæ ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent, & hæc consecratio est Ordinis Sacramentum; & ideo distinctio Ordinum est accipienda secundùm relationem ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiæ ipsius, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc. Si primo modo, sic est Ordo Sacerdotium; & ideo cùm ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam* In 4. d.24. q.2. art.1. ad 2. q. Tom. 10. p. 440.

cum

rum pane, potestatem accipiendo consecrandi corpus & sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes. Si primo, sic tripliciter: primò enim est ministerium, quo minister cooperatur Sacerdoti in ipso Sacramento, quantùm ad dispensationem, licèt, non quantùm ad consecrationem, quam solus Sacerdos facit; & hoc pertinet ad Diaconum: unde in Littera dicitur, quòd ad Diaconum pertinet ministrare Sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Christi; unde ipsi sanguinem dispensant. Secundò ad ministerium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius Sacramenti; & hoc pertinet ad Subdiaconum: unde in Littera dicitur, quòd vasa corporis & sanguinis Domini portant, & oblationes a altari ponunt, & ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordinantur. Tertiò est ministerium ordinatum ad præsentandum materiam Sacramenti, & hoc competit Acolytho; ipse enim, ut in Littera dicitur, urceolum cum vino & aqua præparat, unde accipiunt urceolum vacuum. Sed ministerium ad præparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos, quia qui mundi sunt, jam sunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum: quidam enim etiam à visione divinorum, & a cætu Fidelium arcendi sunt, & hoc pertinet ad Ostiarios: quidam verò sicut volentes credere, sed nondum sunt instructi, scilicet Catechumeni; & ad horum instructionem ordinatur Ordo Lectorum; & ideo prima rudimenta ad doctrinam fidei, scilicet vetus Testamentum, eis legendum committitur: quidam verò sunt Fideles & instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni, & ad hoc habet ministerium Ordo Exorcistarum. Et sic patet, concludit S. Thomas, *ratio & numerus & gradus Ordinum.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Ecclesia Orientalis nonnisi quatuor admittit Ordines, nimirum, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & Lectoris: non autem Acolythi, Exorcistæ, aut Ostiarii.

Constat I. argumento negativo, quia in nullis Græcorum Ritualibus mentio reperitur Ordinum Acolythorum, Exorcistarum, & Ostiariorum: quis porrò credat iis Libris prætermissos illos Ordines fuisse, si revera apud Græcos fuissent in usu?

II. Delegati à Clero Constantinopolitano ad Patres Ephesinos, ut inquirerent in certa quædam facta quæ Nestorio opponebantur, rogant in supplici Libello, *ut Scheda, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, nec non & Laicis ostendatur*: porrò si alii extitissent Ordinum gradus, haud dubiè Laici immediatè post Lectores appellati non fuissent.

Conc. Ephes. p. I. cap. 13. Tom. 3. Conc. p. 337.

III. Concilium VIII. generale anno 869. declarans non alios ad Episcopatum promoveri debere, quàm qui omnes alios Ordines priùs suscepissent, quatuor dumtaxat gradus appellat Actione 10. Can. 5. *Quòd si quis*, ait, *nulla suspicione dictæ ambitionis vel honoris spe tactus, sed recta honestaque Christi disciplina inductus, in Clericum aut Monachum attonsus est, perque omnes gradus ecclesiasticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam transisse reperiatur, ad Episcopatus honorem evehatur, sic ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres; in Sacerdotii quatuor annos expleat.*

Tom. 8. Conc. p. 1371.

Huic Canoni consentiens Joannes VIII. S. Pontifex, probata Photii in suam

suam Sedem restitutione, in Epistola quam ad Imperatorem Basilium dedit anno 879. declarat neminem imposterum ex Laicis & Aulæ addictis hominibus ad dignitatem episcopalem promovendum esse, nisi prius in variis Ordinum ecclesiasticorum gradibus tentatus ac probatus fuisset. *Volumus*, inquit, *ut talis promoveatur per singulos gradus ecclesiasticos probatus; ut sit primum Lector, deinde Acolythus*, (pro Subdiacono Acolytus hic ponitur) *postea Diaconus, tum Presbyter, post hæc Episcopus*. Tom. 9. Conc. p. 132. D.

IV. Idem certò colligimus ex Innocentio IV. in Epistola quam scripsit anno 1254. ad Otthonem Tusculanum Cardinalem, Sedis Apostolicæ in Cypro Legatum. Cùm enim Græcos ad usum Romanæ Ecclesiæ vellet adducere, fatetur tres ab illis Ordines non servari. *Ad hæc*, inquit, *volumus & expressè præcipimus, quòd Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cùm huc usque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis Ordinibus tolerentur*. Hoc non obstante Innocentii decreto, quod ad Græcos ditioni Romanæ in Cypro subditos restringunt multi, Græci priorem suum usum retinuere, omissis tribus Ordinibus inferioribus; nec propterea litem ipsis moverunt Latini. Tom. 11. Conc. p. 614. n. 19.

Dices 1. S. Ignatius Martyr in Epistola ad Antiochenos, eosdem ferè, quos Latini agnoscunt, imò & alios plures commemorat apud Græcos, Ordines. *Saluto*, inquit, *sanctum Presbyterium.∴. Diaconos.∴. Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores.∴. Janitrices.∴. Virgines.∴. Viduas &c.*

Resp. 1. hanc Ignatii Epistolam inter spurias & supposititias à peritis amandari. 2. Non omnes, qui apud Latinos in usu sunt, Ordines ibi enumerantur, v. g. Acolythorum. 3. Ostiarii quidem & Exorcistæ hìc memorantur: at non tamquam veri & propriè dicti Ordines habebantur, nisi volueris virginum & viduarum propriam ac veram fuisse ordinationem; sed tamquam officia quædam & ministeria, qualia erant Cantorum, Laborantium, seu Fossariorum, qui circa mortuorum corpora laborem & ministerium suum impendebant.

Instabis 1. Synodus Laodicena Can. 24. omnes istos Ordines recenset, Presbyteros, Diaconos, Ministros, Lectores, Cantores, Exorcistas, Ostiarios, & Ascetas.

Resp. 1. in hac enumeratione Subdiaconos & Acolythos omitti, nisi ministrorum nomine designentur. 2. non magis inde concludi potest Exorcistas & Ostiarios veros esse ac legitimos Ordines, quàm Cantores & Ascetas.

Instabis 2. S. Epiphanius in Expositione fidei c. 21. postquam Ecclesiæ ministros, *Episcopos, Presbyteros, Subdiaconos, & Diaconissas* retulit, de aliis sic pergit: *Posteà sequuntur Exorcistæ & linguarum interpretes.∴. sequuntur laborantes, qui mortuorum corpora curant, tum janitores & omnis series*. Ergo &c. Tom. 1. p. 1104. C.

Resp. eos omnes quos S. Epiphanius hic enumerat Ordines, veros ac propriè dictos non esse, ex aliqua scilicet vera Ordinatione, exceptis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis. Erant igitur officia quædam, quæ impropriè Ordines vocabantur, ob ministerium quod impendebatur, à Cantoribus v. g. Fossariis seu Laborantibus, linguarum interpretibus &c. neque enim illi propriè ordinari dicebantur.

Dices 2. Si septem admittantur Ordines, ruit Traditio ecclesiastica circa septenarium numerum Sacramentorum.

Respon-

Respondet Isambertus paulò antè laudatus, septem illos Ordines sub unico genere contineri, quod appellatur Ordinis Sacramentum: ac consequenter non augeri septenarium numerum Sacramentorum.

Verùm alii regerunt, quòd si divisio Ordinis in septem sit totius universalis in partes subjectivas, seu in species diversas, necesse sit illum numerum septenarium Sacramentorum augeri: unusquisque enim Ordo speciem constituet distinctam, quæ continebitur sub Ordine, tamquam sub genere proximo, & sub Sacramento, tamquam sub genere remoto. Unde sequitur septem Ordinum Sacramenta plus à cæteris Sacramentis differre, quàm cætera inter se; quia quæ conveniunt tantùm in genere remoto, plus differunt iis quæ conveniunt in genere proximo: sic v. g. magis differt lapis ab homine, quàm equus; porrò septem Ordines comparati ad septem alia Sacramenta conveniunt inter se in genere proximo.

Scopulum hunc ut alii declinent, ajunt distinctionem Ordinum esse totius potestativi. Audiatur S. Thomas in 4. dist. 24. qu. 2. art. 1. quæstiuncula 1. in responsione ad 2. & in Supplemento qu. 37. art. 1. in resp. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quòd distinctio Ordinum non est totius integralis in partes, neque totius universalis, sed totius potestativi, cujus hæc est natura, quòd totum secundùm completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius, & ita est hic: tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet sacerdotio; sed in aliis est quædam participatio Ordinis &c. & ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum*. Ibidem in responsione ad 3. *Dicendum, quòd in regno, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates .·.·. & similiter in Ordine.*

His ita generatim præmissis, disseremus

I. De sacris seu majoribus Ordinibus, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum.

II. De minoribus & non sacris, nempe Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum & Ostiariorum; non omissuri quæ ad primam Tonsuram pertinent.

DE MAJORIBUS ET SACRIS ORDINIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Episcopatu.

OMnem de Episcopatu disputationem his capitibus complectemur.

I. De nominibus Episcopi, Presbyteri, Sacerdotis, Pontificis.

II. De natura Episcopatus: an sit Ordo, verumque Sacramentum à Presbyteratu natura & charactere distinctum.

III. De præeminentia seu superioritate Episcoporum supra Presbyteros, an sit juris divini, vel tantùm ecclesiastici.

IV. De materia, forma, ministro & subjecto Episcopatus.

V. De officiis atque necessitate Episcoporum.

VI. De variis Episcoporum gradibus.

VII. De Corepiscopis.

De

De nominibus Episcopi, Presbyteri, Sacerdotis, Pontificis.

Episcopus græcè idem est ac inspector, speculator, explorator, superintendens: quo nomine Athenienses Magistratus aliquos è suis vocabant, qui nempe quotannis mittebantur ad civitates ditionis suæ, ut inspicerent quo in statu res forent, omnesque subditos in officio & fide continerent. Hinc S. Augustinus Lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. ait, *Episcopatum nomen esse oneris, non honoris. Græcum enim est*, ait, *atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens.* Tom. 7. p. 563.

Atque isto sensu grammaticali Reges ipsi, aut Præsides seu Procuratores ab ipsis delegati, Episcopi nonnumquam appellantur. Sic Lib. 1. Macchab. cap. 1. v. 53. dicitur: *Secundùm omnia verba hæc scripsit* (Antiochus) *omni regno suo, & præposuit principes populo:* græcè ἐπισκόπους. Sic pariter Eusebius Lib. 1. de vita Constantini cap. 44. eum Episcopum appellat. *Ipse*, inquit, *velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei Concilia congregavit.* Qualis verò fuerit ille Episcopatus, exponit Lib. 4. cap. 24. ipsemet Constantinus: *Vos*, inquiebat, alloquens Episcopos, *in iis quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis. Ego verò in iis quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus:* idest, tamquam Imperator à Deo positus, hæ mihi partes concessæ sunt, Ecclesiæ opem ferre, prospicere, invigilare Canonum & legum ecclesiasticarum securitati, executioni; *ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate coerceat,* inquiebat Concilium Arelatense VI. Can. 17. Pag. 430. Pag. 536. T. 7. Conc. p. 1238.

Fluxit apud Scriptores sacros & ecclesiasticos isthæc Episcopi significatio, pro summo nempe Sacerdote, qui velut inspector ac speculator commisso sibi gregi invigilat ac superintendit; & idcirco, ait S. Augustinus in Psal. 126. *altior in Ecclesia locus positus est Episcopis, ut veluti in specula constituti, superintendant & custodiant populum.* Quo sensu Apostolus Act. 20. v. 28. ait: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Illos autem à variis officiis ac muneribus quibus obstricti sunt ac decorati, Scriptura variis nominibus appellat quæ passim legenti occurrunt. Tom. 4. p. 1419.

Quæstio vertitur inter Eruditos, an Episcopi nomen commune aliquando fuerit Presbyteris & Episcopis, ita ut promiscuè Presbyter Episcopus, & vicissim Episcopus Presbyter fuerit appellatus. Tres sunt eam in rem sententiæ. *An nomen Episcopi commune olim fuerit Presbyteris.*

Prima est Theodoreti, qui existimat, Episcopi vocabulum iis proprium prima ætate fuisse, quos nunc dicimus *Presbyteros*; eos autem quos nunc *Episcopos* appellamus, tunc temporis *Apostolos* nominatos fuisse. En verba Theodoreti Comment. in 1. ad Timoth. cap. 3. *Eosdem*, inquit, *olim vocabant* Presbytoros & Episcopos: *eos autem qui nunc vocantur* Episcopi, *Apostolos nominabant. Procedente autem tempore* Apostolatus *nomen reliquerunt iis qui veri erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem, iis, qui olim dicebantur Apostoli, imposuerunt. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus... Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus.* *Prima sententia Theodoreti.* T. 3. p. 473.

Fundamentum opinionis Theodoreti est. 1. quia Act. 20. v. 17. videtur Apostolus solos Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros convocasse: illi autem simplices seu inferiores erant Presbyteri; neque enim in una & eadem civitate

plures titulo ac dignitate poterant esse Episcopi. Atqui tamen eosdem postea vocat Episcopos: ita enim Epistola ad Philippenses inscribitur, *Episcopis & Diaconibus*. At Episcopi illi simplices erant Sacerdotes, quos immediatè cùm Diaconis conjungit. Præterea in eadem Epistola Philippensium summus Antistes, non Episcopus, sed Apostolus appellatur cap.2. v.25. ac proinde illi Philippensium Episcopi ab ipsorum Præsule distinguebantur; ergo secundi ordinis erant Sacerdotes; ergo illi Sacerdotes tunc temporis Episcopi vocabantur. 2. ait Theodoretus, alii, quos jam Episcopos dicimus, non Episcopi, sed Apostoli dominabantur, quia nempe Apostolorum locum ac vices implebant. Sic Rom.16. v.7. Andronicus & Junias dicuntur esse nobiles in Apostolis. Sic 1. Corinth. 15. vers.7. præter undecim Apostolos, alii plures recensentur, quibus post resurrectionem Christus apparuit. Sic Epaphroditus Philippensium Episcopus, ab ipso Paulo cap.2. v. 25. ipsorum *Apostolus* nominatur.

T.1.p.908. & seq. Secunda sententia est S. Epiphanii hæresi 75. Episcopi vocem iis dumtaxat in Scripturis tribui, qui veri sunt ac propriè Episcopi, nusquam verò iis quos simplices seu inferiores Sacerdotes dicimus; ita ut hujus vocabuli idem, qui nunc est, semper olim usus fuerit.

Nec obstat in ea sententia quòd refertur cap.20. Act. Apostolorum v.17. *A* P.201.n.2. *Mileto mittens Ephesum* (Paulus) *vocavit majores natu Ecclesiæ*. Ii enim non tantùm simplices erant seu secundi ordinis *Presbyteri*, sed veri *Episcopi*, qui Seniores ab ætate & gravitate morum appellantur. Ita S. Irenæus L.3. c.14. *In Mileto*, inquit, *convocatis Episcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheso & à reliquis proximis civitatibus*. Mirum igitur videri non debet, quòd Apostolus eos subinde Episcopos appellet.

Nec dicas inde consequens esse, plures in eadem civitate extitisse Episcopos: namque plures quidem erant in eadem civitate collecti in variis civitatibus Episcopi; sed plures non erant ejusdem civitatis Episcopi, quod longè diversum est. Quemadmodum cùm Apostolus Epistolam suam ad Philippenses, *Episcopis & Diaconibus* inscribit, haud dubiè significare noluit Philippis plures simul extitisse Episcopos; sed hoc unum, plures fuisse sub Metropoli civitatis Philippensium Episcopos, ad quos omnes Epistolam suam Apostolus direxit.

Tertia denique sententia est S. Joan. Chrysost. Homil. 1. in Epist. ad Philippenses, ubi docet Episcopi & Presbyteri nomen Apostolorum ævo tum Episcopis, tum secundi ordinis Presbyteris commune fuisse. *Quid hoc est*, inquit (quòd nempe Paulus Epistolam suam ad Philippenses Episcopis ac Diaconis inscribit) *Quid est? An unius civitatis multi erant Episcopi? nequaquam:* Ed. Comm. p. 1204. *sed Presbyteros isto nomine appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia, atque etiam ipse Episcopus vocabatur Diaconus. Idcirco ad Timot. scribens inquit.... quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii. Presbyteri enim Episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scribens, Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros.... Si quis sine crimine est &c...... quæ quidem de Episcopis dicit: namque hæc cùm dixisset, statim addidit, Oportet enim Episcopum sine crimine.... Antiquitus etiam Episcopi.... vocabantur* Presbyteri *& Diaconi Christi. Quo circa hodie multi Episcopi scribunt ita: Compresbytero & Comdiacono. Procedente verò tempore proprium cuique distributum est nomen; ut hic quidem Episcopus, ille verò* Presbyter *appellaretur*. Ita S. Chrysostomus

Presbyter græcè, latinè Senior interpretatur, ait Isidorus L.7. Orig. cap.12.

non

non pro ætate vel decrepita senectute, pergit ille, *sed propter honorem & dignitatem quam acceperunt, Presbyteri nominantur. Unde & apud Veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis, hoc est ætatis.*

Nomen Presbyteri. Pag. 100.

Presbyteri nomen primis temporibus commune fuit etiam Episcopis. Patet manifestè ex Apostolo 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli*, ait, *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi.... cum impositione manuum Presbyterii*, idest cœtus Episcoporum. *Neque enim* ait S. Chrysostomus mox laudatus, *Presbyteri Episcopum ordinassent* ..... 1. Petri 5. v.1. *Seniores obsecro consenior*. Seipsum S. Petrus Seniorem, hoc est Presbyterum appellat, qui non solùm erat Episcopus, sed etiam Apostolus & Apostolorum Caput ac princeps. Joannes ipse 2. Epist. v.1. se pariter vocat Seniorem, *Senior*, inquit, *Electæ dominæ*. Epistolæ 3. v.1. *Senior Gajo charissimo*.

Audiatur Estius in 4. dist.24. paragr. 27. ubi hæc habet: *In Scripturæ veteris Testamenti & in Evangeliis nomen Presbyteri ferè pro magistratu plebis accipitur, quòd ea præfectura plerumque deferri soleat viris ætate provectis. In Actis autem & Epistolis Apostolicis ecclesiasticam præfecturam significat; ita tamen ut duplex ejus acceptio reperiatur, una generalis, altera specialis. Generalis acceptio Episcopos comprehendit, imò & ipsos Apostolos, ut in 2. & 3. Epistola Joann. & 1. Petri, quibus locis Petrus & Joannes se Seniores, id est Presbyteros vocant. Item ad Tit. cap.1. generale esse Presbyteri nomen, cùm jubetur Titus per civitates constituere Presbyteros, inde constat, quia sequitur*, Oportet enim Episcopum sine crimine esse. *Deinde act.20. Majores natu, idest Presbyteros convocasse dicitur Apostolus, quos tamen paulò post Episcopos vocat. Eadem significatio Presbyteri videtur esse act. 14. ubi dicuntur Paulus & Barnabas constituisse per singulas Ecclesias Presbyteros; & act.15. ubi convenisse dicuntur Apostoli & Seniores ad Concilium Jerosolymitanum. Paulus quoque 1. ad Timot.4. juxta expressam Oecumenii interpretationem, per impositionem manuum Presbiyerii, intelligit Ordinationem ab Episcopis factam:* Neque enim, inquit (cum S. Chrysostomo) Presbyteri Episcopum ordinabant..... *Specialis autem ejusdem vocabuli acceptio* (nempe pro simplici Presbytero) *extat 1. ad Timot.5. ubi dicitur*, Qui benè præsunt Presbyteri. *Rursum*, Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere &c. *Agitur enim ibi de Presbyteris judicio Episcopi subjectis, & agnoscuntur Presbyteri honore digni, nec tamen in doctrina laborantes, quod de Episcopis dici non potest. Sed & Jacobus ad infirmum inducendos admonet Presbyteros Ecclesiæ, cùm una Ecclesia plures Episcopos non habeat.* Hæc Estius.

Pag. 315. col. 2.

Duplex acceptio nominis Presbyteri.

Sacerdos idem est ac sacra donans, & cœlestia dona ministrans. In novo Testamento nomen Sacerdotis soli Christo tribuitur, non aliis ministris quibus inest potestas offerendi sacrificii. *Cujus ratio est*, ait ibidem Estius, *quia totum Instrumentum novum eo tempore scriptum est, quo adhuc in usu, aut certè in recenti memoria erant sacrificia veteris Legis, & in sua functione versabantur ejusdem instituti Sacerdotes, cum quibus nomine communicare noluerunt Apostoli, ne fortè non abrogatum vetus illud sacerdotium videretur.*

De nomine Sacerdotis. Pag. 316.

Pontifex idem est ac Sacerdos sacra faciens. Derivant alii à verbo *posse & facere*, hoc est sacrificare. Alii cum Varrone volunt Pontifices à Romanis appellatos à ponte Sublicio, qui à Pontificibus primùm factus ac sæpe restitutus est. Hic quippe pons planè ligneus erat, nullo ære aut ferro compactus, quem Romani adeo sacrum existimarunt, ut si collaberetur; nonnisi cæsa victima & perfecto sacrificio eum reficere posset Pontifex.

De natura Episcopatus : an sit Ordo, verumque Sacramentum natura & charactere à Presbyteratu distinctum.

In Episcopatu duo distingui possunt. 1. potestas consecrandi Eucharistiam, quæ Episcopis & Presbyteris communis est. 2. potestas conferendi Ordines, aliaque officia hierarchica exercendi. Priori respectu cùm ab Episcopatu Presbyteratus non distinguatur, non potest esse Ordo, & Sacramentum distinctum. Quæstio igitur movetur de altero Episcopatus officio, an nempe sit Ordo verumque Sacramentum, quatenus includit potestatem & jus conferendi Ordines, & alia hierarchica officia exercendi. Circa quam controversiam non una est Theologorum mens atque sententia.

I. Opinio negans Episcopatum esse Sacramētum & verū Ordinem.

I. veteres Scholastici benè multi, quos appellant Vasquez disp. 240. cap.2. Morinus, De sacris Ordinationibus part.3. Exercitatione 3. c.1. num.6. docuerunt, Episcopatum non esse verum Ordinem ac Sacramentum à sacerdotio distinctum, sed esse dumtaxat extensionem characteris sacerdotalis, ad novum officium, novam & ampliorem potestatem, ac dignitatem; ita ut Episcopus alius non sit quàm Sacerdos perfectus, qui apicem Pontificatus adeptus est. Ita Hugo à S. Victore, Magister, Alexander Alensis, S. Bonaventura, Albertus Magnus, S. Thomas, Dominicus Soto & alii passim scribentes in L.4. Sententiarum ad dist. 24.

S. Thomas.

Sufficiat hic unus S. Thomæ verba exscripsisse ex dist. 24. in L.4. Sent. qu.3. art.2. ad 2. quæstionem, & ex qu.40. Supplementi art.5. ubi quærit: *Utrum Episcopatus sit Ordo*. Sic autem respondet: *Respondeo dicendum, quòd Ordo potest accipi dupliciter: uno modo secundùm quod est Sacramentum; & sic, ut priùs dictum est, ordinatur omnis Ordo ad Eucharistiæ Sacramentum: unde cùm Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdoti; quantùm ad hoc, Episcopatus non erit Ordo. Alio modo potest considerari Ordo, secundùm quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum; & sic cùm Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit Ordo.*

Ibidem in responsione ad 2. sic loquitur: *Dicendum quòd Ordo prout est Sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad Sacramentum Eucharistiæ, in quo ipse Christus continetur, quia per characterem ipsi Christo configuramur; & ideo licèt detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationem characteris, & propter hoc Episcopatus non est Ordo, secundùm quod Ordo est Sacramentum quoddam.* Ita S. Thomas.

Ad hanc verò sententiam inducti sunt Theologi istis præcipuè momentis quæ proponit Dominicus Soto in 4.dist.24. qu.2. art.4.

Momenta quibus innititur hæc I. opinio.

I. quia ex communi Theologorum sententia septem tantùm numerantur Ordines: at si Episcopatus sit verus Ordo ac Sacramentum, non septem, sed octo erunt numerandi.

II. Ordinum distinctio ac varietas repetitur ex habitudine seu respectu quem habent ad consecrationem vel dispensationem Eucharistiæ: sed hac im parte nihil habent Episcopi supra Presbyteros.

III. si Episcopatus esset verus Ordo ac verum Sacramentum, characterem imprimeret distinctum à sacerdotali: atqui id falsum videtur; aliàs qui consecraretur Episcopus, non accepta priùs consecratione Presbyteratus, ve-

rus

rus esset Episcopus, utpote qui characterem recepisset episcopalem: atqui tamen docent communi suffragio Theologi, eum verè in Episcopum consecrari non posse, qui priùs non fuerit ordinatus Sacerdos.

IV. si Episcopatus esset Ordo, & characterem imprimeret, character ille esset superior, & sacerdotalem, utpote inferiorem, includeret, sicut sacerdotalis includit characterem Diaconatus & Subdiaconatus; ac proinde opus non fuisset charactere sacerdotali, quod est falsum.

V. Sacramentum Ordinis in sabbatis quatuor temporum confertur, Episcopatus verò tantùm in Dominicis diebus.

VI. Denique, in tota Episcopi consecratione nulla apparet forma & materia Sacramenti, sive unctiones, sive traditionem baculi, & impositionem mitræ & alia omnia consideres.

Ex his concludunt hujus primæ sententiæ patroni, nomen Ordinis Episcopatui non convenire, quatenus Ordo est Sacramentum, sed tantùm quatenus est nomen officii, dignitatis & gradus. Cave tamen putes, ex hac opinione sequi Episcopatum aut non esse à Christo institutum, aut non esse Sacerdotio simplici superiorem; utrumque enim istud consectarium negant, qui contendunt Episcopatum non esse Ordinem & Sacramentum à Sacerdotio distinctum: siquidem extensionem illam characteris sacerdotalis ad nova officia novamque potestatem, qua distingui Episcopos à Presbyteris volunt, extensionem, inquam, illam à Christo institutam esse, ac per eam Episcopos superiores effici Presbyteris, agnoscunt ac profitentur iidem Theologi. *So top. 64.*

II. docent alii Episcopatum esse quidem Ordinem & Sacramentum, non tamen distinctum à Sacerdotio, sed esse veluti extensionem ac diffusionem characteris sacerdotalis ad nova officia obeunda. II. Opinio.

Extensionem verò illam variè explicant, pro diversa eorum circa naturam characteris opinione. Quibus enim placet characterem revocare ad speciem qualitatis, quam Dialectici vulgò vocant *potentiam naturalem*, extensionem hanc explicant ad eum modum quo qualitas, v.g. habitus scientiæ, extenditur circa varias conclusiones: quemadmodum enim fit ut per illam qualitatis extensionem nova comparetur potentia & facilitas ad alias conclusiones dignoscendas, ita per extensionem characteris sacerdotalis ad nova officia, fit ut Sacerdos qui ante consecrationem episcopalem non poterat illa officia hierarchica exercere, v.g. confirmare, ordinare &c. ea accedente possit, non per novum ac distinctum characterem, sed per novam potentiam quæ acquiritur extensione prioris characteris sacerdotalis. Est igitur Episcopatus sacerdotium perfectum, quo Sacerdos alios Sacerdotes generare & ordinare potest; & ita Episcopus cum Sacerdote comparatur, sicut vir adultæ ætatis, qui alios homines potest gignere, cum juvene qui non potest: nam Episcopus generare potest Sacerdotes per Ordinationem, Sacerdos autem non potest. Ita Durandus, Paludanus, Dominicus Soto &c. *in duas alias divisa.* *Vasquez. T. 3. p. 568.*

Alii verò qui existimant characterem moralem dumtaxat esse potentiam, non habitum propriè & physicè operativum, extensionem illam characteris sacerdotalis nihil aliud esse volunt, quàm *novam relationem destinationis divinæ ad hoc aut illud ministerium, quæ extrinseca est denominatio*. Ita Vasquez disp. 139. cap. 6. num. 57. & disp. 240. cap. 5. ubi rem confirmat & illustrat exemplo consecrationis Presbyteri: putat enim ille, characterem sacerdotalem perfectè imprimi per hæc verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* nondum tamen Sacerdoti potestatem absolvendi concessam, *Pag. 568.*

ſam, donec Epiſcopus hæc verba protulerit, *Accipe Spiritum ſanctum*, quibus charačteri jam ſuſcepto nihil intrinſecum additur, ſed nova dumtaxat quædam deputatio illi divinitus advenit, qua abſolutionis peccatorum tradendæ fit potens, quam prioribus verbis nondum acquiſierat. Sicut igitur in Sacerdote duplex non eſt charačter, pro duplici quam habet, poteſtate conſecrandi, & abſolvendi à peccatis, ſed unus ſufficit impreſſus per iſta verba, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*, cum nova relatione deputationis divinæ ad facultatem abſolvendi à peccatis; ita per conſecrationem epiſcopalem nullus de novo additur charačter, nulla nova entitas aut realis potentia, ſed charačteri ſacerdotali accedit nova relatio deputationis divinæ ad functiones quaſdam hierarchicas exercendas, quæ nova relatio ac deputatio verè efficax eſt & operativa, licèt nihil reale perſonæ ſic deſtinatæ afferat; quod explicant nonnullis exemplis, v.gr. *Principis qui unum & eumdem ſubditum ſuum paulatim ad varias dignitates, variaque officia aſſumit per ſolam deputationem & relationem rationis, abſque ulla de novo addita reali entitate; & tamen actione iſtius hominis nullius eſſent momenti, nullius auctoritatis, niſi Rex priùs eum eligere hiſque officiis præficere voluiſſet*. Aliud exemplum eſt v.g. *cùm Rex auget pretium pecuniæ; hoc enim fit per ſolam relationem rationis, & ſolam Principis voluntatem, quamvis pecunia non mutetur*, nec quoad ſubſtantiam nec quoad pondus. Ita ratiocinatur Philippus Gamachæus Tom.3. Summæ Theologiæ de Sacramento Ordinis cap.8. ubi aſſerit, omnes ferè docere *Epiſcopatum eſſe extenſionem charačteris ſacerdotalis*. Opinionem hanc probabilem judicat Iſambertus, quamvis iſte aliam ſequatur, diſp.4. art.3. de Sacramento Ordinis. Morinus, De ſacris Ordinationibus part.3. cap.2. Exercitationis 3. putat hanc ipſam fuiſſe S. Hieronymi, & omnium prope Latinorum, qui ejus verba exſcripſerunt, mentem atque ſententiam.

Gamachæus T.3. p.681. col.2

Tertia Opinio.

III. igitur docent alii, Epiſcopatum peculiarem eſſe Ordinem à Presbyteratu ſpecie & numero diſtinctum, ac diverſum imprimere charačterem; ſic tamen, Deo ita ordinante affečtum, ut Presbyteratu natura ſua prærequirat ad validam ſui impreſſionem: atque ex illis Theologis aliqui očto numerant Ordines, aliqui novem, ipſam ſcilicet addendo Tonſuram. Sententiam hanc ſequuntur Navarrus in Manuali cap. 23. num.16. Bellarminus de Sacramento Ordinis cap.5. Eſtius in 4.diſt. 24. paragr. 28. Sylvius in 3.part. S. Thom. qu.40. art.5. concl.2. Iſambertus loco citato, & alii quamplures.

Hanc Bellarminus certiſſimam; Petrus Soto certa fide tenendam cenſent; Michael de Medina contrariam ſententiam eſſe periculoſam. Vaſquez, quamquam expreſſè definitam non eſſe fateatur, ex definitione tamen Concil. Trid. eam non obſcurè deduci, nec ſine gravi nota hoc tempore negari poſſe (qua parte aſſerit Epiſcopatum eſſe verum Sacramentum) contendit. Sit itaque

Bellar. de Ordine c.5. Petrus Soto Lect. 4. de Sacram. Ord. Medina L.1. de cötinentia ſacrorum hominum c.15. Vaſquez diſp. 140. cap.4. initio.

CONCLUSIO.

Epiſcopalis Ordinatio verum eſt Sacramentum à Sacerdotio natura & charačtere diſtinctum. Duæ ſunt Concluſionis partes.

Prima pars, nempe Epiſcopatum eſſe Ordinem ac verum Sacramentum. Probatur 1. auctoritate Scripturæ. Ea enim ipſa teſtimonia, quibus ad

Quæ-

Quæstionem hujus Tract.2. Artic.1. demonstravimus Ordinem esse verum ac propriè dictum Sacramentum, de Ordinatione Episcopali intelliguntur, ut patet ex Ordinatione Pauli & Barnabæ Act.13.v.3. & Ordinatione Timothei: 1. ad ipsum S. Pauli Epistolæ cap.4. v.14. *Noli*, inquit Apostolus, *negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*; idest, interpretibus Chrysostomo, Oecumenio, Theophilacto & aliis, *Collegii Episcoporum*. Et cap.1. v.6. 2. ad eumdem Epistolæ, *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum*. Ex hoc ipso Scripturæ testimonio Concil. Triden. Sess.23. cap.3. probat Ordinem esse verum Sacramentum, per quod gratia confertur. Argumentum. Ex quibus sic licet arguere: Præcipua Scripturæ testimonia ex quibus probant Catholici adversùs Lutheranos, Ordinationem verum esse Sacramentum, agunt, & intelliguntur de Ordinatione Episcopali; ergo unum ex duobus sequitur, aut Ordinationem Episcopalem verum esse Sacramentum, aut ex illis Scripturæ testimoniis probari non posse contra Novatores, Ordinationem sacram esse verum Sacramentum: atqui istud postremum apertè falsum est, ac pugnat cum Tridentino Concilio ac communi Orthodoxorum doctrina; ergo necesse est prius esse verum.

Probatur 2. Quia in Ordinatione Episcopali nihil deest eorum quæ requiruntur ad verum & propriè dictum Sacramentum. Nihil deest in Ordinatione Episcopi ad verum Sacramentum.

Est enim 1. cærimonia exterior, & quidem augusta ac maximè solemnis, quam describit Concilium Carthaginense IV. Can. 2. quam cærimoniam, sicut & eam per quam inaugurantur Sacerdotes. Concil. Trid. Sess.23. cap.4. *Ordinationem* appellat. Ibidem declarat, *præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Cærimonia exterior. T.2. Conc. p.1199.D. T.14.Conc. p.863. B.

Doctrinam hanc per certam Traditionem à majoribus derivatam accepere Patres Tridentini: etenim SS. Patres Ordinem Episcopalem inter sacros, & quidem primo loco recensuere.

S. Dionysius c.5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ tres describit ac propriis actibus hierarchicis distinguit Ordines sacros, Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum. Actus illi sunt purgare, quod Diaconorum; illuminare, quod Presbyterorum; perficere, quod Episcoporum proprium est. P.114 B.

S. Clemens Alexandrinus Lib.6. Stromatum ait in Ecclesia esse *progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, quæ sunt imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ ac dispensationis.* P.381. A.

S. Epiphanius refellens Aerium qui Episcopos cum Presbyteris confundebat, hæresi 75. appellat ejus dogma *supra hominis captum furiosum & immane.* Deinde nu.4. sic illud refellit: *Episcoporum Ordo ad gignendos patres præcipuè pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter* (nempe Ordo Presbyterorum) *cùm patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit; non tamen patres aut magistros. Quinam verò fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet?* T.1.p.908. A.

Apud S. Augustinum Lib.1. de actis cum Felice Manichæo capit. 12. Felix Augustino Episcopo dixisse fertur: *Non tantum ego possum contra tuam virtutem, quia mira virtus est gradus Episcopalis. Erat ergo tunc persuasum,* T.8.p.478. B.

P.317. col. 1. A. ait hic Estius dist.24. paragr. 28. *non minùs Hæreticis quàm Catholicis, insignem aliquam gratiam conferri Ordinatione Episcopali.*

S. Leo Epistola 12. aliàs 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap.4. loquens de lege cœlibatus qua Episcopi & Presbyteri obstricti pariter sunt, Episcopatum tamquam verum Ordinem, & quidem inter alios primum refert. *Quòd si*, inquit, *in hoc Ordine* (nempe Subdiaconatu) *qui quartus à capite est, dignum est custodiri; quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus æstimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frænasse dignoscitur?* Vides Episcopatum esse caput seu primum inter cæteros Ordines, quapropter *Episcopalis excellentia* vocatur à S. Leone. Et Serm. 1. in die anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum sic habet: *Cùm hujus divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem curritur, nec quod caro & sanguis creavit, eligitur; sed cessante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos Rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparavit: ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cœlestis gignat Antistitem.*

T.1.p.441. Ibidem p. 104. c.1.

Tom.3.p.2. p.128. B. S. Gregorius Magnus Lib.4. in primum Regum cap. 5. de dignitate Episcopali sic loquitur: *Qui in culmine ponitur, Sacramenta suscipit unctionis. Quia verò ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, benè foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* Bis eo testimonio unctio, qua Episcopi inaugurantur, Sacramentum appellatur.

Bibl. PP. Tom.21.p. 59. F. G. Goffridus Abbas Vindocinensis Opusculo 2. *Ipse* (Christus) inquit, *primus & elegit Apostolos, & consecravit..... Hoc sanctum Sacramentum, electionem videlicet, & consecrationem Apostolorum, Christus primus primum fecit, per quod cætera fierent Sacramenta.* Ex quibus sic licet arguere.

Argumentum. Ea cærimonia exterior verus est Ordo verumque Sacramentum, quæ comparatur cum Ordinatione Presbyterali, quæ specialem virtutem seu potestatem confert, quæ pertinet ad hierarchicum ordinem, & quidem gradu superiori, quæ Ordinatio & Sacramentum appellatur: atqui ex mox citatis testimoniis constat talem esse cærimoniam qua Episcopi consecrantur; ergo &c.

Cærimonia exterior imprimit characterem, gratiam confert ac specialem potestatem. Præterea, cærimonia illa exterior characterem imprimit, gratiam confert ac specialem potestatem ad functiones aliquas hierarchicas exercendas, quæ à simplici Sacerdote exerceri non possunt; est igitur illa cærimonia verus Ordo, verumque Sacramentum.

Antecedens probatur.

Ac primò quidem, per Episcopalem Ordinationem characterem imprimi, inde certissimum esse debet, quòd nusquam liceat, iterum ordinare Episcopum ritè ac legitimè ordinatum.

II. per eamdem Episcopalem Ordinationem conferri gratiam, patet ex citatis paulò antè S. Pauli testimoniis, & ex facto Felicis apud S. Augustinum etiam hic memorato: quibus adde id quod refertur à Theodoreto Lib.4. Historiæ cap.20. & Nicephoro Lib. 11. cap.46. nempe *sanctum quemdam virum nomine Mosen, nequaquam induci potuisse, ut à Lucio Ariano Episcopo in Episcopum consecraretur, quòd certus esset Spiritum sanctum ad illius invocationem numquam discensurum*, nempe propter contagium communionis. Sozomenus verò Lib.7. cap. 10. & Nicephorus Lib.10. cap. 14. commemorant

Theod. T. 3.695. Niceph. T.2. p.206.

hæc

hæc verba Martyrii cujusdam ad Nectarium Episcopum: *Novimus ex sacris Constitutionibus utrumque, & sacrum Lavacrum & munus Episcopale, delictorum esse remedium & expiationem*. Refert idem Nicephorus L. 14. c. 55. & L. 16. c. 28. exempla quædam eodem pertinentia.

Sozom. p. 716. Niceph. To. 2. p. 246.

Adde quòd in Romano Pontificali præscribitur, nempe ut consecrator, & qui ipsi assistunt alii duo Episcopi, manus imponant supra eum qui in Episcopum ordinatur, ac dicant, *Accipe Spiritum sanctum*.

Adde denique, non minùs necessariam esse Episcopis gratiam ad obeundas officii sui functiones, quàm Presbyteris ac Diaconis, in quorum Ordinatione eam conferri fatentur omnes Theologi. Imò propter majorem dignitatis & officii tum excellentiam, tum difficultatem, abundantiori gratia indigent Episcopi, quam profectò non denegat, qui eos posuit *regere Ecclesiam Dei*.

III. per Ordinationem Episcopalem dari specialem potestatem ad certas functiones, quæ à Presbyteris exerceri non possunt, nempe ad Sacramentum Confirmationis & Ordinationis conferendum, communis est Ecclesiæ doctrina, quam exposuit antea citatum Trid. Conc. Sess. 23. cap. 4.

Episcopatus à Christo institutus, & quando.

Denique Episcopatum esse à Christo institutum nemo negaverit qui hæc S. Pauli verba Act. 20. v. 28. perpenderit, *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Et ad Ephesios 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam Apostolos &c.* Apostolis verò successerunt Episcopi, ut docet Conc. Trid. loco mox citato.

Si verò quæsieris, ubi & quando fuerit à Christo institutum Sacramentum Episcopatus. Respondeo, Joan. 20. quando dixit Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum. Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*, quibus verbis Christus & gratiam, & jurisdictionem Episcopalem concessit, mittendo Apostolos ad regendam Ecclesiam, sicut ipsemet à Patre missus fuerat; in eo enim regimine includitur potestas tum ordinis, tum jurisdictionis & honoris: unde ipsemet Christus vocatur à S. Petro Epistolæ 1. c. 2. v. 25. *Episcopus & Pastor animarum nostrarum*. Antea in ultima Cœna Sacerdotes instituerat, concessa ipsis facultate consecrandi & offerendi Eucharistiam, ut docet Conc. Trid. Sess. 22. c. 1.

Episcopatus est Ordo & Sacramentum distinctū.

Secunda Conclusionis pars, scilicet Episcopatum esse Ordinem ac Sacramentum natura & charactere distinctum à Presbyteratu, non verò tantùm extensionem characteris sacerdotalis, modo antea explicato.

Probatur 1. Quia ex testimoniis mox adductis patet Episcopatum esse verum Ordinem, verumque Sacramentum; ergo verum imprimit characterem qualem imprimit Sacramentum Ordinis. Docent autem communiter Theologi, characterem quem imprimit Ordo, esse aliquid reale, non meram rationis relationem; cùm per ejusmodi characterem vera & realis conferatur potestas ad certa officia certasque functiones exercendas. Neque videtur esse ratio cur dicamus Episcopatum extensionem esse characteris sacerdotalis, potius quàm Diaconatum extensionem esse Sacerdotii; in utroque enim Ordine varia est potestas, varius ac distinctus character. Longè itaque meliùs & ad normam loquendi Veterum aptiùs diceretur, Presbyteratum esse emanationem seu participationem & effluvium quoddam Episcopatus: inferius enim longè potiori jure à superiori, quàm superius per extensionem ab inferiori profluere dicitur: at Episcopatus superior est Presbyteratu.

II. ut optimè arguit Bellarminus, de Ordine cap. 5. illa extensio chara-

cteris

Refellitur supradicta characteris extensio. cteris sacerdotalis vel est aliquid reale, vel relatio dumtaxat rationis: atqui neutrum dici potest. Non primum: quia par efficacia requiritur ad characterem reipsa extendendum, & ad imprimendum novum, nulla igitur est ratio cur Ordinatio Episcopalis extendat solummodo characterem Presbyteratus, & non potius novum imprimat. Non secundum: Namque sicut potestas quæ confertur per Episcopatum est vera, realis, specialis & distincta à simplici Sacerdotio, ita character debet esse realis, verus, specialis, ac distinctus.

III. Pergit Bellarminus, magis distant inter se potestas confirmandi, & consecrandi Eucharistiam, quàm potestas legendi Evangelium & Epistolam in sacrificio: sed propter ista ponuntur ab adversariis duo distincti characteres in Diacono & Subdiacono, nec dicunt unum extendi; cur igitur nolunt esse duos in Presbytero & Episcopo?

IV. Sententia quam hic propugnamus melius cohæret cum dogmate catholico superioritatis & præeminentiæ Episcoporum supra Presbyteros, ac commodior est Hæreticis revincendis. Si enim Episcopatus sit Sacramentum à Presbyteratu distinctum, facile erit ostendere Episcopos jure divino superiores esse Presbyteris, tam ordine, quàm jurisdictione, quod negant Hæretici.

V. Denique, quia momenta quæ superiùs adducta sunt in confirmationem primæ opinionis, vim non habent ac facilè dissolvuntur.

Solvuntur momenta superiùs pro prima opinione adducta. Ad primum duplex est responsio. Prima eorum qui octo numerant Ordines, septem antea commemoratis addentes Episcopatum. Neque obstare existimant Concilium Tridentinum Sess.23. cap.2. ubi septem dumtaxat recenset. Namque ajunt non exclusum à Synodo fuisse Episcopatum, sed in Sacerdotio, cujus nobilior est species, inclusum. Altera responsio eorum est, qui licèt doceant Episcopatum Ordinem esse ac Sacramentum à Sacerdotio distinctum, non tamen propterea augeri numerum septenarium Ordinum existimant, quia Episcopatus in Sacerdotio continetur, tamquam species nobilior in suo genere; atqui tota Ordinum distinctio & varietas, ut initio hujus Quæstionis exposuimus, repetitur ex habitudine quam dicunt ad Eucharistiam consecrandam vel distribuendam; qua in parte Episcopus plùs aliquid non potest quàm Presbyter: unde sub eo respectu *fingi non potest*, ait hic Bellarminus cap.5. de Ordine, *Ordo major vel superior sacerdotio. Quia tamen*, pergit ille, *hanc potestatem* (consecrandi Eucharistiam) *vario modo participant Presbyteri & Episcopi, inde sunt duæ species Sacerdotum. Presbyteri in consecranda Eucharistia, saltem quoad usum, pendent ab Episcopis qui possunt eis interdicere ne consecrent, vel suspendere ad tempus, vel præcipere ut tali loco, tali modo, tali tempore celebrent. Et præterea Presbyteri non ita habent hanc potestatem, ut eam aliis communicare possint; Episcopi autem & habent, & communicare aliis possunt*. Hæc Bellarminus. Vide quæ antea initio hujus Quæstionis ex Isamberto retulimus.

Tom. 3. p. 493. D.

Ad secundum, patet ex mox dictis responsio. Quia enim Episcopatus supra Presbyteratum nihil addit directè quantùm ad potestatem consecrandi Eucharistiam, idcirco non auget septenarium numerum Ordinum: quia tamen indirectè saltem ac mediatè tendit ad Eucharistiam, quatenus scilicet dat jus & potestatem ordinandi Sacerdotes qui eam consecrant ac perficiunt, idcirco verus est Ordo ac verum Sacramentum.

Ad tertium, neganda est illatio. Cùm enim Episcopalis Ordinatio ita

sit à

sit à Christo instituta, ut essentialiter debeat præsupponere Presbyteratum, inde fit, ut validè non posset quis in Episcopum consecrari, qui priùs non esset Sacerdos ordinatus. Pendet ergo character Episcopalis à sacerdotali, tanquam à præsupposito necessario essentiali. Non ita est v. g. de charactere sacerdotali respectu Diaconatus: potest enim validè ordinari Presbyter, qui antea non esset ordinatus Diaconus, quia functiones sacerdotales non pendent ex charactere Diaconatus, sicut pendent functiones Episcopales à prævio & præsupposito charactere sacerdotali.

Ad quartum, sic respondet Bellarminus loco citato, characterem nempe Episcopalem integrum & perfectum, esse majorem presbyterali, quia illum includit, & unum præterea alium; & hoc modo comparamus Episcopos cum Presbyteris, cùm alios dicimus esse superiores, & alios inferiores. Si tamen quis conferat characterem quem habet Episcopus ex ultima sua consecratione, cum charactere, quem habet ex Ordinatione presbyterali, tunc iste major est intensivè, quia summa potestas est, posse consecrare Eucharistiam; ille est major extensivè, quia ad plura se extendit. Ibid. H.

Ad quintum respondeo, quòd sicut non eadem feria conferuntur Ordines minores & majores, ita convenientissimè observatur ut summus Ordo suum quoque peculiarem habeat diem, eumque præcipuum, id est Dominicum, in quo conferatur.

Ad sextum, patebit ex dicendis, suam non deesse Ordinationi Episcopali materiam & formam.

Verùm, inquies, quid fiet de tanto Scriptorum numero quos appellat Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 3. cap. 2. qui omnes, ipso præeunte S. Hieronymo, affirmant eosdem planè esse Episcopos quos & Presbyteros, Episcopatum & Presbyteratum esse unum Ordinem, unum gradum?

Resp. illos Scriptores eodem modo explicandos esse, quò infra explicabitur S.Hieronymus, quem ut plurimùm exscripserunt. Quòd si eorum verba in rigore & ad apicem litteræ intelligere volueris, plùs ex illis, quàm par sit, inferres, sola nempe ecclesiastica consuetudine, non divina ordinatione, distare Episcopos à Presbyteris, quod certè alienum est à doctrina Concilii Tridentini, ut infrà demonstrabimus. Unum igitur dicunt esse Ordinem, Episcopatum & Presbyteratum, inadæquatè & quantùm ad aliqua, nempe potestatem consecrandi corpus Christi, ligandi vel solvendi peccata, concedo: unum adæquatè & quoad omnia, nego. Sed de his fusiùs infrà suo loco.

De divina Episcoporum institutione: præeminentia & superioritate supra Presbyteros.

Duo hic discutienda veniunt.

Primum, an Episcopi sint Presbyteris superiores.

Secundum, quo jure sint superiores, an divino, an ecclesiastico dumtaxat.

Status quæstionis; error Novatorum.

Circa primum: quarto Ecclesiæ sæculo Aerius Presbyter secta Arianus, invidia ac dolore percitus quòd repulsam ab Episcopatu, quem exambiverat, passus fuisset, ut seipsum solaretur, docuit nihil planè discriminis esse inter Aerius.

Episco-

T. 1. pag. 906. D. Episcopum & Presbyterum. *Quanam in re*, inquiebat ille, referente S. Epiphanio hæresi 75. n. 3. *Presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter utrumque discrimen est; est enim amborum unus Ordo, par & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus; idem facit & Presbyter: baptizat Episcopus; idem facit & Presbyter: divinum omnem cultum administrat Episcopus; non minus id facit & Presbyter: Episcopus in throno sedet; sedet & Presbyter.* Hoc ille dogma *supra hominis captum furiosum & immane*, ait sanctus Epiphanius, *in vulgus jactans, plerosque in errorem abduxit*. Eumdem errorem commemorat S. Augustinus L. de hæresibus c. 53. T. 6. Pag. 18. F.

Habes in illis Aerii verbis expressam ferè nostrorum Novatorum imaginem. Calvinus etenim L. 4. Institutionis c. 4. n. 2. sic loquitur; *Quibus docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi; ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic bonore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet; sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate sua totam doctrinam regat, & quod decretum communi consilio fuerit exequatur, id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu. Atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres*. Profert deinde Calvinus auctoritatem S. Hieronymi. Calvinus. P. 392.

Inter Calvinianæ sectæ ministros David Blondellus amplam ea de re edidit disceptationem, cui titulum fecit, *Apologia pro sententia Hieronymi, de Episcopis & Presbyteris*. Nihil non tentant Hæretici, ut suas in partes sanctum hunc pertrahant Doctorem, quasi nullum omnino, nisi ex disciplina Ecclesiastica, discrimen agnovisset Episcopos inter ac Presbyteros: imò & inter nostros nonnulli Hieronymum hìc deserendum esse arbitrantur. Sæculo XIV. inclinante, Joannes Vviclefus Anglus Episcopalem dignitatem, quam obtinere non potuit, multum depressit, Episcopos cum Presbyteris confundens.

Eumdem hunc Aerii errorem aliquot ab hinc annis renovavit Salmarius sub larvato nomine *Vvallonis Messalini*, quem eruditè ac eloquenter more suo confutat Petavius, tribus de Ecclesiastica Hierarchia libris.

Circa secundum, unde scilicet derivanda sit distinctio Episcopi à Presbytero, an à jure divino, an ab Ecclesiastico tantum.

Observa, in Episcopis triplicem esse potestatem: unam ordinis, qua Sacerdotes, aliosque ministros ordinare possunt, sacramenta perficere ac dispensare; secundam jurisdictionis internæ, seu in foro conscientiæ, qua peccata remittere, vel retinere possunt; tertiam jurisdictionis externæ, seu in foro exteriori, *quæ potestas*, ait Gersonius lib. de potest. ecclesiastica, considerat. 4. *coercitiva est, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ. Est enim jurisdictio*, ait ibidem, *potestas dicendi jus in alterum, etiam invitum*.

Observa rursus, jurisdictionem illam considerari posse, vel quantum ad potestatem ipsam seu radicem, vel quantum ad usum & exercitium intra certos terminos conclusum.

CON-

CONCLUSIO.

Episcopi jure ac institutione divina superiores sunt Presbyteris potestate tum Ordinis, tum jurisdictionis.

Primò superiores esse Ordinis potestate,

Patet, tum quia Lucæ 9. v. 10. legimus à Christo Domino duos electos Præpositorum seu ministrorum ordines, Apostolorum scilicet, & septuaginta duorum discipulorum: atqui Apostoli, quibus succedunt Episcopi, potestate Ordinis superiores erant discipulis, quorum successores sunt Presbyteri simplices seu secundi ordinis. Illis etenim dixit Christus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. De 72. verò discipulis hoc unum refert S. Lucas c. 1. v. 1. *Post hæc designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus:* tum quia non 72. discipulis, sed solis Apostolis, & in eorum persona Episcopis concessa fuit vi Ordinationis facultas dandi Spiritum sanctum per Sacramentum Confirmationis, Act. 8. v. 14. & alios ordinandi, sive Episcopos sive Presbyteros. *Hujus rei gratia*, inquit Apostolus scribens ad Titum, *reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros*. Hæc semper fuit constans Ecclesiæ fides ac doctrina, irritam & nullam esse Ordinationem ab alio, quàm à vero Episcopo datam; nec alio fundamento ducta fuit Synodus Alexandrina, ut declararet Ischyram sancti Athanasii accusatorem ab Arianis seductum, nunquam verum fuisse Presbyterum, quàm quòd à Collutho simplici Presbytero ordinatus diceretur.

Episcopi superiores sunt presbyteris Ordine.

Ep. ad Tit. c. 1. v. 5.

Apud S. Ath. T. 1. pag. 134. nov. ed.

Secundò, Episcopi jure divino superiores sunt simplicibus Presbyteris, jurisdictione tum interna, in dimittendis peccatis, tum externa in condendis legibus, & urgenda, etiam pœnis canonicis, earum executione. 1. Apostoli, quibus succedunt Episcopi, à Christo immediatè acceperunt internam potestatem dimittendi peccata. Joan. 20. v. 21. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata* &c. Sacerdotes re ipsa vi suæ Ordinationis à Christo etiam habent radicalem potestatem dimittendi peccata, sed illius usum & exercitium per jurisdictionem quam Episcopi concedunt; accipiunt. Hinc possunt Episcopi usum illum potestatis legitimis de caussis ligare, impedire, suspendere, limitare ad certas personas, & certa crimina. Quin & ipsam potestatem, quam vi Ordinationis suæ Sacerdotes habent, consecrandi Eucharistiam, licèt impedire non valeant Episcopi, ne valida sit consecratio ritè peracta, quia scilicet nihil Ecclesia potest in characterem & substantiam Ordinationis, possunt tamen sua prohibitione suisque censuris efficere, ut sit illicita. 2. Episcopos à Christo externam in Presbyteros cæterosque Fideles jurisdictionem accepisse in definiendis fidei & religionis capitibus, in ferendis legibus, ac contumacibus coercendis, quis negare potest? 1. Act. 15. in causa circumcisionis & aliorum legalium, tanquam judices Apostoli pronuntiant in Concilio Jerosolymitano, *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. 2. Apostolus ad Titum 1. v. 5. declarat se illum Cretæ reliquisse, *ut ea quæ deerant corrigeret*. Et ipsemet de seipso 2. Corinth. 10.

v. 28.

v. 8.

v. 8. ait: *Et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.* Qua quidem sua potestate ac jurisdictione usus fuit Apostolus in puniendo & ab Ecclesia ejiciendo Corinthium incestuosum. *Ego quidem*, ait 1. Cor. 5. v. 3. *jam judicavi eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi . . . tradere satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* 3. in Presbyteros ipsos, tanquam inferiores Apostolos, eorumque successores Episcopos jus dicere posse, demonstrant ista Apostoli verba 1. ad Timot. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris*, & v. 19. *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Nusquam autem legimus simplices Sacerdotes vi suæ Ordinationis, auctoritatem & jurisdictionem in alios Presbyteros, multò minùs in Episcopos exercuisse. *Presbyteris*, ait Morinus Libro 5. Exercitat. 7. pag. 322. *ex natura sua, officii dignitate, aut characteris virtute, nullum unquam concessum est jurisdictionis exercitium.* Et verò ex S. Augustino & Vincentio Lirinensi, quod semper & ubique in Ecclesia fuit observatum, nec in ullo Concilio invenitur institutum, illud censeri debet institutionis Apostolicæ & divinæ: atqui talis est præeminentia dignitatis & jurisdictionis episcopalis; ergo &c.

Hujusce præeminentiæ jurisdictionis episcopalis testes sunt S. Ignatius Ep. ad Philadelphienses, S. Dionysius ecclef. hierarc. cap. 5. S. Irenæus L. 3. adversùs hæreses cap. 3. S. Cyprianus variis in Epistolis, & alii plures. Unde Aerius inter hæreticos fuit annumeratus, ut refert S. Epiphanius hæresi 75. eo quòd Presbyteros Episcopis pares esse assereret.

Atque hinc tam frequenter Veteres commendant ac imperant obedientiam ac reverentiam Episcopis præstandam esse. *Reverimini Episcopum vestrum*, ait S. Ignatius in Epistola ad Trallianos, *sicut Christum, quemadmodum beati nobis præceperunt Apostoli. Quid enim aliud est Episcopus, quàm is qui omnem principatum & potestatem super omnes obtinet?* Et in Epistola ad Magnesianos. *Decet vos obedire Episcopo, & in nullo ei refragari... Quemadmodum itaque Dominus sine Patre nihil facit, sic & vos sine Episcopo, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.* Ita etiam Tertullianus Lib. de Baptismo c. 17. & alii plures quos vide in nostris Prælectionibus.

Edit. Cotel. p. 896. Ibid. pag. 889.

Ad hæc omnia accedit & auctoritas Concilii Trid. Seff. 23. cap. 4. *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei: eosque Presbyteris superiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare &c.* Can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* Can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.*

Abstinuit de industria Concilium ab his verbis, *jure divino superiores*, quæ Galli & Germani Episcopi decreto adjungi postulabant, Itali verò recusabant. Verùm licèt verba desint expressa, sensus tamen integer remanet.

Pallav. hist. Concil. Trid. l. 18. c. 12. & 14. & l. 19. c. 6. & l. 20. c. 4.

Denique cùm ordinatissima sit Ecclesiæ constitutio, necesse fuit ad rectum communitatis regimen, ad vitandam confusionem & recti ordinis perturbationem; superiores Episcopos ea omni auctoritate ac jurisdictione instru-

instructos esse, quæ necessaria est, ut leges accuratè observentur, & eorum infractores severè puniantur. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* *Act. 4. v. 28.*

Dices 1. S. Paulus scribens ad Philippenses c. 1. salutat *Episcopos & Diaconos*, nulla facta mentione Presbyterorum. Idem Apostolus Act. 20. v. 17. *A Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, id est Presbyteros seu seniores, quos v. 28. appellat Episcopos *positos à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei*; ergo Presbyteros Episcopis æquales facit Apostolus.

Respondet S. Epiphanius, hanc Aerii objectionem solvens, hæresi 75. n. 5. Apostolorum ævo vix alios fuisse quàm Episcopos, non simplices Presbyteros, *quia*, inquit, *necessitas Ecclesiæ eos non postulabat, cùm magna tunc multitudo* (populi Christiani) *non foret*; atque ad ministerium publicum sufficeret Episcopus cum Diacono. *Neque verò*, pergit, *ulla res est, quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit; sed procedente demum tempore, suæ opportunitatibus omnibus ad perfectionem accessio contigit.*

Resp. 2. cum S. Joan. Chrysostomo & Theodoreto, primis initiis commune fuisse Episcopi & Presbyteri nomen, non verò potestatem, *procedente verò tempore proprium cuique distributum esse nomen, ut hic quidem Episcopus, ille verò Presbyter appelletur*. Ita S. Chrysostomus. *Comment. in c. 1. Ep. ad Philip.*

Instabis: Idem Apostolus ad Titum 1. v. 5. ait: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros*. Atqui Presbyterorum nomine simplices hic Presbyteri, non autem Episcopi debent intelligi, aliàs sequeretur, quod falsum est, plures in eadem civitate sedisse Episcopos.

Resp. 1. nego illationem. Cùm enim Cretæ Insula plures civitates contineret, necesse erat singulis singulos præfici Episcopos. *Hic*, ait S. Chrysostomus, *Episcopos intelligi vult* (Apostolus) *neque enim profectò vult insulam totam uni viro permitti, sed unicuique propriam curam ac sollicitudinem indici. Monet igitur Titum Apostolus*, ait hìc Estius, *ut per civitates constituat Presbyteros, Episcopos scilicet, singulos per singulas; nondum de Presbyteris qui non sunt Episcopi sollicitus: eo quòd tunc plures haberi facilè non possent, & unus qui Episcopus esset cum adjuncto sibi Diacono ad omne ecclesiasticum ministerium in illa adhuc fidelium paucitate sufficeret*. Hæc ipsa est S. Epiphanii sententia. *Ed. Comm. p. 1701.* *p. 862.*

Dices 2. S. Hieronymus Comment. in caput 1. Epistolæ ad Titum, & in Epistola 85. ad Evangelium totus videtur in eo esse ut Presbyteros Episcopi pares & æquales efficiat.

Priori loco docet 1. eumdem esse Presbyterum & Episcopum, easdem in utroque dotes requiri. 2. Episcoporum à Presbyteris distinctionem ab exordio Ecclesiæ non fuisse, sed in schismatis remedium institutam esse. 3. communi consilio Presbyterorum & Episcoporum primis temporibus res Ecclesiæ administratas fuisse, atque ad semina dumtaxat schismatum extinguenda factum esse, ut ad unum ex Presbyteris electum omnis Ecclesiæ cura devolveretur. 4. Episcopos magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositionis dominicæ veritate, Presbyteris superiores esse, cùm in commune Ecclesiam regere debeant. *T. 4. p. 1. p. 413.*

In posteriori verò loco reprimit cujusdam hominis audaciam, qui Diaconos ipsis Presbyteris anteponebat; eaque occasione asserit 1. eosdem esse Presbyteros & Episcopos. 2. in schismatis remedium factum esse ut unus Presbyter aliis præficeretur. 3. *Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteros semper unum ex se electum in ex-* *Ib. p. 2. p. 802.*

cel.siori

celsiori gradu collocasse, quem Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus imperatorem faciat; aut Diaconi eligunt de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocant.

Tantum sui erroris præsidium in his S. Hieronymi verbis collocant Novatores nostri, ut eorum unus Blondellus amplam scripserit pro sententia S. Hieronymi apologiam. Michael Medina Franciscanus scribere ausus est, non solum Hieronymum, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Theodoretum &c. errori Aerii consensisse. Verùm quis in animum induxerit sanctos illos Doctores eum errorem propugnasse, quem S. Epiphanius ea ipsa ætate in Aerio hæretico tam strenuè oppugnabat?

Resp. itaque 1. minimè suspectam hìc esse debere S. Hieronymi sententiam circa præeminentiam & superioritatem Episcoporum supra Presbyteros. Docet enim in Dial. adversùs Luciferianos.

I. Episcopos supremos esse Sacerdotes, in quibus summa residet potestas, sine qua tot forent schismata quot Presbyteri. *Ecclesiæ salus*, inquit, *in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes.* (*Ibid. pag. 295.*)

II. Ad solos Episcopos pertinere jus dandi Spiritum sanctum baptizatis, per Sacramentum Confirmationis.

III. Jus illud seu potestatem à Spiritu sancto esse. *Disce*, ait, *hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quòd Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* (*Ibid.*)

IV. In Epistola 85. ad Evangelium docet solos Episcopos jus habere alios ministros ordinandi. *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* (*Ibid. pag. 803.*)

V. Superiores esse Episcopos Presbyteris probat ibidem exemplo Aaronis, qui supra alios Presbyteros haud dubiè eminebat. *Ut sciamus*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri & Diaconi vindicant in Ecclesia.* (*Ibid.*) Et Comment. in Epist. ad Titum c. 3. ait, Episcopos similes esse Moysi, Presbyteros verò septuaginta senioribus à Moyse electis. Moysen autem illis auctoritate superiorem fuisse, quis inficiari audebit? His ita probatis facile est, quæ opposita fuerunt dissolvere.

Resp. 2. ad primum distinguo: in mente S. Hieronymi, idem est Episcopus qui & Presbyter, nomine & appellatione, usu aliquo & exercitio jurisdictionis externæ, pro disciplina hujus temporis, concedo: idem charactere, ordine, jurisdictione, ac radicali potestate, nego. *Eosdem*, inquit, loco qui objicitur, *Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Episcopis*, *quasi de Presbyteris est locutus Apostolus.* (*Ibid. p. 1. p. 413.*) Ad secundum, distinguo pariter: Episcoporum à Presbyteris distinctio non fuit ab exordio Ecclesiæ, sed in remedium schismatis, quantùm ad aliquid, nempè usum & exercitium externæ jurisdictionis ac regiminis ecclesiastici in cujus partem ab Episcopis vocabantur Presbyteri, concedo: quantùm ad characterem, ordinem, ac jurisdictionem ipsam in radice, origine ac primaria institutione consideratam, nego. Et verò Episcoporum institutionem à schismate dumtaxat Corinthiaco velut ex occasione primùm factam esse, docere non potuisset S. Hieronymus, nisi aut crassæ Historiæ ecclesiasticæ ignorantiæ accusetur, aut supinæ contradictionis. Quomodo etenim ignorasset S. Jacobum fratrem Domini Jerosolymorum Episcopum creatum fuisse; S. Petrum Antiochiæ sedisse; atque priusquam

inde

inde discederet, Evodium suum in ea Sede successorem ordinasse, Sanctum Marcum Alexandriæ Episcopum fuisse; antequam exortum fuisset schisma Corinthiorum?

Ad tertium asserit quidem Sanctus Hieronymus olim communi consilio Episcoporum & Presbyterorum Ecclesias gubernatas fuisse, quod fatemur: at non asserit communi & æquali potestate & auctoritate, quæ duo longè à se invicem distant.

Ista S. Hieronymi verba, Comment. in Epist. ad Tit. *Episcopi magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositione divina, superiores seu majores sunt Presbyteris*, plurimùm nobis favent: ex iis enim sequitur, partim Ecclesiæ consuetudine, partim dispositionis dominicæ veritate, quod jus divinum luculenter adstruit, Presbyteros esse Episcopis minores. *Ibid.*

Quod addit ibid. S. Hieronymus, Episcopos *in commune debere Ecclesiam regere* cum Presbyteris, ad jus divinum minimè referendum est: neque enim jure ac institutione divina statutum est, Presbyteros ab Episcopis vocandos esse in partem sollicitudinis, curæ & administrationis regiminis Ecclesiastici. Qua etenim libertate partem aliquam suæ auctoritatis concedere illis possunt episcopi, eadem & possunt totam ad se revocare, sibique solis reservare; cùm id disciplinæ sit, *& ab humana consuetudine magis, quàm à divina dispositione profluere* testetur ipse S. Hieronymus. Et verò S. Cyprianus sæpius in suis Epistolis inculcat se ab initio episcopatus sui decrevisse nihil prorsus in tractandis Ecclesiæ suæ rebus moliri velle, nisi communicato cum suis collegis consilio: attamen non ita se ea lege adstrictum voluit, quin sine consilio Cleri sui & non rogato plebis consensu Aurelium Lectorem ordinaverit. *In Ordinationibus*, inquit, *Clerici, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare; sed expectanda non sunt testimonia humana, cùm præcedunt divina suffragia. Aurelius frater noster illustris adolescens à Domino jam probatus est &c.* *Ep. 33. p. 47.*

Ad quartum & quintum S. Hieronymi testimonium ductum ex Epistola ipsius 85. nunc 101. ad Evangelium, patet solutio ex dictis ad primum, secundum & tertium: eadem omninò responsio hìc adhibenda, scilicet, eosdem esse Presbyteros & Episcopos, nomine & appellatione, usu & exercitio jurisdictionis externæ, pro antiqua Ecclesiæ disciplina: non verò charactere, Ordine, jurisdictione, ac radicali potestate. Nec obstat comparatio Imperatoris, qui ab exercitu, & Archidiaconi, qui à Diaconis eligitur. Ad hoc quippè unum tendit hujusmodi comparatio, ex Ordine scilicet Presbyterorum unum assumi qui consecretur in Episcopum, sicut eligitur ex militibus Imperator, ex Diaconis Archidiaconus: modum verò consecrandi in Episcopum, non exponit, nec attingit citato loco S. Hieronymus, cùm ad scopum suum seu institutum nihil conferret.

Dices 3. Constat benè multis Ecclesiasticis monumentis Presbyteros in Conciliis simul cum Episcopis sedisse, & jus ferendi suffragii habuisse.

Resp. dist. ant. Presbyteri jus suffragii habuerunt in Conciliis, consultando, disputando, concedo: definiendo, subdistinguo: ex licentia Episcoporum, concedo: ex Ordinatione sua & innata potestate, nego. Summus Pontifex Gregorius XIII. consultus à Concilio Rhothomagensi an. 1581. an decisivum, vel tantùm consultativum suffragium haberent in Conciliis Presbyteri, Abbates &c. respondet *Abbates commendatarios, Capitulorum Deputatos vocem dumtaxat consultativam habere: Episcoporum Procuratores pos-*

Tom. 15. Conc. p. 873. *se, si Concilio provinciali placuerit, & decisivam habere*. Hinc Concilium Burdigalense an. 1583. ait: *Capitula Cathedralium sciant se in Synodo tantùm consulendi, non autem decernendi potestatem habere. Abbates, tam titulares quàm* Ibid. p. 989. *commendatarii, ecclesiarumque collegiatarum Procuratores, pro more hujus Provinciæ, eidem Synodo poterunt interesse, atque cum aliis de propositis deliberare,* Ibid. p. 1703. *non item judicare*. In altero verò Concilio Burdigalensi an. 1624. sic statutum est, *Sacro approbante Concilio decretis ultimi Concilii Burdigalensis inhærentes, opinionem quorumdam, qui ausi sunt asserere, præter episcopos quosdam etiam alios habere vocem decisivam in Concilio provinciali, ut erroneam judicamus*. Hìc adjici possent varia Cleri Gallicani Comitia, 1655. 1681. 1700. &c. Verùm de his non hìc locus.

De materia & forma Episcopatus.

Rectè admonet hìc Morinus Exercitatione 2. c. 1. *per materiam & for-* Pag. 19. col. 1. A. *mam episcopatus intelligi solemnes quasdam actiones, & præscripta verba, ita necessaria, ut nisi adhibeantur, effectu cassus sit ritus & inanis*.

Quæritur igitur, quæ actio, & quæ verba materiæ & formæ rationem habeant, cùm ordinatur quis in Episcopum, sive apud Græcos, sive apud Latinos.

Apud Græcos Episcopus ordinatur ritu qui describitur in Pontificali Arcud. p. 421. Haberti p. 66. & in Rituali Græcorum Goarii p. 302. & apud Arcudium lib. 6. Concordiæ, de Sacramento Ordinis cap. 2. Primò, qui ordinandus est ad Pontificem aliosque Assistentes Episcopos adducitur ante sacrum altare, ibique fronte incumbens sacræ aræ utrumque genuflectit. Secundò, Chartophilax (hoc est chartarum custos) Pontifici consecranti chartam porrigit in qua scriptum est, *Suffragio & consensu Deo amabilissimorum episcoporum & reverendorum Presbyterorum, divina gratia, quæ semper infirma curat, & ea quæ desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum, in episcopum à Deo custoditæ civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus*. Tertiò postquam ea recitavit Pontifex, unà cum pallio imposita manu, Evangelii Librum explicans imponit cervici & capiti ordinandi, contingentibus Pontificibus omnibus, moxque cruces tres in ejus capite exprimens, & manum ei impositam tenens, orationem fundit quæ incipit ab his verbis, *Domine Deus noster &c.* qua expleta coordinantium eum Episcoporum unus, submissa voce, à vicinis Pontificibus, eique responsuris, solummodo audienda, Diaconica hæc pronuntiat, *In pace Dominum precemur &c.* Quartò, his dictis Pontifex eodem modo impositam ordinati vertici manum tenens, precatur in hunc modum, *Domine Deus noster &c.* & dicto, *Amen*, elevat Evangelii codicem & sanctæ mensæ imponit; atque ita ordinato pallium imponit dicens, *Dignus &c.* Deinde ordinatum Pontifex ordinans deosculatur, sicut & reliqui Episcopi, & solita acclamatione terminata in consessum conscendunt: & prior reliquis ordinatus considens, lecto Apostolo, pacem precatur: & prior aliis pretioso corpori & sanguini Christi communicat; & ipse idem, Pontifici ordinanti, & reliquis communionem distribuit. En ritus quo Episcopi consecratio apud Grecos perficitur.

Quæstio est 1. Quid eo in ritu habeat rationem materiæ; an sola manuum impositio; an & ipsa codicis Evangeliorum supra cervicem ordi-

nandi

nandi expansio & impositio; an pallii traditio: sed de hac postrema vix esse potest controversia, cùm apertè constet ex Euchologio, jam ordinato Episcopo pallium imponi. Difficultas igitur esse potest dumtaxat de impositione manuum, aut sola, aut cui etiam accedat impositio codicis Evangeliorum. Solam impositionem manuum agnoscunt pro essentiali materia Arcudius, Goarius, Morinus, Hallerius, & Habertus Observatione prima in consecrationem Episcopi ad Pontificale Grecorum: quamquam ib. asserat, *tum impositionem manuum, tum formam ipsi correspondentem moralem habere conjunctionem ac unionem cum proximè sequenti evangeliorum applicatione*. 2. quæritur quænam sit forma Ordinationis episcopalis apud Græcos; an oratio qua invocatur Spiritus sanctus ad finem & effectum Episcopatus idoneum, ut censent vulgò Theologi; an & ista verba antea relata, *Divina gratia ..... hunc promovet, seu creat, instituit episcopum*, sicut existimat Arcudius de Ordine c. 8. hac ratione tentans conciliare formam Græcorum indicativam, cum forma imperativa qua Latini utuntur. P. 436. Hab. p. 79. P. 455.

Apud Latinos hæ cærimoniæ ac ritus usurpantur, quibus materiæ & formæ Ordinationis Episcopalis ratio adaptari dumtaxat potest.

I. Consecrator accepto Libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens imponit super cervicem & scapulas electi.

II. Consecrator & Assistentes episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum sanctum*, quo facto consecrator stans deposita mitra dicit: *Propitiare Domine supplicationibus nostri &c.*

III. Consecrator caput electi chrismate inungit dicens: *Ungatur & consecretur caput tuum &c.* similiter & ambas ejusdem manus, dicens: *Ungantur manus istæ de oleo &c.*

IV. Consecrator baculum pastoralem benedicit & tradit consecrato, dicens: *Accipe baculum &c.*

V. Idem consecrator annulum benedictum dat eidem consecrato, dicens: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum &c.*

VI. Consecrator accipit Librum Evangeliorum de scapulis consecrati, & adjuvantibus ipsum Episcopis Assistentibus, tradit eum clausum consecrato tangenti illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso &c.* Deinde consecrator recipit consecratum ad osculum pacis.

VII. Consecrator mitram benedictam imponit capiti consecrati, simul adjuvantibus Episcopis Assistentibus, dicens: *Imponimus Domine &c.*

Denique chirothecas etiam benedictas manibus consecrati imponit consecrator, dicens: *Circumda Domine manus hujus ministri tui &c.* Extant isti omnes ritus eo ipso ordine in Pontificali Romano.

Hallerius, De sacris Ordinationibus sectione 8. cap. 9. art. 3. duo observat. Primum, illam codicis Evangeliorum traditionem in manus episcopi consecrati cum verbis adjunctis, non præscribi nec in veteri Ordine Romano, nec in Sacramentali S. Gregorii; nec apud ullum antiquum Auctorem quem legerit, extare: alterum, in Sacramentali S. Gregorii præscribi ut postquam Episcopi manus ordinando imposuere, consecrator accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei dicens: *Accipe potestatem offerre sacrificium tam pro vivis atque defunctis*. Verùm Doctissimus Menardus in suis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii notis p. 305. P. 1000. n. 5.

observat *verba ista non extare in codicibus manuscriptis, neque in Ordine, & Pontificali Romano, neque in codice Tiliano, adeoque videri ea planè suppositita*. Incassum igitur laborat Hallerius, ut hujusce praxis rationem afferat. His positis: controversia est inter Theologos, quonam in ritu, ex recensitis, constitui debeat Ordinationis Episcopalis materia & forma essentialis. Consentiunt quidem omnes, impositionem manuum omninò essentialem esse, sed disputant 1. de impositione codicis Evangeliorum supra caput ordinandi: hanc tanquam essentialem non sine magna probabilitate à multis admitti observat Morinus Exercit. 2. c. 1. n. 3. nempè S. Antonino,
Pag. 19. col. 1. Hostiensi, Bovio, Turriano, Medina, Durando. Observat idem c. 2. n. 1. Omnes propè Scholasticos, qui de materia & forma Episcopatus dispu-
Pag. 22. col. 1. C. tant, illius formam in his verbis constituere, *Accipe Spiritum sanctum*. Neque, inquit, aliud sentire potuere, *cùm apud eos ratum sit & fixum, Ordinum formas necessariò esse imperativas.*

Pag 443. n. 29. Disputant 2. De traditione codicis Evangeliorum in manus ordinati. Hallerius, de materia & forma Sacramenti Ordinis art. 1. paragr. 13. existimat eam partialem esse materiam, quæ cum impositione manuum integram & completam perficit; partialem verò formam esse in his verbis, *Accipe Evangelium &c.* Cæteros verò ritus accidentales dumtaxat esse, seu ad ornamentum, seu ad majorem potestatis ac dignitatis Episcopalis significationem.

Isambertus de Sacramento Ordinis disp. 3. art. 4. hanc statuit propositionem, *Materia*, inquit, *Ordinationis episcopalis, prout adæquatè consideratur*,
Tom. 5. p. 427. col. 1. C. *est triplex partialis, triplex item forma partialis, triplici partiali materiæ correspondens. Prima materia partialis, est impositio manuum trium episcoporum super caput ejus qui ordinatur in Episcopum: forma ei correspondens sunt hæc verba, quæ tunc tres illi simul proferunt, Accipe Spiritum sanctum. Secunda partialis materia, est unctio capitis & manuum electi in episcopum per consecratorem Episcopum. Partialis forma ei correspondens, sunt verba quæ Episcopus consecrator tunc profert, scilicet, Ungatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Item, Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, & chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David Regem & Prophetam: ita ungantur & consecrentur in nomine Dei Patris & Filii & Spiritus sancti. Tertia & ultima partialis materia, est traditio baculi pastoralis, annuli, & Libri Evangeliorum. Forma ei correspondens, sunt verba quæ inter tradendum ista instrumenta Episcopus consecrator profert.* Hæc Isambertus, qui singulas propositionis suæ partes demonstrare nititur.

Non meminit ille ritus quo Evangeliorum codex supra caput ordinandi apertus tenetur, quamquam ritus sit longè antiquior traditione ejusdem codicis in manus consecrati.

To. 3. p. 739. col. 2 Vasquez in 3. p. disp. 240. c. 5. n. 8. docet, solam impositionem manus esse materiam, & ista verba: *Accipe Spiritum sanctum*, esse formam essentialem Ordinationis episcopalis. Ratio hæc ipsi est, quòd cùm jure divino tres Episcopi debeant esse ministri hujus Ordinis, atque sola impositio manus à tribus fiat, sicut & à tribus simul verba citata pronuntiantur, alii verò ritus ab uno consecratore Episcopo perficiantur, sola manus impositio materiæ, & sola verba formæ rationem habere possint. Morinus Exercit. 2. c. 1. & 2. in eamdem non obscurè inclinat sententiam, quam sequuntur ex recentioribus non pauci. Sit itaque

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Impositio manus cum codice Evangeliorum supra caput ordinandi, videtur esse materia essentialis adæquata Ordinationis Episcopalis: cæteri verò ritus, unctio capitis & manuum, traditio baculi pastoralis, annuli, & codicis Evangeliorum in manus consecrati, pertinent dumtaxat ad integram & magis expressam significationem Ordinis & dignitatis Episcopalis.

Prima pars, quæ est de manus impositione, fusè à nobis superiùs Art.2. Quæstionis 2. Conclusione 1. demonstrata fuit, tum ex Scriptura, tum ex constanti Traditione Ecclesiæ utriusque, sive Græcæ sive Latinæ, quę constanter ritum impositionis manuum retinuit, non tantùm in Ordinatione Episcoporum, sed & aliorum majorum Clericorum, Presbyterorum nempè ac Diaconorum. Consule quæ ibi dicta sunt.

Secunda verò pars, nempè impositionem codicis Evangeliorum supra caput ordinandi esse partialem veluti materiam Ordinationis Episcopalis,

Probatur 1. ex ipsius usu perantiquo in Ecclesia tum Græca tum Latina. Mentionem illius faciunt.

Clemens Romanus in Constitutionibus Apostolicis L.8. c.4. *Unus*, inquit, *ex primis Episcopis unà cum duobus aliis stans propè altare, reliquis Episcopis & Presbyteris tacitè precationem facientibus, & Diaconis aperta Evangelia super caput ejus qui ordinatur, tenentibus, in hunc modum precatur &c.* Non te moveat quod ait S. Clemens, codicem illum Evangeliorum teneri à Diaconis: eodem quippè sensu intelligi debet, quo rubrica Pontificalis ait, illum à Capellano Pontificis teneri, hoc est sustentari dum ab Episcopis imponitur, ne dilabatur, & graventur manus Episcoporum. Tom. 1. Conc. p. 459. A.

S. Dionysius c.5. Hierarchiæ ecclesiasticæ, Pontificem consecrandum nobis describit *super caput habentem divinitus data Evangelia, manumque Pontificis.* Cujus ritus hanc rationem reddit: *Quoniam*, inquit, *perfectiva omnis Sacerdotii virtus ac scientia Pontificibus à Deo afflatis datur, jure ac meritò pontificiis capitibus imponuntur divinitus inspirata Evangelia, quæ comprehensivè & scientificè manifestant Dei verbi, Dei opera, Deique visiones &c.* P.126.B. Pag.130. B. C.

S. Chrysostomus Homilia de Legislatore, *Idcircò*, inquit, *etiam in Ecclesia cùm ordinantur Sacerdotes*, (hoc est Episcopi) *Evangelium Christi capiti imponitur.* Rationem etiam subjungit, nempè *ut discat is, qui ordinatur, veram se recipere Evangelii tiaram; atque ut discat, quamvis sit omnium caput, se tamen legibus istis subjici; & eum qui omnibus imperat, legis imperio subesse; cumque qui omnibus dat mandata, à legibus mandatum accipere.* Ed. rec. Tom. 6. p.410.B.

Concilium Carthaginense IV. an. 398. cap. 2. *Episcopus*, inquit, *cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem* (vel verticem) *ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Tom. 2. Conc. p. 1199. D.

Denique tum Græci tum Latini Rituales Libri bene multi & antiquitate insignes in hoc ritu præcipiendo ac retinendo conspirant. Immeritò igitur & Alcuinus circa annum Christi 760. Libro de divinis Officiis, in titulo, *Qualiter Episcopus ordinetur in Ecclesia Romana*; & Amalarius annis post Alcuinum 70. lib. 2. de Officiis Ecclesiæ cap. 14. scripserunt ritum illum *veteri & canonica auctoritate non præscribi*. *Alcuino & Amalario*, ait Morinus

Pag. 20. col. 2. E. Exercit. 2. c. 1. n. 6. *contradicunt plures Rituales, quorum unus annis circiter centum Alcuino est antiquior, alii coævi*. Et ipse Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii p. 304. postquam Amalarii textum retulit, addit, *Sed ista omnia ex citatis locis satis refutantur*. Imò ipse Amalarius, quamvis ejusmodi impositionem Libri Evangeliorum minimè prohibet, illius tamen mysticam interpretationem statim subjungit: *Potest tamen*, inquit, *Evangelii impositio super caput, monere tenentes, ut quo Dominus idem Evangelium firmet in corde ejus, deprecentur; aut ut moneant eum qui consecratur, recordari se amplius esse sub jugo Evangelii, quàm foret*. Bibliot. PP. Tom. 14. p. 975. A.

Nec te moveat quòd hujusce ritus Scriptura non meminerit, aut quòd sine ipso legantur factæ aliquæ Ordinationes in Ecclesiis Alexandrina, Gallicana, Germanica, ut Morino placet, mox citato cap. n. 5. Namque facile ista conciliari possunt, si dicamus, Christum Ecclesiæ libertati reliquisse determinandi in specie signa quædam ad Sacramentum perficiendum idonea & necessaria, quæ pro data libertate aliquando usurpare, aliquando omittere potuit; quamquam nullo satis firmo demonstratur argumento, reipsa omissam aliquando fuisse illam codicis Evangeliorum supra caput ordinandi Episcopi impositionem.

Probatur 2. Quia nihil deest in illa codicis Evangeliorum suprà caput ordinandi impositione, ad rationem veræ materiæ sacramentalis, imò meliori jure hæc ipsi videtur convenire potius, quàm traditioni ejusdem codicis in manus consecrati, quæ tamen una, priori omissa, ab Hallerio & Isamberto assignatur pro materia essentiali, saltem partiali.

Namque 1. Circa primam illam codicis Evangeliorum impositionem, habemus antiquum & conformem Ecclesiæ utriusque usum atque consensum; non ita verò est de altera traditione ejusdem codicis in manus consecrati, quam nec habet Ecclesia Græca, nec Latina semper observavit, non diffitente ipsomet Hallerio loco antea citato. *Est quippè traditio hæc*, ait Morinus Exercit. 2. c. 2. n. 5. *res nupera, quam nulli Rituales ante quingentos annos scripti, nulli auctores ante idem tempus commemorant*. 2. antequam tradatur ille codex, dicitur jam consecratus Episcopus, in Pontificali Romano. 3. sicut huic traditioni cum verbis adjunctis spiritualis aliqua sanctificatio non deest, ita & impositioni codicis Evangeliorum supra caput & scapulas ordinandi, quæ juncta cum impositione manuum Episcoporum, & cum aut verbis istis, *Accipe Spiritum sanctum*, aut Oratione quam consecrator tunc pronuntiat, spiritualem gratiæ effectum hujus Ordinationis proprium significat & producit, gratiam scilicet necessariam ad sustinendum Evangelicæ prædicationis pondus, (quod Episcopis præcipuè incumbit) & quod per impositionem codicis Evangeliorum supra caput & scapulas significatur. 4. sic magis accedimus ad mentem & loquendi modum Concilii Florentini in Decreto, ubi ait *materiam Sacramenti Ordinis esse illud per cujus traditionem confertur*, illa verò impositio codicis Evangeliorum supra caput & scapulas, quædam est traditionis species. Neque enim strictè ac mathematicè vox hæc hic usurpanda, quasi hoc unum in Ordinis Sacramento materiæ rationem haberet, quod in manus ordinandi traditur ab ipso palpandum & contrectandum; aliàs nec ipsa manus impositio Episcopalis, nec consecratio seu unctio tum capitis tum manuum, dici possent habere materiæ rationem, ut per se patet: attamen admittitur utraque ab Isamberto pro materia essentiali partiali: satis igitur videtur esse ad mentem Concilii, quòd symbolum exterius phy-

Margin notes: P. 1000. Morin. p. 23. C. — P. 23. C. — Tom. 13. Conc. p. 538. E.

physico contactu aut applicetur, aut tradatur ordinando. 5. denique, antequam in manus ordinati tradatur Liber Evangeliorum, ac ipsi dicatur, *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso &c.* Jam perfectum essentialiter ac completum videtur Ordinis Episcopalis Sacramentum; jam etenim Episcopi Evangeliorum codicem apertum imposuerunt supra caput & scapulas; jam illi simul cum Episcopo consecratore manus suas tenentes supra caput ordinandi, dixerunt: *Accipe Spiritum sanctum.* Jam ipse consecrator Orationem qua divinam invocat gratiam, fuderat, quæ incipit ab his verbis in Pontificali Romano, *Propitiare Domine &c.* cùm verò perfecta hæc sunt, procul dubio vim suam & efficaciam jam tum exeruerunt: neque enim, ait Concil. Trid. sess. 23. can. 4. Episcopus frustra dicit, *Accipe Spiritum sanctum,* jam tum ergo Episcopus creatus est, ac proinde omnem Episcopalem potestatem adeptus, cujus pars est Evangelii prædicandi auctoritas. Cùm igitur his perfectis ac completis posteà jam consecrato Episcopo traditur codex Evangelicus, ac ipsi dicitur, *Vade, prædica:* quis non videat non tum primùm hanc auctoritatem ei conferri, sed jam collatam magis exprimi & significari; adeoque ritum hunc, sicut & alios suprà expositos, pertinere non ad substantiam, sed ad integritatem dumtaxat, & majorem Ordinis Episcopalis expressionem seu significationem? Sic *caput* Episcopi *inungitur*, ait Innocentius III. *De sacra unctione.* Capite 1. *propter auctoritatem, dignitatem & principatum quem tunc in Ecclesia accipit super alios*; manus verò inungitur, *propter ministerium & officium, in signum potestatis quam accepit benedicendi & consecrandi.* Pariter Episcopo consecrato traditur baculus pastoralis, quo significatur potestas jurisdictionis, jubendi, corrigendi, excommunicandi &c. *Annulus etiam traditur, in signum conjugii spiritualis quod contraxit cum sua Ecclesia.* Liber item Evangeliorum porrigitur ipsi, ut symbolum sit potestatis quam habet ex officio prædicandi Evangelium. Horum autem rituum antiquitatem, varietatem, significationem, auctoritatem, multis testimoniis comprobatam lege apud Hallerium, De sacris Ordinationibus sectione 8. c. 9. art. 3. & 4. c. 1. Quod est de sacra unctione, articulis 1. 2. 3. & 4. atque hinc probata manet tertia Conclusionis nostræ pars.

Tom. 14. Conc. p. 864. B.

Decret. p. 278.

Pag. 998. & seq.

Dices 1. Cùm Episcopi imponunt supra caput electi codicem Evangeliorum, nihil pronuntiant, ut disertè observat Pontificale Romanum; ergo illa impositio non potest habere rationem materiæ sacramentalis, hæc enim debet simul adjunctam habere formam.

Resp. nego conseq. Sufficit etenim ut, dum tenetur expansus & apertus Liber supra caput & scapulas ordinandi, pronuntientur ista verba, *Accipe Spiritum sanctum*, ac consecrator Episcopus Orationem fundat quæ incipit, *Propitiare Domine &c.* cum illis etenim verbis moraliter conjungitur (quod sufficit) ipsa impositio codicis Evangeliorum.

Dices 2. Huic impositioni Libri Evangeliorum nullam à SS. Patribus gratiam attribui legimus; ergo &c.

Resp. nego ant. Qui enim illius fecere mentionem, aliquid spiritale per eam significari observant, ut SS. Dionysius, & Chrysostomus antea citati. Præterea verò, satis est quòd ritus ille conjunctus referatur cum impositione manus, & Oratione qua invocatur ac traditur gratia Spiritus sancti.

Dices 3. Cum Morino Exercit. 2. cap. 1. n. 9. Triplex occurrit circa illam codicis Evangeliorum impositionem varietas, quæ cum materia Sacramenti fixa & constanti congruere non potest. Prima varietas respicit ipsum

codicem: alii enim apertum, alii clausum imponunt. Secunda varietas respicit locum seu partem corporis cui imponitur: Græci Rituales ajunt imponi supra caput & cervicem; Nestoriani verò super dorsum. Tertia denique varietas spectat tenentes ipsum codicem: S. Clemens à Diaconis, Pontificale verò Romanum ab Episcopis teneri præcipit.

Resp. varietates illas nullius esse momenti, cùm rei naturam ac substantiam non immutent: sit clausus, sit apertus codex, idem tamen codex est: Pontificale Romanum ut & Græcorum Ritualia apertum esse declarant. Secunda pariter varietas nulla est: sic enim imponitur Liber supra caput electi, ut inferior pars Libri cervicem capitis tangat, littera ex parte inferiori manente; ita ut simul supra cervices & scapulas collocetur. Ita Pontificale Romanum. Nulla pariter est tertia varietas; Diaconus enim non imponit Librum, sed ab Episcopis impositum, ille, vel Capellanus sustentat ne dilabatur. Ita quoque præcipit rubrica in Romano Pontificali.

Dices 4. Scriptores Ecclesiastici effectum spiritualem adscribunt aliis ritibus qui adhibentur in Ordinatione Episcopali. Aliunde verò certum videtur, in Sacramento Ordinis eam esse veram materiam, per quam exprimitur ac confertur potestas huic Ordini conveniens: at per consecrationem, traditionem baculi, annuli, & codicis Evangeliorum significatur & traditur potestas aliqua conveniens Episcopali dignitati.

Resp. etiam ipsis Sacramentorum cærimoniis suam non deesse mysticam significationem, ac effectum quemdam spiritualem: an propterea eas ad substantiam Sacramentorum pertinere dici meritò potest? minimè. Ritus ergo illi qui adhibentur in Ordinatione Episcopali, habeant talem significationem & effectum, non idcircò tamen essentiales illos dicemus: expressiùs quidem ac significantius demonstrant auctoritatem aliquam jam datam & collatam, verùm eam ex sese non conferunt. Nec propterea sequitur, falsò enuntiari per hoc & illud symbolum, v. g. baculum, & Librum evangeliorum, tradi potestatem regendi, & prædicandi evangelium: namque licèt revera his ritibus non tradatur, sed jam tradita sit; quia tamen expressiùs declaratur data potestas, falsa non est enuntiatio. Sicut quando Sacerdos in Matrimonio dicit, *Ego vos conjungo*; non est falsa enuntiatio, etiam in opinione eorum qui contendunt contrahentes esse ministros: quia licèt his verbis Sacerdos propriè non conjungat, declarat tamen esse conjunctos, ac confirmat jam factam unionem.

SECUNDA CONCLUSIO.

Forma Ordinationis episcopalis apud Græcos & Latinos est oratio invocans Spiritum sanctum, cui apud Latinos non incongruè præmittuntur hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum*. Apud Græcos verò ista, *Divina gratia hunc promovet &c.* non formam, sed electionis jam factæ promulgationem ac proclamationem continet. Est contra Arcudium.

Probatur 1. Quia in eo reponenda est forma Ordinationis episcopalis, in quo & Scriptura, & ecclesiæ utriusque constans ac perpetuus usus eam reponit, quodque significantiùs exprimit gratiam Spiritus sancti, tanquam effectum Ordinationis episcopalis proprium & singularem: atqui talis est oratio.

oratio. *Orantes imposuerunt eis manus*, ait Scriptura referens Ordinationem Diaconorum ab Apostolis factam Act.6. v.6. Et c.13. v. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur: *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*. Hanc Orationem, quamquam verbis diversam sensu tamen eamdem, & ad eumdem effectum ordinatam constante retinuit utraque Ecclesia Græca & Latina, ut apertè demonstrant utriusque Libri Rituales.

Non immeritò tamen Latina Ecclesia, pro libertate à Christo concessa, Orationi præmisit ab aliquot seculis, ista verba, *Accipe Spiritum sanctum*, ad imitationem Christi, qui Apostolis suis dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* quæ verba licèt modo imperativo minister pronuntiet tanquam potestatem habens à primario gratiæ fonte & auctore Christo, tacitam nihilominus deprecationem & orationem, eamque divina ordinatione efficacem continent; qua minister celestem implorat opem, & gratiam advocat supra ordinandum. Unde meritò Conc. Trid. Sess.23. Can.4. definit: *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum &c. anathema sit.* Tom.14. Conc. p. 864. A.

Probatur 2. adversùs Arcudium, verba ista Euchologii, *Divina gratia quæ semper infirma sanat, promovet hunc &c.* non exprimere formam, sed promulgationem dumtaxat seu proclamationem electionis factæ N. in Episcopum. Mor. Exerc. 2. c.3. & 4.

I. Quia ipsa Euchologia hunc sensum apertè declarant: ajunt enim post trisagion Patriarcham sedere in Sanctuario, atque à Cartophylace ei chartam porrigi seu publicum instrumentum in quo scriptum est, *Suffragio & approbatione Episcoporum, ac Presbyterorum, divina gratia hunc promovet Episcopum &c.* Quis non videat formulam istam esse decretum quo electio declaratur, approbatur, & confirmatur?

II. Cùm ista verba pronuntiantur, *Divina gratia &c.* nondum materia subest, manuum videlicet impositio; sed tantùm post aliquot actiones interpositas subjicitur, ut in Euchologiis videri licet.

III. Post ista verba funduntur orationes supra electum.

IV. Verbum græcum προχειρίζομαι in quo vim facit Arcudius, & quod vertit per *creo, constituo*, magis ordinaria significatione idem est ac *eligo, destino, repræsento*, cujus rei exempla nonnulla profert Morinus citata Exercit.2. c.3. n.9. Pa. 25.

V. Ratio quæ Arcudium ad hanc sententiam impulit, est præjudicata multorum è nostris opinio, qui nullam aliam agnoscebant Ordinationis formam, quàm imperativam: cùm verò ipse Arcudius in animum induxisset suum, utriusque Ecclesiæ formas Sacramentorum conciliare secum, atque in Ordinationibus græcis nihil deprehenderet quod modum loquendi imperativum referret, sed sola deprecatoria verba: id quod imperativo modo secundùm Doctores Scholasticos vicinius est, spontè selegit, indicativam scilicet formulam in majorum Ordinum ritibus occurrentem: atque idcircò confinxit, in istis Euchologii verbis indicativis, *Divina gratia hunc promovet*, positam esse Ordinationis Episcopalis formam. At illa Arcudii ut & aliorum opinio de forma imperativa, quasi necesse foret modo imperativo eam enuntiari, hæc, inquam, opinio firma satis ac solida non videtur: perinde quippè est ad substantiam formæ sacramentalis, sive indicativo, sive imperativo, sive deprecativo modo proferatur.

Nec te moveat quòd in tertia persona dicatur, *Divina gratia hunc promovet*.

vet. Græci etenim præ modestia in tertia persona, cùm de actionibus divinis quæstio est, loqui solent, vel directè eas divinitati tribuunt: vix unquam de se prima personam usurpant. Lege Morinum loco mox citato.

De ministro Ordinationis Episcopalis.

Episcopum, ministrum esse Sacramenti Ordinis à Deo institutum, antea probavimus: hìc autem quæstio movetur de numero Episcoporum requisito, ut legitima & valida sit alicujus in Episcopum Ordinatio; an scilicet plures necessarii sint, ita ut si fuerint duobus aut tribus pauciores, non tantùm illicita, sed planè nulla sit & irrita Ordinatio. Illicitam esse fatentur omnes, cùm sit adversùs constantem ac perpetuam Ecclesiæ legem: an verò sit nulla & irrita, dissentiunt Theologi. Affirmant Cajetanus 3.p. q.67. a.6. Bellarminus de notis Ecclesiæ c.8. Vasquez in 3. partem disp.243. c.6. n.63. Habertus observatione 2. in consecrationem Episcopi, ad Pontificale Græcorum; Hallerius ipse, De sacris Ordinationibus sectione 5. c.2. a.2. paragr.3. sententiam hanc (quamquam eam non sequatur) communiorem esse ac suo tempore magis receptam fatetur: quapropter in utramque partem, adductis utrimque momentis ac responsionibus, præsertim versat ille controversiam. Existimant nihilominus hi Auctores, ex dispensatione posse aliquem validè in Episcopum ab uno dumtaxat ordinari. Negant ex altera parte Paludanus Lib. de potestate Papæ: Sylvester verbo *Consecratio*; Hallerius loco mox citato & alii, qui unum dumtaxat Episcopum, qui consecrator appellatur, verum esse ac solum essentialem Ordinationis ministrum, alios verò duos Assistentes, ad solemnitatem dumtaxat & ritum consecrationis ecclesiastica institutione requiri arbitrantur.

Habertus p.80. & seq. Hall. p.589.

Observat loco citato Habertus, discrimen esse inter utriusque Ecclesiæ, Romanæ scilicet & Græcæ, ritum circa numerum Episcoporum consecrantium, quòd nempè Romanus Ordo tres tantùm Episcopos exigat, consecrantem unum, ut vocant, & duos Assistentes, Græca verò *diataxis* numerum non definiat, sed omnes præsentes, quotquot sunt, Librum Evangeliorum contingere & imponere præscribat. Cujus rei ratio est, *quòd omnes Episcopi Græci ordinationi seu consecrationi præsentes, Pontificalibus indumentis vestit, Liturgiam cum ipso etiam Patriarcha celebrent; ac idcircò nihil mirum si cùm Christi ipsius corpus conficiant, Christi ectypum omnes consecrare quoque possint.*

In Ecclesia quoque Africana id moris fuit, ut quotquot adessent Episcopi, manus ordinando imponerent. *Episcopus*, ait Conc. Carthag. IV. Capitulo 2. *cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* His præmissis fit

Tom. 2. Conc. p. 1199 D. E.

CONCLUSIO.

In consecratione Episcopi plures comministros Episcopos adhibendos esse, docet Apostolica Traditio ac constans praxis Ecclesiæ; atque aliter quàm à tribus vel duobus saltem factam Ordinationem, non illicitam modò sed etiam irritam ac nullam esse, probabilius videtur.

Prima pars ex certissimis antiquitatis monumentis eruitur.

S. Paulus 1. ad Timoth.4. v.14. *Noli*, inquit, alloquens, Timotheum, *negli-*

negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii. Hoc est, ut suprà non semel observavimus, *collegii seu cœtus Episcoporum.* Ita enim S. Chrysostomus, Oecumenius & alii. Vel ipsa igitur S. Pauli ætate Episcopus à pluribus ordinabatur; ex Traditione igitur Apostolica promanavit ritus ille.

Canon I. inter eos qui Apostolici circumferuntur, sic statuit: *Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinetur.* Tom. 1. Conc. p. 26. A.

S. Clemens Constitutionum Lib. 3. cap. 20. *Jubemus*, inquit, *ut à tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimùm, à duobus, ita ut ab uno constitui non possit: testimonium enim duorum & trium firmius est & certum.* Ibid. p. 325. B.

Eusebius L. 2. Hist. c. 1. refert ex S. Clemente Alexandrino L. 6. institutionum, *S. Jacobum ordinatum fuisse Jerosolymorum Episcopum à Petro, Jacobo seniore & Joanne.* Verùm Habertus, loco anteà citato, hisce Clementis Romani ut & Anacleti, Aniceti, & Damasi testimoniis, quæ hic laudari solent, posthabitis: *quæ cordatis omnibus*, inquit, *nihil sæculo tanto dignum sapiunt*, ad ipsam Ecclesiæ constantem doctrinam ac usum provocat. Habert. p. 81.

S. Cyprianus Epistola 68. ad Clerum & plebes in Hispania consistentes, graviter expostulat de Ordinatione Basilidis & Martialis in Episcopos, eo quòd contra divinam & Apostolicam Traditionem non convocatis Provinciæ Episcopis facta fuisset. *Diligenter*, inquit, *de Traditione divina, & Apostolica observatione observandum est & tenendum, quod apud nos quoque & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant .... Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri Ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nec rescindere Ordinationem jure perfectam potest, quòd Basilides &c.* Pa. 114.

Concilium Arelatense I. an. 314. Can. 20. *Debis*, inquit, *qui usurpant sibi quòd soli debeant Episcopos ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis: si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.* Tom. 1. Conc. p. 1429. B.

Adeo vel ipsis Hæreticis, ac Schismaticis persuasum erat, nonnisi à pluribus Episcopis perfici posse episcopalem consecrationem, ut Novatianus ipse tres advocaverit Episcopos, à quibus seductis & crapula oppressis ordinatus fuit. Ita refert Eusebius ex Epistola Cornelii ad Fabium Antiochenum L. 6. Hist. c. 43. Pagina 243. D.

Concilium Nicænum generale I. an. 325. Can. 4. *Episcopum*, inquit, *convenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in Provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem; tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc Ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur, per unamquamque Provinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.* Tom. 1. Conc. p. 40. B. C.

Concilium Antiochenum an. 341. Can. 19. & Sardicense an. 347. Can. 5. optant cum Nicænis Patribus, ut omnes Provinciæ Antistites intersint Ordinationi Comprovincialis sui. Addit citatus Canon Antiochenus, aliter quàm per plures factam Ordinationem *non valere.* Ibid. p. 570. C. D. Ib. p. 645.

Concilium Carthaginense II. an. 397. Can. 12. tres Episcopos exigit *qui cum Primatis præcepto Episcopum ordinent.* Ibid. p. 1163. A.

Car-

Carthaginense verò III. Can. 39. quamquam improbet Ordinationem factam à duobus dumtaxat Episcopis, atque duodecim exigat, nihilominus à tribus absolutè illam perfici debere pronuntiat: *Forma antiqua servabitur*, inquit, *ut non minùs quàm tres sufficiant, qui fuerint destinati ad Episcopum ordinandum*.

Ibid. p. 1172. E.

Ex his certum illud ac apud omnes constitutum esse debet, plures in ordinando Episcopo concurrere debere comministros Episcopos, quorum numerus aliquando major, aliquando minor legitur, sed nunquam inferior numero trium vel saltem duorum; atque secus attentatam Ordinationem improbatam fuisse, velut irritam & nullam, quæ secunda pars est nostræ Conclusionis.

Probatur itaque secunda pars: quia quod ex Traditione divina & apostolica dimanat, quod Ecclesia semper usurpavit & usurpat, sine quo illegitima, nulla, irrita dicitur esse Ordinatio, haud dubiè ad substantiam ipsius Ordinationis pertinet: atqui plures Episcopos concurrere debere ad consecrandum Episcopum, ex divina & apostolica dimanat Traditione, ut patet ex S. Cypriano citato. Pluralem illum numerum semper commendavit ac retinuit usus Ecclesiæ, atque sine illo illegitimam, irritam & nullam esse Ordinationem, patet ex jam citato Can. 19. Concilii Antiocheni. Patet ex Theodoreto (si tamen vera est ejus narratio) L. 5. Hist. c. 23. ubi ait Evagrii Ordinationem in Episcopum fuisse contra ecclesiasticas regulas... eum non legitimè ordinatum, eo quòd à solo Paulino multis violatis Canonibus promotus fuisset. *Hi enim*, inquit, *neque morienti Episcopo permittunt ut suo loco quemquam constituat, & omnes Provinciæ Episcopos convocari jubent. Præterea absque tribus Episcopis Ordinationem cujusquam Episcopi fieri vetant*.

Ed. Vales. pag. 230. A.

Patet ex Synesio Epistola 67. ad Theophilum, ubi narrat, Siderium à solo Philone Cyrenensi in Episcopum Palæbiscum ordinatum, & quidem contra omnia jura. *Quamobrem*, inquit, *unum illum & solum Palæbisce Episcopum creatum, sed nec ipsum legitimè, imò contra jura omnia, quantùm de senioribus accepi; cùm neque sit Alexandriæ, neque à tribus hic constitutus*. Ibidem ait quidem Synesius, Philonem illum *ex præscripto christianæ disciplinæ vixisse, sed quòd ad regendum & parendum attinet, audaciorem magis quàm legum observantem illum fuisse*.

Pagina 210. A.

Ibid.

Patet ex Concilio Regensi an. 439. ubi Armentarii Ordinatio in Episcopum Ebrodunensem improbatur, quòd non à tribus, sed duobus dumtaxat Episcopis facta fuisset. *Itaque*, inquiunt Concilii Patres Can. 2. *Ordinationem quam Canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam esse censuimus, in qua prætermissa trium præsentia, nec expetitis Comprovincialium litteris Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsus nihil, quod Episcopum faceret, ostensum est*.

Tom. 3. Conc. p. 1286. A.

Patet ex Can. 21. Concilii I. Arausicani an. 441. quo depositionis pœna animadvertitur in eos Episcopos qui tribus pauciores aliquem in Episcopum consecrare præsumpserint. *In nostris Provinciis*, inquit Canon, *placuit de præsumptoribus, ut sicubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiæ ipse qui vim passus est substituatur, si tamen vita respondet; & alter in alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quo cautiùs ea quæ sunt antiquitus statuta serventur*.

Ibid. p. 1450. D.

Dices 1. Momenta mox adducta eò tendunt unicè, ut probentur illicitæ

citæ & illegitimæ Ordinationes Episcoporum à paucioribus quàm tribus factæ, quod omnes concedunt: at eas esse quoad substantiam irritas & nullas, minimè convincunt; imò contrarium planè ex ipsismet modò prolatis exemplis eruitur. Namque

I. Nos ipsi observavimus antea, usitata Scriptoribus ecclesiasticis loquendi ratione irritam & nullam dici Ordinationem quæ suo caret usu, officio & exercitio, qualis est ea omnis quæ contra Canones attentatur.

II. Ex usu & praxi Ecclesiæ colligi dumtaxat potest illum Episcoporum numerum necessarium quidem esse ecclesiastica institutione ad solemnitatem ritus seu Ordinationis episcopalis, non autem jure divino ad ejus substantiam, nisi pari ratiocinio velles contendere, mixtionem aquæ cum vino eucharistico, quam tota commendat & præcipit Traditio Ecclesiæ, pertinere ad substantiam consecrationis calicis, quod tamen nos ipsi negavimus, ubi de Eucharistia.

III. Evagrii Ordinatio, de qua Theodoretus, ab omnibus Occidentalibus Episcopis recepta & approbata fuit, quamquam à solo Paulino facta; nec unquam aut Græci aut Latini de illa iteranda deliberarunt: imò Innocentius I. Epistola 14. ad Bonifacium, Alexandrum legitimum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum agnovit, quibusdam præscriptis conditionibus, quarum una erat, ut eos, qui à successore Paulini Evagrio ordinati fuerant, ipse reciperet cum honoribus ac gradibus; ratam igitur ac validam existimavit Evagrii Ordinationem, etsi ab uno Paulino factam. Tom. 2. Conc. p. 1265.

IV. Sinesius laudata Epistola 67. quamquam improbet ut illicitam Ordinationem Siderii à solo Philone perfectam, eam tamen non rejicit tanquam nullam & invalidam; imò potius: ait enim *formidolosis temporibus summum jus prætermitti oportere; ideoque magnum Athanasium tempori id dedisse, ac non multò post cùm exiguam adhuc orthodoxæ fidei scintillam, quæ in Ptolemaide erat, fovere, & magis magisque accendere oporteret, hominem illum* (Siderium) *majoribus regendis idoneum eò commigrare jussisse, ut Metropolitanam Ecclesiam gubernaret*. Nulla ibi mentio iterandæ Ordinationis. Pagina 210. B.

V. Armentarius, de quo Synodus Regensis, in Chorepiscopum redigitur, ea tamen lege ut ab eo priùs ordinati in Clero remaneant, & ipse ab Ordinatione quidem abstineat, confirmare tamen possit; *& per omnia semper se inferiorem Episcopo, superiorem Presbytero agat*, ajunt Patres Can. 5. dictæ Synodi. Persuasum igitur illis fuit, validam & ratam fuisse quoad substantiam illius Ordinationem, quamquam non à tribus, sed à duobus Episcopis factam. Tom. 3. Conc. p. 1288. A.

VI. Synodus Arausicana I. Canone 21. non jubet iterum ordinari eum qui à duobus dumtaxat fuerat ordinatus, sed eum in locum unius Ordinatoris substitui vult. Tom. 3. Conc. p. 1450.

VII. Denique, Gregorius Magnus interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo quot necessarii forent Episcopi in Episcopi consecratione, sic respondit, *Ut quidem in Anglorum Ecclesia, in qua tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis putes*. Atque de Pelagio primo narrat Anastasius Bibliothecarius, *dum non essent tres Episcopi qui eum ordinarent, duos Episcopos Joannem de Perusio, & Bonum de Ferentino, & Andream Presbyterum de Ostiis, eum ordinasse in Pontificem*. Tom. 2. p. 1155. D.

Henriquez Summæ To. 1. L. 10. c. 24. & alii referunt Gregorium XIII. concessisse Patriarchæ Æthiopiæ, qui erat è Societate Jesu, ut solus sine Pa. 42.

assisten-

assistentibus pluribus Episcopis, posset, si expediret, Episcopos consecrare. Porrò si hoc esset contra jus divinum ac substantiam Ordinationis, permittere non potuit S. Pontifex. His accedit S. Clemens qui L. 8. Constit. c. 27. permittit ut in necessitate, cùm plures convocari non possunt Episcopi, Ordinatio ab uno fiat.

Tom. 1. Conc. p. 493. A.

Resp. nego ant.

Ad primam probationem: fatemur quidem per irritam Ordinationem designari aliquando apud Scriptores ecclesiasticos, eam quæ illicita cùm sit suo caret usu, exercitio & officio, quamquam rata habeatur & valida quantùm ad substantiam & characterem: at non eo tantùm sensu hìc appellari irritam Ordinationem persuadet universa Traditio, quæ aliter quàm à pluribus consecratum Episcopum pro Episcopo non habuit.

Ad secundam eadem est responsio. Ad exemplum verò aquæ calici eucharistico miscendæ, disparitas est, quòd eadem Traditio quæ docet esse admiscendam, docet pariter eam ad substantiam consecrationis calicis non pertinere, ut diximus in nostro de Sacramento Eucharistiæ Tractatu.

Ad tertiam, dici potest 1. ab Occidentalibus & Ægyptiis rei seriem planè ignorantibus approbatam fuisse Evagrii Ordinationem, non verò à Græcis, qui ab eo dissidebant, nec pro vero Episcopo eum habebant, uni Flaviano adhærentes. Ita testatur S. Basilius Epistola 349. ad Terentium Comitem. *Illi*, inquit (Occidentales) *penitus ignorant nostrarum rerum conditionem: & illi qui videri volunt cognoscere, contentiosè magis quàm verè referunt*. Si ergo vera est Theodoreti narratio, ac Evagrius à solo Paulino ordinatus fuit Episcopus, nonnisi ex ignorantia facti talem Ordinationem probare potuere Latini. Verùm dici 2. & quidem verisimiliùs, potest, aut fallere voluisse Theodoretum, aut deceptum fuisse, cùm scripsit Evagrium ab uno Paulino adhuc vivente fuisse ordinatum. Socrates enim L. 5. c. 15. & Sozomenus Lib. 7. c. 15. referunt, *mortuo Paulino populum, qui eum sequebatur, Flaviano parere recusasse; eamque ob causam Evagrium suæ partis Episcopum ordinandum curasse*. Ita Socrates. Curavit haud dubiè populus ordinandum Evagrium ritu consueto, per plures scilicet Episcopos, vel Græcos, vel Ægyptios, vel Latinos qui Paulini partes tuebantur: unde mirum non est si talis Ordinatio Latini rata & valida fuerit. Discordiæ igitur causa Orientales inter & Occidentales non fuit præcisè Ordinatio Evagrii ab uno Paulino facta, (à pluribus enim fieri debere Episcopi consecrationem omnes consentiebant) sed quòd Orientales unum legitimum agnoscerent Episcopum Antiochenum Flavianum magni Meletii successorem, Occidentales verò Paulinum, &, qui ipsi successerat, Evagrium, de qua discordia lege Historicos Theodoretum, Socratem & Sozomenum locis citatis. Atque hinc Orientalibus illegitima, Occidentalibus verò legitima videbatur tum Paulini, tum Evagrii in Episcopum Antiochenum Ordinatio, quæ dissensio tandem sopita fuit, & pax reddita utrique Ecclesiæ.

Edit vet. To. 2. p. 1128. D.

Socr. p. 273. Sozom. p. 723.

Ad quartam, dicendum aut postmodum emendatum ac correctum fuisse quod in Ordinatione Siderii defuerat; aut existimasse S. Athanasium, in casu illo necessitatis ac urgentissimæ utilitatis Ecclesiæ, posse ab uno Episcopo aliquem in Episcopum consecrari, Deo supplente quod ex parte hominum defuerit.

Ad quintam, facilè reponitur Armentarium à duobus saltem fuisse ordina-

dina-

dinatum, quod ad validam Ordinationem satis est; præsens enim quæstio non est de quantitate numeri, an tres vel plures requirantur Episcopi, sed an unus sufficiat.

Ad sextam eadem est responsio.

Ad septimam, legitima S.Gregorii verba nobis potius favent, sic enim legi debent: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter nisi cum Episcopis potes. Nam quando de Galliis Episcopi veniunt, illi in Ordinationem Episcopi teste tibi assistent.*

Pelagius verò I. à duobus saltem est ordinatus, quod sufficere dixit Canon Apostolicus. Diploma verò Pontificium Gregorii XIII. quod Henriquez memorat, fictitium videtur, necdum exhibitum: quod autem ex B. Clemente refertur, illius ævi morem profectò non sapit, & ab aliquo posteriori scriptum fuisse oportet.

Dices 2. In veteri Ordine Romano & in Pontificali hodierno, ubi de consecratione episcopali agitur, unus solùm consecrator vocatur, reliqui Assistentes dumtaxat dicuntur: unus ergo est hujus consecrationis essentialis ac necessarius minister.

Deinde unus Sacramenti, cujusmodi est consecratio episcopalis, unus per se debet esse minister qui per se effectum Sacramenti operetur.

Resp. ad primum, nego conseq. tres enim Episcopi simul & manus imponunt, & librum Evangeliorum supra ordinandum, & verba proferunt. Quod ergo unus tantùm consecrator dicatur, ratio est, tum quòd *Hal.p.588.* penes unum, puta Metropolitanum, aut eum qui ejus vices gerit, præcipuè consecrandi jus & auctoritas resideat; tum quòd unus solus cærimonias omnes magna ex parte faciat; tum quòd unica sit consecratio, ad quam licèt plures adhibeantur, omnes tamen præcipuo consecratori cooperantur, & conjunguntur ad unam perficiendam consecrationem, & Ecclesiæ unitatem demonstrandam, quæ ex pluribus Pastoribus resultat, uni semper, tanquam capiti, unitis.

Antiquitus quotquot episcopali consecrationi cooperabantur, Ordinatores dicebantur, sicut patet ex Can.14. Concilii Milevitani II. an.416. *Placuit*, inquiunt Patres, *ut quicunque deinceps ab Episcopis ordinantur, Litteras accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem, & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.* *Tom. 2. Conc. p. 1541.C.*

Ad secundum, dist. unus Sacramenti debet esse unus minister, totalis ex multis partialibus resultans, concedo: unus per exclusionem consortis & partialis ministri, nego. Hoc enim proprium esse voluit Christus consecrationis episcopalis, ut à pluribus, qui per modum unius agunt, perficeretur: quomodo Sacerdotes recenter inaugurati simul cum Episcopo consecrant, & unica est totalis consecratio resultans ex illis partialibus; quomodo etiam à pluribus simul Sacerdotibus ministratur in Ecclesia Græca Sacramentum Extremæ unctionis.

Quæres 1. quæ causæ sint ac rationes cur plures Episcopi ministri esse debeant Ordinationis episcopalis.

Resp. Hallerium istas observare. 1. ad Episcopatus unitatem servandam ac demonstrandam. *Episcopatus enim unus est*, ait, S.Cyprianus Epistola 52. *Episcoporum multorum concordi numerositate diffussus.* 2. ut divina gratia, quæ in iis Ordinationibus maximè necessaria est, magis appareat, multis ad unum consecrandum conspirantibus & concurrentibus, tum votis, tum *P.580.n.9. P. 73.*

ora-

orationibus, tum ministerio. 3. ne in re tanti momenti, quanta Episcopalis est Ordinatio, unius judicio cum periculo fidei fideretur, & ambitioni exinde, ac tyrannicæ cuidam potestati via aperiretur. *Ne unus Episcopus*, ait S.P. Siricius Epistola 4. c.2. *Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præstitum videatur*. *Episcopus*, ait Isidorus Hispal. L.2. de Ecclesiasticis officiis cap.5. *non ab uno, sed à cunctis Comprovincialibus Episcopis ordinetur, id propter hæreses institutum agnoscitur, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ unius ordinantis tyrannica auctoritas moliretur*.

Tom. 2. Conc. p. 1029. D. P. 598. col. 1. H.

Quæres 2. ad quos pertineat jus consecrandi Episcopos, Archiepiscopos seu Metropolitanos, Primates, Patriarchas.

To. 1. p. 431. Resp. 1. jus consecrandi Episcopos ad duodecimum usque sęculum lege communi & ordinaria pertinuisse ad Metropolitanum, & Comprovinciales Episcopos de consensu ipsius Metropolitani. Patet ex paulò antè citatis testimoniis. Unde sanctus Bernardus L. 3. de Consideratione c. 4. refert nonnullos tunc temporis Episcopos adversùs sanctam Sedem expostulasse, de suis juribus truncatis & imminutis in Episcoporum Ordinationibus. Plura eam in rem eruditè & historicè congesta reperies apud Hallerium, De Sacris Ordinationibus sect.5. cap.4. art.1. quem consule. Quas autem jam diximus Metropoles Ecclesias, eas Tertull. Lib. de Præscriptionibus cap.20. & 21. *matrices ac originales fidei* appellabat, *à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cætera deinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant*.

P. 679. & seq. P. 209. A. P. 208. D.

Resp. 2. Archiepiscopos & Metropolitanos consecratos olim fuisse vel à propria Synodo Episcoporum Provinciæ, vel à Metropolitanis finitimis, vel à Primate aut Patriarcha, cujus disciplinæ exempla varia refert mox citatus Hallerius eodem c. art.2.

P. 715 & seq.

Quæres 3. quod juris habeat S.Pontifex in Ordinationibus Episcoporum.

Respondet Hallerius ibid. art.3. S.Pontificem considerari posse, vel ut Archiepiscopum seu Metropolitanum Romanæ Provinciæ, vel ut Primatem Italiæ & Regionum adjacentium, vel ut Patriarcham totius Occidentis, vel denique ut Episcopum omnium Episcoporum. Sub triplici priori consideratione idem fuit S.Pontificis ac cæterorum Metropolitanorum, Primatuum aut Patriarcharum jus in ordinandis Episcopis: ut verò omnium Episcoporum primus, consecratos Episcopos mittere potest ut Evangelium annuntient, ac fundent Ecclesias apud nationes infideles: cæteri Episcopi cum ipso communionem fovere, ac communicatorias ad ipsum scribere Epistolas tenentur; cujus quidem communionis cum Ecclesia matrice tantum apud Fideles omnes momentum semper fuit, ut eam Hæretici vel Schismatici Episcopi semper exambiverint, atque omni arte & dolo eam suffurari & obtinere tentaverint. Jam Occidente toto quotquot eliguntur Episcopi, à S. Pontifice confirmari debent antequam consecrentur. Lege Hallerium.

P. 723. & seq.

De subjecto Episcopatus.

Non hic quærimus de dotibus seu virtutibus quibus instructi esse debent Episcopi, quas eximiè descripsit S. Paulus cap.3. prioris ad Timoth. Epistolæ his verbis: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum .... Oportet autem illum & testi-*

testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Et in Epistola ad Titum cap. 1. v. 7. *Oportet*, ait, *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Quæstio pariter non est, an illicita foret Ordinatio alicujus in Episcopum, qui priùs non fuisset ordinatus Presbyter: constat enim apud omnes illicitam fore ac contra ecclesiasticas leges; hierarchiæ enim ecclesiasticæ hæc est conditio, ut ad superiores ejus gradus nemo transferatur, nisi per infimos & medios. *Nam*, ut ait S. Clemens Alexandrinus Lib. 6. Stromatum, *in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum,* p. 481. A. *Diaconorum, sunt imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ, ac dispensationis quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ, convenienter Evangelio.*

Hoc unum igitur hic quæritur, an Presbyteralis Ordinatio ita necessariò præmitti debeat Episcopali, ut hæc irrita & nulla foret, illa non præsupposita.

Sententia affirmans communis videtur, ac Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercit. 11. c. 2. n. 1. affirmat *nullum extare exemplum Episcopatus non Presbytero collati.* E contra P. Martene, De antiquis Ecclesiæ ritibus L. 1. c. 8. art. 3. n. 9. tum ex Epistolis Zosimi & Cœlestini SS. PP. quas suspicatur locum dedisse criminationibus Photii; tum ex Ænea Parisiensi, ac Ordinatione (quamquam omnino illegitima) Constantini pseudo-Papæ, colligere videtur, nonnullos olim consecratos fuisse Episcopos, qui Presbyteri non erant. *Hall.* p. 392. *Morin.* p. 197. D. *Tom.* 2. p. 278.

Affirmans sententia probatur 1. iis omnibus Ecclesiæ legibus quibus prohibentur Ordinationes per saltum, in quibus scilicet inferiori ac medio gradu omisso, ascenditur ad superiorem. Et quamquam in aliis Ordinibus inferior necessarius non sit ut superior validè conferatur, ac possit esse verus v. g. Presbyter, qui Diaconus non fuisset priùs ordinatus, non ita est in Episcopatu respectu Presbyteratus. Cujus discriminis ratio est, quòd cùm Episcopus ex officio Christi corpus consecrare debeat, necesse est eum ea Ordinatione fuisse promotum, per quam datur potestas consecrandi corpus Christi: at hæc Ordinatio est Presbyteralis, non Episcopalis, quæ supra Presbyteralem addit dumtaxat novam potestatem ad actiones quasdam hierarchicas exercendas; unde pares sunt Episcopi & Presbyteri in potestate consecrandi Eucharistiam. Confirmatur, quia ex dictis superiùs, Episcopus est Sacerdos perfectus seu summus; ergo dignitas & Ordinatio Episcopalis necessariò præsupponit sacerdotalem.

Probatur 2. tum ex Patribus Concilii Sardicensis apud Theodoretum L. 2. c. 8. tum Ægyptiis Episcopis ac Clericis Alexandrinis, in iis Litteris quas post Concilium Chalcedonense pro ejus defensione ad Leonem Augustum scripsere. Patres quidem Sardicenses Ischyræ Ordinationem reprehendunt, quòd cùm Presbyter factus non esset, Episcopus in mercedem calumniæ contra Athanasium prolatæ ab Arianis creatus esset; eamque vel eo titulo nullam esse contendunt, quòd Presbyter non priùs fuisset, quàm Episcopus: quibus consentiunt Synodi Jerosolymitanæ Patres apud Athanasium Apolog. 2. *qui iisdem Arianis objiciunt, quod temerè tentassent eum, qui* *Theod. Hist.* p. 78. A. *Tom.* 1. p. 134.

Presbyter non esset, contra antiquam consuetudinem, nominare Episcopum. Ægyptii verò Episcopi, & Clerus Alexandrinus idem postea videntur insinuasse, dum nempe Timothei Oelari Ordinationem criminantur, tum ob plura capita, tum maximè quòd *Episcopus sine manus impositione extiterit, sed neque priorem habens Presbyteratus Ordinem, Baptisma fecerit. Quo loco,* ait Hallerius, *reprehensa non fuit Baptismi collatio à non Presbytero, nam à Diaconis Baptisma fuisse collatum satis usitatum fuit antiquitus, sed hoc maximè reprehenditur, quòd qui Presbyter non esset, Episcopus creatus sit, & Episcopalia munia, puta Baptismi collationem solemnem, quæ certis diebus Episcopo reservabatur, & alia hujusmodi, illegitimè usurparit.*

Tom. 4. Concil. p. 893. E.

Hall. p. 392. G.

Has objectiones proponit de Dominis L. 2. de Repub. c. 4. n. 28.

Neque obstat 1. Cœlestini S. P. testimonium in Epistola 2. ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis cap. 3. ubi conqueritur ordinatos fuisse quosdam Episcopos, *qui nullis Ecclesiasticis Ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta.* Namque 1. tales improbat ac damnat Ordinationes S. Pontifex. 2. non tam conqueritur de omissis gradibus inferioribus in eo qui ad Episcopatum subitò evectus fuerat, quam de interstitiis non servatis, nec mora sufficienti interposita, ad functiones Ordinis cujuslibet exercendas, imbibendos mores verè clericales, ac scientiam necessariam comparandam. *Debet enim antè esse discipulus,* ait ibid. *quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit.* Insurgit scilicet adversùs eos qui Laicos subitò ad sacros Ordines ipsumque Episcopatus fastigium rapiunt, ut patet ex ipso Epistolæ contextu.

Tom. 2. Concil. p. 1620. A.

Ibid. B.

Non obstat 2. calumnia Photii, qui referente Nicolao I. S. P. in Epistola 70. causabatur apud Latinos consecrari in Episcopos Diaconos, non suscepto priùs Presbyteratu. Namque 1. calumniæ reus convictus est ipse Photius, non in hoc tantùm, sed & in aliis capitibus; ut cùm v. gr. dicebat negare Latinos Spiritum sanctum à Patre procedere; eos aqua pro chrismate uti &c. quas omnes calumnias amolitur Ratramnus Monachus Corbejensis L. 4. contra Græcorum opposita c. 8. 2. Hoc unum videntur Græci Latinis objecisse, quòd Diaconos absque eo quòd in officio Presbyterali probati fuissent, Episcopos eligerent: nam Græci, ut habetur in citata Epistola Nicolai I. solum Presbyteratus officium omissum objiciebant, non ordinem; quam criminationem prædictus Nicolaus in ipsos Græcos retorquet, qui videlicet Photium ex Laico Patriarcham consecrasset sex dierum spatio. Non est igitur quòd Æneam Parisiensem Episcopum hic audiamus, qui re concessa, conatur ejus auctores excusare: *tum quòd,* inquit, *in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis: tum quod* (subdit) *forsan illi qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissa benedictione Presbyterali, assertioni B. Hieronymi in Epistola loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio Episcopali.* Verùm nullam esse prorsus hanc utramque excusationis rationem ex dictis certò colligitur.

Tom. 8. Concil. p. 471. B.

Spicileg. Tom. 2. p. 143. & seq.

Non obstat 3. exemplum Ordinationis Cęciliani, qui fertur dixisse, *se, si non ordinatus esset Episcopus, iterum tamquam Diaconum consecrandum esse*: item quòd ejus solum Ordinationis Episcopum, non in Presbyterum Optatus L. 2. contra Parmenianum, meminerit, cùm tamen Ordine Diaconus esset, quando ad Pontificatum electus est. Namque in hypothesi & mente suorum accusatorum loquitur Cœcilianus; nimirum, si à traditore (ut criminabantur) Felice Aptungitano in Episcopum consecratus,

tus,

tus, nihil ab ipso accipere potuit, nihil consequenter accepit cùm ab eodem factus est Presbyter; adeoque necesse est: ut tamquam Diaconus habeatur, & rursus consecretur & Presbyter & Episcopus: quo in ratiocinio non negat Cæcilianus se Presbyterum priùs à Felice ordinatum, quàm Episcopum; sed infert ex damnata per suos æmulos sua Ordinatione Episcopali, consequenter & damnari ab iisdem debere ac rejici suam Ordinationem Presbyteralem, & se tamquam merum Diaconum rursus esse consecrandum. Optatus verò non memorat expressè ac distinctè Ordinationem Cęciliani in Presbyterum, sed in Episcopum dumtaxat, quia cùm hæc istam necessariò supponat, ac Episcopus sit Presbyter perfectus, qui Episcopum dixit, eumdem & Presbyterum supponit.

Non obstat denique Ordinatio Constantini pseudo-Papæ, qui, referente Anastasio Bibliothecario, ex Diacono factus est Episcopus. Tum quia nec probata fuit hæc intrusi Ordinatio; tum quia supponi non immeritò potest, eum prius ordinatum fuisse Presbyterum, quamquam Anastasius istud non referat. *Mart. p. 279.*

De officiis atque necessitate Episcoporum.

Quæres 1. quæ sint præcipua Episcoporum officia.

Resp. cùm ex divina ordinatione Episcopi positi sint ad regendam Ecclesiam Christi, juxta illud S. Pauli Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quæcunque ad regendam Ecclesiam ac pascendum Christi gregem necessaria sunt, ea omnia sui officii esse partes, & ad se jure proprio spectare intelligere debent Episcopi.

Ad regendam verò Ecclesiam hæc tria maximè faciunt, doctrina, Sacramentorum administratio, & jurisdictio, qua & morum disciplina servatur, & ipsius infractores corripiuntur ac castigantur.

Primum igitur Episcopi officium est docere: hinc Doctores ac Pastores dicti, quòd doceant seu doctrinæ cœlestis pabulo commissas sibi oves pascant. *Euntes docete omnes gentes*, ait Christus Matth. 28. Et Apostolus 1. Cor. 9. v. 16. *Si evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non evangelizavero*. Et Concilium Trid. Sess. 5. cap. 2. de reformatione. *Quia*, inquit, *Christianæ Reipublicæ non minùs necessaria est prædicatio Evangelii, quàm lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit & decrevit eadem S. Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Si verò contigerit, Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.* *Tom. 14. Conc. p. 755.*

Quod officium prædicandi Evangelium, Episcoporum adeo proprium esse declarat Synodus, ut nullus alius, nisi de illorum licentia, illud exercere valeat, ne Regulares quidem. *Regulares verò*, ait ibid. Synodus, *cujuscunque Ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiat. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum* *Ibid. E.*

Ibid. pag. 756. B. Ordinum nullo modo *prædicare possint*. Et infra: *Caveant præterea Episcopi, ne aliquem, vel eorum, qui cùm sint nomine Regulares, extra Claustra tamen & obedientiam Religionum suarum vivunt; vel Presbyterorum sæcularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in sua Civitate vel Diœcesi prædicare permittant.*

Secundum Episcoporum officium est Sacramentorum dispensatio, præsertim verò Confirmationis & Ordinis, quorum soli sunt necessarii ministri. Ibid. pag. 864. E. *Cùm præcepto divino*, ait Synodus Trid. Sess. 22. cap. 1. de reform. *mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplum pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere &c.* ex qua obligatione colligit statim Synodus, ad residentiam teneri Prælatos quibus animarum cura commissa est: Ibid. *Quæ omnia*, pergit Synodus, *nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate pascant & regant.... declaratque eos ad personalem in sua Ecclesia vel* Ibid. pag. 865. B. *Diœcesi residentiam obligari, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse posse.... nisi cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac* Ibid. pag. 768. *evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas postulant & exigunt*. De eadem residentiæ obligatione jam egerat Synodus Sessione 6. cap. 1. de reformatione.

Tertium Episcoporum officium est invigilare disciplinæ ac morum sanctitati, & pro data auctoritate rebelles ac contumaces coercere: in hoc enim posita est jurisdictio externa qua fruuntur ipso auctore Christo. Hinc est quòd tenentur Episcopi Diœceses suas perlustrare, *Episcopi*, ait Synodus Trid. Sess. Ibid. pag. 882. B. 24. cap. 3. de reformatione, *propriam Diœcesim per seipsos, aut, si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium visitent... Visitationum autem omnium* Ibid. D. *istarum*, pergit, *præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinamque, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere &c.*

Quæres 2. an Episcopis cæterisque Pastoribus, quibus animarum cura incumbit, fugere liceat tempore persecutionis, obsidionis, vel pestis.

Matth. 10. v. 23. Resp. 1. si persecutio in solum Pastorem sæviat, prudenter illum fugere posse, juxta monitum Christi, *Cùm vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam*. Ita enim se meliori tempori reservat Episcopus, ut tutiùs suorum saluti possit consulere. Ita fugerunt olim viri sanctissimi Cyprianus, Athanasius &c. *Secessi*, ait S. Cyprianus Epistola 14. *ne per inverecundam præsentiam* P. 27. *nostram, seditio, quæ cœperat, plùs provocaretur*. Et Epistola 24. *Oportet nos*, P. 50. inquit, *paci communi consulere, & interdum, quamvis cum tædio animi nostri, deesse vobis; ne præsentia nostri invidiam & violentiam gentilium provocet, & simus auctores rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium consulere debemus.*

Resp. 2. cùm persecutio communis est, ac plebem non minùs, quàm Pastorem vexat; cùm pariter grassatur pestis, non licere Pastoribus fuga vitæ suæ consulere, quam pro spirituali gregis salute periculo exponere tenentur. Tom. 2. p. 830. Lege eam in rem Epistolam S. Augustini ad Honoratum 228. aliàs 180. quæ tota est de hoc argumento. Lege pariter Concilium Mediolanense V. in quo S. Carolus minutatim exponit qua ratione gerere se debeant Pastores,

ac

…c Sacramenta administrare tempore pestis. Scripsit ea de re tractatum Lovanii impressum Joannes Chapeauville Archidiaconus Leodiensis, sed hoc titulo, *Tractatus de necessitate & modo ministrandi Sacramenta tempore pestis.* Tom. 15. Concil. p. 591. & seq.

Quæres 3. an necessarii sint Episcopi.

Resp. affirmativè: quæ enim antea de divina Episcoporum institutione, & hìc de illorum officiis dicta sunt, clarè demonstrant necesse esse ut sint non tantùm in Ecclesia universa, sed etiam in particularibus Episcopi, qui plebem doceant, regant, Sacramenta ei administrent &c. *posuit* enim ipsos *Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Hoc nonnullis similitudinibus eleganter exponit S. Chrysostomus Hom. 34. in Epist. ad Hebræos: *Magistratum*, inquit, *ducemque & rectorem non habere, malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis, & perturbationis ac confusionis. Nam sicut si Chori coriphæum & ducem sustuleris, non erit amplius Chorus modo congruus & ordinatus; & si à phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit amplius numerosa & ordinata acies; & si à navigio ademeris gubernatorem, navem demerges; ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia evertisti & delevisti. Atque malum quidem est magistratus & rectoris defectus, & occasio eversionis. Non minus autem malum est, etiam inobedientia eorum qui eis sunt subjecti. Nam idem rursus accidit. Populus enim non parens rectori ac magistratui, est similis ei qui non habet, & fortè etiam deterior.* Ed. Commel. pag. 1970. Sanctus pariter Hieronymus Epist. 96. aliàs 4. ad Rusticum, *Singuli*, inquit, *Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In navi unus gubernator; in domo unus dominus; in grandi exercitu unius signum expectatur.* Tom. 4. part. 2. p. 1970. Tota ista Hieronymi disputatio licèt eò tendat, ut probet non esse aliquem suo arbitrio dimittendum, sed qui in monastica exercitatione vult proficere, *eum vivere debere sub unius disciplina à patris consortioque multorum*; eadem tamen universim demonstrat necessarium esse non solùm ut sit Ecclesiæ Catholicæ Rector, sed maximè, ut spiritales aliqui duces sint, & pastores singulares, qui uniuscujusque saluti procurandæ propiùs invigilent; sine ipsis specialibus Pastoribus, qui ad singulorum magisterium, curam, directionem, atque animadversionem speciali cura & jure maximè proprio descendunt, nec sacram nec profanam stare posse Rempublicam.

Cùm hanc Episcoporum necessitatem nonnulli impugnassent anno 1631. duobus editis Libellis, quorum priori titulus erat, *Modesta & brevis discussio aliquarum assertionum Doctoris Kellisoni in tractatu de ecclesiastica Hierarchia, auctore Nicolao Simithæo*; posteriori verò, *Apologia pro modo procedendi sanctæ Sedis Apostolicæ in regendis Angliæ Catholicis, tempore persecutionis, auctore Daniele à Jesu*, à Clero Gallicano, ab Archiepiscopo Parisiensi, & à sacra Facultate damnati sunt. Censuræ sacræ Facultatis titulus iste est, *Censura propositionum quarumdam, tum ex Hibernia delatarum, cùm ex duobus Libris anglico sermone conscriptis, in latinum bona fide conversis excerptarum, per sacram Facultatem Theologiæ Parisiensis facta anno 1631.*

Propositiones damnatæ istæ sunt.

Prima. *Ordinatio Presbyterorum & ministrorum Ecclesiæ, sola est causa quæ infert necessitatem Episcopi.*

Secunda. *Ecclesia tempore persecutionis indiget Episcopo, solùm propter ordinandos Presbyteros.*

Utraque propositio, ait Censura, *est falsa; Ecclesiæ, Ordinisque hierarchici destructiva, & hæretica.*

Tertia, *Lex divina non plùs exigit, quàm ut sint aliqui Episcopi in Ecclesia, tot numero scilicet, ut periculum non sit, ne notus Ordo subitò abripiatur ex eorum mortibus, & sic dispersi per mundum, ut omnibus Christianis sufficienter provideatur de doctis & virtuosis sacerdotibus: si hoc fiat, legi divinæ satisfiet, licèt nulli sint Episcopi in Gallia, Hispania, aut Anglia.*

Ista propositio, ait Censura, *est falsa, temeraria, scandalosa, Ordini hierarchici destructiva, erronea, & verbo Dei contraria.*

Quarta. *Da ergo mihi multitudinem Christianorum quantumcumque magnam, quæ non indiget Episcopos ad ordinandos Sacerdotes, & audacter dicam, quòd non sit opus ut gubernator illius societatis sit Episcopus.*

Ista propositio, ait Censura, *est falsa temeraria, scandalosa, Ordinis hierarchici destructiva, & verbo Dei contraria.*

Quinta. *Imò ponamus Ordinationem Sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ non esse necessariam in Ecclesiis, sequitur statim non esse opus, ut Ecclesia universali gubernetur ab Episcopis, qui superiores sint Sacerdotibus.*

Ista propositio, ait Censura, *falsa est, seditiosa, perniciosa & homine Christiano indignam suppositionem continet, doctrinamque inducit hæreticam.*

De electione Episcoporum.

Duplex hic occurrit circa Episcoporum electionem quæstio, una facti, altera juris.

Prior versatur in facto: quæ nempe fuerit veteris Ecclesiæ praxis ac disciplina circa Episcoporum aliorumque sacrorum ministrorum electionem; an populus, Clerus, Magistratus, Principes, jus & facultatem habuerint deligendi Episcopos, quod monumentum planè historicum fusè ac eruditè tractat Thomassinus Oratorianus in Opere quod inscripsit, *Vetus & nova Ecclesiæ disciplina de Beneficiis* parte 2. L. 2. ferè integro quem consule, ut & Hallerium de sacris Ordinationibus. *Hall. de Ord. p. 79.*

Altera quæstio juris seu dogmatis adversùs Novatores hæc est. 1. an ministrorum electio à solo Deo fiat. Ita censuisse videntur Joan. Vviclef & Joan. Hus. Cùm enim existimarent illi eos solos legitimos esse Ecclesiæ ministros qui sunt prædestinati, solius autem Dei sit prædestinare; consequenter asserebant ad solum Deum pertinere ministrorum electionem. Unde Conc. Constantiense Sess. 8. hunc articulum Vviclefi numero octavum damnavit, *Si Papa sit præscitus & malus.... non habet potestatem super fideles.* Damnavit & hunc alterum Joannis Hus Sess. 15. *Papa vel Prælatus malus, & præscitus, est æquivocè Pastor.* 2. Lutherus & Calvinus censuere electionem tum Episcoporum, tum aliorum ministrorum Ecclesiæ jure divino ita pertinere ad Clerum & populum, ut absque suffragio tum Cleri tum populi facta electio nulla sit & irrita: quem errorem proscripsit Synodus Trid. Sess. 23. c. 4. & Can. 7. Sit itaque *Tom. 12. Concil. p. 46. A. Ibid. pag. 131. A. B.*

PRIMA CONCLUSIO.

Olim per plura sæcula tum Clerus, tum Populus, tum Magistratus ac Principes sæculares, ex communi Ecclesiæ disciplina jus suffragii habuerunt in Episcoporum & aliorum Ecclesiæ ministrorum electionibus.

Benè multas hujusce facti probationes congerit Thomassinus loco mox indicato, undequisque studiosus lector illas eruere facilè poterit. Pauca ex prioribus sæculis hic delibasse momenta sufficiet.

I. Ex

I. Ex Historia sacra Act. 6. ubi de electione septem Diaconorum v. 2. dicitur: *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus; Et placuit sermo coram omni multitudine: & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto.... quos statuerunt coram Apostolis; & cùm orassent, imposuerunt eis manus.*

Quo in testimonio hæc observa. 1. Apostoli multitudini judicium permittunt eorum qui boni sunt testimonii, adeoque promovendi in Diaconos. *Considerate viros ex vobis boni testimonii*. 2. Accepta multitudini seu populo fuit hæc Apostolorum propositio: *Placuit sermo coram omni multitudine*. 3. Data potestate utuntur Fideles: *Elegerunt Stephanum &c.* 4. Apostoli electos à multitudine ordinant, orando & imponendo manus: *quos statuerunt coram Apostolis; & cùm orassent imposuerunt eis manus*. Eligit itaque populus ministros, Apostoli verò manus imponunt: hoc est, ordinant & consecrant.

II. Ex S. Cypriano multis in locis. Epistola 55. in editione Anglicana 59. ad Cornelium: *Nemo*, inquit, *post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum &c.* P. 80. Tria hic distinguit S. Doctor, divinum judicium quod electionibus præsidere debet, suffragium populi, & Coepiscoporum consensum. Et Epistola 68. in editione Anglicana 67. sic loquitur: *Ipsa plebs maximè habet potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel* P. 113. *indignos recusandi: quod & ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcepit dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones* Num. 20. *eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Elea-* v. 25. *zarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem; id est, instruit & ostendit Ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit Ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata*. Et paulò post: P. 114. *Quapropter*, pergit S. Doctor, *de Traditione divina & Apostolica observatione servandum est & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas, tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit*.

Non modò ætatis suæ disciplinam repræsentat hoc in loco S. Martyr, sed & causam ac rationem reddit cur populi suffragium expeteretur in electione Episcoporum aliorumque Ecclesiæ ministrorum; in testimonium scilicet vitæ ac morum illius qui promovendus erat: multa etenim ignorant Episcopi, quæ plebi nota sunt ac perspecta ex familiari ac quotidiano convictu. *Idcirco*, ait sanctus Doctor, *tam diligenter & cautè tota* Ibid. *plebe convocata* (eligebatur Ordinandus) *ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet*.

Eamdem rationem reddit S. Leo Epistola 12. aliàs 84. ad Anastasium Tom. I. p. Thessalonicensem Episcopum. *Cùm*, inquit, *de summi Sacerdotis electione tra-* 441. c. 5.

stabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit.... ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit.

Tom. 2. Concil. p. 1199. C. III. Ex Concilio Carthaginensi IV. Can. 1. ubi dicitur: *Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximèque Metropolitani vel præsentia vel auctoritate ordinetur Episcopus.*

IV. Ex Concilio Constantinopolitano I. in quo ad Theodosii votum Nectarius Regiæ Urbis Patriarcha consecratus fuit.

Arcadius pariter, instante populo, Chrysostomum Nectario successorem nominavit, referente Palladio in vita Chrysostomi. Arcadio præivisse Clerum observat Sozomenus Lib. 8. c. 2. Mitto plura alia exempla quibus certè constat in electionibus Episcoporum maximas partes habuisse Principes ac viros Primates. In Hispania Concilium Toletanum XII. (Tom. 6. Conc. p. 1230.) ann. 681. Hispaniarum Regibus jus detulit ut Episcopos ipsi deligerent, ea tamen apposita conditione, ut antequam ordinarentur, à Toletano Metropolitano de vita, moribus, ac doctrina examinarentur.

Quamquam verò communis hæc fuerit priorum temporum disciplina, ut nonnisi ex suffragio plebis totius eligerentur Episcopi aliique ministri, non ea tamen lege ita se adstrictos voluere Episcopi, quin certis in casibus populi electionem anteverterent. Significat hoc manifestè S. Cyprianus Epistola 33. nunc in Anglicana editione 38. occasione Ordinationis Aurelii. (P. 47.) *In Ordinationibus clericis*, inquit, *solemus vos consulere, fratres charissimi* (alloquitur Clerum & populum) *& mores ac merita singulorum communi consilio ponderare: sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia &c.* Et Synodus Laodicena Can. 13. statuit, (Tom. 1. Conc. p. 1498. E.) *non oportere permittere turbis, ut eligant eos qui in sacerdotium alleguntur*, quo quidem Canone non rejiciuntur Clericorum & honorabilium civium suffragia, sed eorum dumtaxat qui sunt ex fæce plebis, qui non rarò in ejusmodi Comitiis tumultus & seditiones excitabant.

Tandem prior hæc disciplina variè immutata fuit. Anno 1215. Concilium Lateranense IV. tum populum, tum Comprovinciales Episcopos spoliat jure eligendi Episcopos. Proponitur eo in Concilio triplex electionis modus; nempe per scrutinium, compromissionem, & adorationem seu inspirationem. Scrutinium, quod ab eo tempore usque ad Concordata obtinuit, ad Capitulum totam electionis auctoritatem devolvit. En verba Canonis 24. quæ triplicem illum electionis modum describunt: (Tom. 11. Concil. p. 176. Forma electionum per Concil. Later. IV. inducta.) *Quia propter electionum formas diversas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus, ut cùm electio fuerit celebranda præsentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commodè interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secretò & singulatim voces cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto; ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars Capituli consentit: vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui, vice omnium, Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore. Aliter electio facta non valeat, nisi fortè communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem divinam, absque vitio celebrata. Qui verò contra prædictas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.*

Illud penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat,

tuat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si fuerit opus, fidem faciat juramento; & tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quàm citò electio fuerit celebrata, solemniter publicetur. Can. 25. Concilium irritam & nullam declarat electionem factam per abusum sæcularis potestatis.

Pragmatica sanctione, quam in Comitiis Bituricensibus ex variis Concilii Basileensis decretis adornavit Rex Christianissimus Carolus VII. anno 1438. jus electionis iis ad quos pertinet, asseritur ac conservatur. Hujus Pragmaticæ historiam variamque fortunam lege apud Pinsonium, dum viveret in Senatu Parisiensi celebrem patronum, in Libro ea de re Parisiis edito an. 1666.

Abrogata illa fuit, consentiente ac jubente Francisco I. Galliarum Rege, enixè postulante Leone X. S. Pontifice, ac tandem inita famosa illa Concordata Bononiæ an. 1516. quibus electiones abrogantur, aliaque ad res ecclesiasticas pertinentia capita componuntur ac definiuntur, quæ legere poteris in Concilio Lateranensi V. Tom. 14. Conc. pag. 358. & seq.

Apud Germanos ex Concordatis inter Nicolaum V. S. P. & Fridericum III. Imperatorem an. 1448. initis, vigent adhuc liberæ & canonicæ Episcoporum electiones.

SECUNDA CONCLUSIO.

Neque soli prædestinati à Deo solo eliguntur ad sacra ministeria, neque suffragium aut electio populi jure divino requiritur. Est contra Novatores.

Prior Conclusionis pars demonstratur, exemplo tum Saulis, tum Judæ, qui à Deo electi sunt, hic in Apostolum, ille in Regem, & tamen reprobatus uterque fuit. Ipsi quoque Apostoli Act. 6. elegerunt Diaconos: Solus igitur Deus ministros non eligit, nec soli eliguntur prædestinati: quamquam nisi ex divino judicio & approbatione fiat electio, quomodo felix sperari potest ipsius exitus?

Secunda pars probatur. Tum quia nullibi in sacris Codicibus legimus id juris populo concessum à Deo fuisse: tum quia Apostoli Episcopos & Presbyteros ordinarunt absque populi suffragio; & de seipso S. Paulus Galatarum I. ait, se *Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum constitutum fuisse*. Tum quia Ecclesia, jure quod concesserat olim, subinde plebem privavit, cujus suffragium potius fuit in testimonium probitatis eligendorum, quàm in argumentum potestatis aut jurisdictionis in eligente: proprium enim est plebis ut regatur, non ut regat: tum denique quia ita definivit Trid. Synodus Sess. 23. Can. 7. his verbis: *Si quis dixerit, Ordines ab ipsis* (Episcopis) *collatos, sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione, irritos esse &c. anathema sit.* Tom. 14. Conc. p. 864. C.

Nec te moveat quòd S. Cyprianus antea citatus dixerit, ex ordinatione divina descendere ut sacri ministri tota præsente plebe deligantur. Per ordinationem quippe divinam, non jus aut præceptum divinum intellexit sanctus Doctor, sed exempla dumtaxat aliqua in sacris Litteris expressa electionis factæ approbante ac suffragium ferente populo; quod suffragium, ut jam diximus, testis erat potius, quàm judicis: consulebatur nempe populus circa mores ac vitæ institutum ministri futuri, ne quis forte indignus

obre-

obreperet. Quæcumque verò in Scripturis factitata & usurpata leguntur, ad ea nos jure aut præcepto divino pariter facienda non teneri, ne ipsi quidem diffitentur Novatores. Lege Bellarminum de Clericis Lib. 1. cap. 7. ubi nodum hunc solvit.

De variis Episcoporum gradibus.

Episcopi nomen est genericum, quod de Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis seu Archiepiscopis, & Episcopis prædicatur: omnes enim illi Ordinatione ac charactere pares sunt, solo jurisdictionis & honoris gradu inter se distincti.

Patriarchæ ita dicti, quòd sint principes & duces Patrum qui sub eorum ditione continentur, nempe Primatuum & Metropolitanorum. Inter illos primum locum obtinet Romanus Pontifex, qui est Episcopus Episcoporum ac jure divino primatum honoris & jurisdictionis habet super singulas Ecclesias.

Primates dicuntur, qui Patriarchis quidem inferiores sunt, sed Metropolitanis superiores.

Metropolitani Episcopis suæ Metropoleos superiores sunt.

Archiepiscopi à Græcis primùm appellati, quasi duces ac principes Episcoporum. Non tulere Africani eam vocis gloriam; quæ in Archiepiscopi nomine fulgere & affectari eis videbatur: at erga voces *Archipresbyteri & Archidiaconi* æquiores fuere. Credo quòd Ordinis mediocritas fastus suspicionem amoliretur.

Quæ sit origo Patriarcharum ac Primatuum, qui auctoritatis ac jurisdictionis limites, jam expendere non vacat. Legatur quid ea de re eruditè scripsere illustrissimus Petrus de Marca L. 1. de Concordia c. 3. & seq. Morinus Exercitationum Ecclesiasticarum L. 1. Exercitatione 1. Thomassinus de veteri & nova disciplina circa Beneficia L. 1. cap. 3. 7. 8. & seq. Hallerius de Hierarchia Ecclesiastica L. 4. sectione 4.

De Chorepiscopis.

Chorepiscopi nomen Græcum est, ac significat agri, seu vici & pagi Episcopum, ad distinctionem scilicet Episcopi urbis. Erat igitur Chorepiscopus, villanus sive vicanus aut oppidanus Episcopus, qui rusticanas Ecclesias non sine aliqua ab urbis Episcopo subordinatione ac dependentia gubernabat ac moderabatur. Alii derivant etiam à nomine græco χῶρος, quod locum significat: quia nempe Chorepiscopi locum & vices Episcopi, tamquam ejus vicarii, teneant in pagis & oppidis.

Si originem & antiquitatem postulaveris Chorepiscoporum,

Respondebo 1. Chorepiscoporum instituendorum valde diversam fuisse causam primis, ac posterioribus Ecclesiæ sæculis. Multitudo Fidelium in agris dispersorum, variæ Episcoporum in urbibus occupationes, itinerum difficultates, ac Gentilium potentia qua prohibebantur Episcopi ne securè ac tutò vicos & pagos possent perlustrare, effecerunt in primis temporibus tum ad rusticanorum doctrinam & informationem, tum ad levamen Episcoporum instituti sint Chorepiscopi, velut Episcoporum urbium vicarii, qui sibi commissas agrorum Ecclesias regerent: unde à Concilio Neocæsariensi Can. 13. *Comministri* vocantur *Episcoporum*. At posterioribus sæculis, octa-

octavo & nono, Episcopi nonnulli ex desidia & Episcopalium functionum fastidio sibi subsidiarios Chorepiscopos delegerunt, in quos levi mercede conductos totum Episcopale pondus rejicerent, dum ipsi opibus diffluentes otio & quieti in Aula Principum indulgebant: qui abusus Carolo Magno & Ecclesiæ Gallicanæ occasionem dedit abrogandi ejusmodi Chorepiscopos. *Placuit*, ait cap. 121. Libri sexti Capitularium, *ne Chorepiscopi à quibusdam deinceps fiant: quoniam hactenus à nescientibus SS. Patrum, & maximè Apostolicorum decreta, suisque quietibus ac delectationibus inhærentibus facti sunt.* To. 1. p. 943. Extinctus igitur omnino fuit Chorepiscoporum Ordo, tam in Oriente quàm in Occidente circa medium sæculum decimum, ait Morinus Exercitationis citatæ cap. 6. n. 2.

Resp. 2. si nomen ipsum Chorepiscoporum spectes, ejus mentionem primùm occurrere apud Græcos in Concilio Ancyrano Can. 12. & Neocæsariensi Can. 13. anno Christi 314. apud Latinos verò an. 439. in Conc. Regensi Can. 3. ubi Armentarius, quem sine consensu Metropolitani duo tantùm ordinaverant Episcopi, ita fuit ab Episcopatu dejectus, ut tamen Chorepiscopi officium ipsi permittatur. Inde concludit Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 4. c. 1. n. 3. ad finem tertii sæculi circiter annum Christi 270. à quibusdam Provincialibus Synodi Chorepiscopos esse institutos. Verùm si ad rem nomine expressam attenderis, antiquior videtur Chorepiscoporum, seu agri Episcoporum facta mentio in veteribus Ecclesiæ monumentis. Occurrit enim in Epistola S. Clementis ad Corinthios, ubi ait Apostolos *prædicantes per urbes & agros constituisse Episcopos & Diaconos.* Tom. 1. Conc. p. 150. C. Occurrit & in Epistola Conc. Antiocheni apud Euseb. L. 7. Hist. cap. 30. Narrant enim ibi Patres, Paulum Samosatenum intolerabili fastu atque superbia coegisse non tantùm urbis Presbyteros, sed & civitatum & ruris Episcopos, ut suas celebrarent laudes: *Episcopos quoque*, inquiunt, *vicinorum pagorum & civitatum nec non & Presbyteros assentatores suos submisit, qui in suis ad populum concionibus eadem de ipso prædicarent.* P. 281. B. Erant igitur an. 264. in pagis Episcopi: sed & secundo Ecclesiæ sæculo Asterius apud Eusebium Lib. 5. Hist. cap. 16. refert, Montani hæresim à duobus Episcopis, Zotico scilicet Comanensi, & Juliano P. 182. B. Apamensi, repressam fuisse: Comana verò & Apameja vici erant & pagi. Verùm dissimulare non possumus, momentum hoc, quo utitur recentior Auctor Historiæ Ecclesiasticæ gallico sermone editæ Roterodami an. 1699. non ita certum ac firmum videri: siquidem Comana & Apameja à Ptolomeo recensentur inter civitates Asiæ & Phrygiæ, ubi, teste Eusebio L. 5. c. 14. nata est ac disseminata Montani hæresis. *Basnage Hist. de l'Eglise l. 1. chap. 5.*

Comanam Ptolomæus Lib. 5. Geographiæ pag. 142. numerat inter civitates Phrygiæ Pisidiæ: & pag. 144. mentionem facit Comanæ Ponticæ: & pag. 160. Apamiam in Asia civitatem appellat; quamquam certum etiam sit hujus nominis vicos fuisse in Asia & Phrygia. Verùm cùm Asterius & Eusebius non declaraverint an pagi, an urbis hujus nominis Episcopi fuerint Zoticus & Julianus, idcirco vim eo in momento non facimus. Plus roboris ac ponderis habere videtur quod refertur ab Eusebio L. 8. Hist. c. 13. de Sylvano Martyre, qui fuit Episcopus *Ecclesiarum vicinarum Gazæ*: sic enim fert textus Græcus, non verò, ut vertit Valesius, Episcopus Gazæ. Et verò ipsemet Eusebius, de Martyribus Palæstinæ c. 13. P. 343. vocat quidem Sylvanum Gaza oriundum, sed non Gazæ Episcopum. D.

Eo-

Eodem modo verti debet textus S. Epiphanii hæresi 30. pag. 128. übi refert quemdam Judæorum Patriarcham nomine Ellel morti proximum, advocasse Episcopum, non Tiberiadem ut reddit Petavius, sed vicinum Tiberiadis. Erant igitur in pagis & villulis Episcopi.

Quæ verò fuerint illorum Chorepiscoporum privilegia & officia, exponit Morinus cap. jam citato n. 10. quæ quidem facilè quisquis colliget ex officiis quæ Pastorum & Episcoporum propria sunt.

Una dumtaxat hìc occurrit quæstio, quæ varias in partes Eruditos distrahit: an scilicet illi Chorepiscopi Ordinatione sua & charactere veri fuerint Episcopi; vel tantùm Presbyteri aliqua dumtaxat auctoritate & jurisdictione supra cæteros donati, qua ratione Archipresbyter Presbyteris, & Archidiaconus Diaconis est superior. Illustrissimus Petrus de Marca Concordiæ Lib. 2. c. 13. & 14. Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 4. cap. 2. Thomassinus de veteri & nova Ecclesiæ disciplina circa Beneficia parte 1. Lib. 2. cap. 1. & 2. existimant, Chorepiscopos Ordinatione sua meros fuisse Presbyteros, adeoque Chorepiscopatum fuisse nudum officium & ministerium ad levandam Episcopi sollicitudinem in pagis & vicis Paræciæ, sive Diœcesos Episcopalis; ad quod ministerium ordinariè Presbyteri admovebantur, aliquando etiam & Episcopi. *Accidebat enim aliquando*, ait Illustrissimus de Marca cap. 13.
P. 110. n. 5. *ut Chorepiscopatus conferretur alicui Episcopo vacanti, qui jam Episcopalem consecrationem aliunde accepisset. Sed ille*, ait Morinus Exercitatione 4. c. 4. n. 7. *per accidens, fortuitò, & contra suæ Ordinationis formam & scopum Chorepisco-*
P. 97. A. *patus officium exercebat.* E contra Auctor jam citatus recentioris Historiæ Ecclesiasticæ Lib. 1. c. 5. contendit, Chorepiscopos non officio tantùm & aliquo ministerio, sed etiam propria Ordinatione veros fuisse Episcopos. Longè ante illum, nono Ecclesiæ sæculo, idem docuerat Rabanus Archiepiscopus Moguntinus in Opusculo de Chorepiscopis, quod ad postulationem Reginbaldi Chorepiscopi edidit, & extat in Appendice Tom. 8. Conciliorum pag. 1852.

Hallerius, De sacris electionibus & Ordinationibus sect. 5. c. 2. paragr. 2. 3. 4. & 5. viam quamdam pacis & concordiæ inire videtur: nempe ut discordantes sententias ac contraria veterum de Chorepiscopis testimonia conciliet, duos distinguit Chorepiscoporum Ordines, quorum alii Episcopi, alii verò dumtaxat Presbyteri Ordinatione sua fuere. Eamdem distinctionem adducit Bellarminus L. 1. de Clericis c. 17.

Multùm ea controversia Gallicanas Ecclesias sub Carolo Magno divexavit, aliis irritantibus Ordinationes à Chorepiscopis factas, & iterum ordinantibus eos, qui ab illis fuerant ordinati; aliis è contra: ex qua gravi di-
Tom. 8. Conc. p. 1582. C. scordia testatur Rabanus in Opusculo jam citato, *excitatas fuisse sectas, invidias, iras, rixas, æmulationes, dissensiones, contentiones, per quæ*, inquit, *multi de populo videntes magistrorum dissensionem non mediocriter scandalizantur.*

CONCLUSIO.

Chorepiscopi, de quibus vetera Ecclesiæ monumenta, consecrationem Episcopalem habuerunt.

Probatur. 1. Quia illi veram habuerunt Episcopalem consecrationem, qui

qui Presbyteros ac Diaconos, saltem ex licentia urbis Episcopi, ordinare poterant: atqui tales fuere Chorepiscopi; ergo &c.

Morinum non gravat major argumenti propositio, cùm in ea sit opinione Veteribus persuasum fuisse posse simplicem Presbyterum ex delegatione ac dispensatione S. Pontificis, ordinare Presbyteros ac Diaconos. Verùm sententiam hanc suprà nos explosimus. Itaque *Exercit. 4. c. 3. 4. & 5.*

Minor propositio, quæ sola in controversiam venire potest, probatur.

Ex Concilio Ancyrano Can. 12. cujus hæc verba sunt, interprete Dionysio exiguo. *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare; sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopo vel Litteris, in unaquaque Parochia aliquid imperare; nec sine auctoritate Litterarum ejus, in unaquaque Parochia aliquid agere.* Ita Canonem hunc esse interpretandum, ac græcum textum restituendum, solidè demonstrat Illustr. de Marca, Concordiæ L. 2. c. 14. & post eum Thomassinus, De disciplina circa Beneficia p. 1. L. 2. cap. 1. nu. 11. Coercet eo Canone Synodus, tum Episcoporum ruris, tum Presbyterorum civitatis ambitiosam licentiam & usurpationem. Scilicet Presbyteri civitatis, inconsulto nec rogato Episcopo, in Ecclesiis seu Parochiis rusticanis multa sibi arrogabant: hos reprimit Synodus, ac vetat ne quid sine licentia ac mandato Episcopi scriptis dato attentent. Chorepiscopi pariter Presbyteros ac Diaconos tum in suis, tum in alienis ruris Ecclesiis ordinabant, non rogata priùs & obtenta Episcopi urbis facultate: quos pariter coercet Synodus, vultque ut tales non celebrent Ordinationes, nisi de licentia Episcopi urbis. Ergo saltem cum ipsius licentia poterant Chorepiscopi ordinare Presbyteros ac Diaconos. *Tom. 1. Conc. p. 1468. A. An. 314.*

Idem manifestiùs adhuc colligitur ex Concilio Antiocheno an. Christi 314. Can. 10. En verba: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec Presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter civitatis Episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est. Si quis autem transgredi statuta tentaverit, depositus, quo utebatur honore, privetur. Chorepiscopum verò civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.* *Tom. 2. Conc. p. 577. B.*

Multa sunt eo in Canone ad rem nostram præsentem observanda.

I. Asserit Synodus, *Chorepiscopos manus impositionem Episcoporum percepisse, & ut Episcopos consecratos fuisse;* nihilominus intra modum suum, ac limites proprios esse continendos: quo unico momento dirimi debet præsens controversia, ac firma remanere nostra Conclusio. Quibus enim aliis clarioribus verbis significare potuisset Synodus, Chorepiscopos Ordinatione sua & consecratione veros fuisse Episcopos?

Nec juvat reponere, Synodum loqui de illis tantùm Chorepiscopis qui fortuitò & per accidens aliunde jam perceperant Ordinationem Episcopalem, quales extitisse multos certissimum est apud omnes. Ubi enim, quæso, vel levissimum hujusce distinctionis vestigium ac fundamentum in citato Canone? Nonne generatim loquitur de Chorepiscopis, qui, ut habet postrema Canonis pars, *ab Episcopo civitatis ordinari debent?* An verò Episcopus civitatis eos tantùm ordinare debebat Chorepiscopos qui recepturi erant Episcopalem consecrationem, & non alios? non ita certè. Ergo *Mor. c. 1. Thom. c. 1. de Marca L. 2. c. 13. Nat. Al. &c.*

loqui-

loquitur Canon de quolibet Chorepiscopo, quem affirmant ab Episcopo civitatis debere ordinari, & ea quidem Ordinatione, quam initio appellat *manus impositionem Episcoporùm, per quam & Episcopi consecrantur*.

II. Synodus coercet Chorepiscopos intra limites propriæ Parochiæ, eisque permittit ut Lectores, Subdiaconos ac Exorcistas promoveant.

III. Vetat ne ordinent Presbyteros ac Diaconos, præter civitatis Episcopum: hoc est, sine ipsius licentia, ut pote qui subjecti forent; ergo cum licentia Episcopi poterant Presbyteros & Diaconos ordinare. Irridet non immeritò hìc Morinus c. 4. nu. 7. interpretationem Balsamonis, qui verba

p. 66. hæc Canonis, *præter civitatis Episcopum non audeant ordinare*; non pro mandato vel licentia Episcopi, sed pro Ordinatione ab ipso facta intelligit: ita ut sensus Canonis sit, non debere Chorepiscopum ordinare Presbyterum, nisi ordinante simul Episcopo urbis, quam interpretationem approbare videtur Illustriss. de Marca, Concordiæ Lib. 2. c. 14. n. 1. sed, Morino judice, nihil ridiculum magis ea in causa dici potuit. *Si enim*, inquit, *Episcopus urbis solus Presbyteros ordinat, & nihil potest in ea Ordinatione Chorepiscopus, etsi mandatum illi fuerit, quid opus patribus illi præcipere ne ordinet nisi conjungatur illi urbis Episcopus? Ergo saltem cum urbis Episcopo ordinabit. Attamen Presbyteri omnes a solo Episcopo ordinantur; ut quid igitur hic Episcopo ordinanti conjungitur Chorepiscopus? Adde quòd interpretationis istius absurditas evidentior sit apud Græcos, quam apud Latinos: Episcopus enim Græcus cùm Presbyteros ordinat solus iis manus imponit; nulla, ut apud Latinos, Assistentium Presbyterorum manus impositio insequitur. Itaque*, concludit Morinus, *glossa hæc Balsamonis mera est dormitantis oscitantia.*

IV. Una decernitur pœna depositionis adversùs Chorepiscopos statuti infractores, non verò irritæ ac nullæ declarantur Ordinationes ab ipsis factæ, quas procul dubio nullas declarasset Synodus, si Chorepiscopi illi charactere Episcopali donati non fuissent.

V. Denique, ad Episcopum civitatis pertinebat ordinare sibi subjectum Chorepiscopum, & ea quidem Ordinatione quam, ut jam observavimus, initio Canonis Synodus appellat *manus impositionem Episcopalem*.

Idem demonstrat S. Basilius Epistola 181. ad Chorepiscopos suæ Diœcesis, in qua conqueritur quòd spreto Episcopi consilio, aliquos indignos in Clerum admitterent, contra Canonum decreta, quibus cautum est ne Chorepiscopi, inconsulto suo Episcopo, quemquam ad sacra ministeria promoveant. *Eos*, inquit, *qui Ecclesiæ ministrabant, consuetudo, quæ in Ecclesiis olim*

Edit. vet. Tom. 2. p. 959. E. *versabatur, diligentissimè & accuratissimè probatos admittebat, & omnis eorum vitæ anteactæ ratio curiosè inquirebatur, an non maledici essent, an non ebriosi &c. ∴. Et hæc quidem examinabant Presbyteri & Diaconi qui cum eis versabantur; referebant autem ad Chorepiscopos, qui à verè testificantibus susceptis suffragiis, & eorum admonitis Episcopis ita ministrum in sacerdotalem numerum cooptabant. Nunc autem nobis primùm extrusis, nec ad nos referre in animum inducentes, omnem in vosmetipsos auctoritatem transtulistis*. Quibus verbis redarguit S. Basilius, Chorepiscopos, quòd, inconsulto proprio Episcopo, Sacerdotes ordinarent contra Canones permittentes solùm Chorepiscopis ordinandi licentiam de consensu Episcopi territorii cui subjacent. Ergo saltem ex consensu Episcopi poterant Chorepiscopi ordinare Sacerdotes & Diaconos, erant igitur Ordinatione sua & consecratione veri Episcopi, aliàs invalida fuisset & irrita Ordinatio.

Repo-

Reponunt aliqui, verba hæc S. Basilii, *in sacerdotalem numerum cooptabant*, significare solam adlectionem in Clerum, non verò sacram Ordinationem. Verùm cùm hisce temporibus nullus ordinaretur minister, nisi qui alicui Ecclesiæ addictus foret, non de sola in Clerum adlectione, sed & de Ordinatione sacra expostulasse S. Doctorem necesse est. Et verò si in eo dumtaxat peccassent illi Chorepiscopi, quòd Ecclesiis suis Clericos alligassent, Episcopo, cui subjacebant, inconsulto, & si aliunde supponatur cum adversæ partis Theologis, ejusmodi ministros sacros à proprio urbis Episcopo fuisse ordinatos, facillimum fuisset incommodum, de quo conqueritur S. Basilius, declinare, repellendo scilicet à percipienda Ordinatione eos omnes de quibus priùs à Chorepiscopis monitus & consultus non fuisset. At nihil tale legimus à S. Basilio factitatum. Quid ita? quia nempe Chorepiscopi planè inconsulto suo Episcopo ministros & eligebant & ordinabant, qua in re violatas fuisse leges Ecclesiæ meritò conqueritur S. Doctor. Nat. Alex. Differt. de Chorepiscopis.

S. Isidorus Hispalensis L. 2. de Officiis Ecclesiasticis c. 6. de iisdem Chorepiscopis sic loquitur: *Hi in vicis & villis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas; Presbyteros autem & Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscuntur.* Ob. an. 636. p. 599.

Concilium quoque Aquisgranense sub Carolo Magno an. 789. c. 9. de iisdem ait: *Constituere autem his permittitur Lectores, & Subdiaconos, & Exorcistas: quibus sufficiat istorum tantùm graduum licentiam accepisse; non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare præter conscientiam Episcopi civitatis, vel Ecclesiæ, cui adjacens invenitur, seu ipse, seu regio in qua præesse dignoscitur.* Igitur ex conscientia, hoc est sententia & consensu Episcopi civitatis poterant illi Presbyteros & Diaconos ordinare. Ratio est, quòd illi Chorepiscopi consecrationem Episcopalem percepissent, sicut expressè declaratur L. 5. Capitularium c. 321. ubi Canon 10. Conc. Antiocheni describitur. Tom. 7. Conc. p. 971. D. Tom. 1. p. 891.

Probatur 2. ex Nicolao I. S. P. in Epistola ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum, à quo consultus an. Christi 864. circa controversiam de Chorepiscopis, quæ hoc sæculo & præcedente Gallicanas Ecclesias agitabat, sic respondit n. 1. *A Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum effectas, quos quidem Episcoporum deponunt, quidam verò denuò consecrant. Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes vel iteratas consecrationes. Ad formam enim septuaginta Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia? sed quia sacri Canones vetant, ne omnes omnia sibi vindicent, ac per hoc dignitas Episcoporum ad Chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor Episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas ulteriùs fieri.* Duo hic maximè notanda. Primum: vetat S. P. irritari ac renovari Ordinationes factas à Chorepiscopis. Secundum; rationem reddit hujusce prohibitionis; quia ad formam septuaginta Discipulorum creati sunt, qui fuere veri Episcopi. Ergo manifestè docet S. P. Chorepiscopatui annexam fuisse consecrationem Episcopalem. Tom. 8. Conc. p. 504. E.

Reponit hìc c. 13. n. 9. Illustriss. de Marca, Nicolai responsionem à Canonibus omninò alienam esse, Romanos Pontifices *hac in quæstione contraria Rescripta edidisse; atque hoc solùm pro defensione Nicolai proferri posse, quòd diversis occupatus negotiis cursim respondere coactus fuerit.* At imò potius Canonibus maximè conformis videtur hæc Nicolai responsio, ut ex mox citatis P. 116.

tis

tis Antiocheno & Ancyrano videre est. Ex discordantibus verò ac contrariis SS. Pontificum sententiis, quid aliud inferas, nisi controversiam istam ex antiquis Canonibus, tum cùm notior erat Chorepiscoporum origo ac natura, potius esse definiendam, quàm ex Rescriptis SS. Pontificum nono sæculo vel octavo datis, cùm tam acres forent de Chorepiscopis contentiones, ac sententiæ diversæ?

Audacior factus Thomassinus, de Beneficiis p. 1. L. 2. c. 2. n. 5. falsi insimulat priorem saltem partem Epistolæ Nicolai ad Rodulphum. Verùm, quibus tandem ductus conjecturis? planè, nostro judicio, infirmis ac futilibus. Ait enim 1. *Qui potuisset Pontifex scribere septuaginta discipulos indubitatissimè Episcopos fuisse, ideoque posse Chorepiscopos eorum successores in Episcopales quoque functiones succedere? cùm ea doctrina capitaliter pugnet cum Rescriptis aliorum SS. Pontificum?* Verùm mox audivimus fatentem de Marca, pugnare, hìc inter se SS. Pontificum sententias. Expendat igitur æquus æstimatur, quænam ad veritatem, & ad mentem veterum Canonum accedat propiùs: talis nobis videtur esse Nicolai sententia, præsertim cùm Leo III. prædecessor Nicolai, qui in contraria fuit, eam ex falsis atque omnium Eruditorum judicio suppositis repetat prædecessorum suorum Epistolis, nempe Damasi, Leonis I. & Joannis III. qui scripsisse supponuntur, Chorepiscopos meros fuisse Presbyteros, nullatenus Episcopos. Ait 2. *Concilium Metense an.* 888. *paucis post annis congregatum nihil inaudiisse de hac Nicolai Papæ Epistola, aut eam potius suppositiam existimasse, siquidem jussit iterum consecrari Ecclesias à Chorepiscopis dedicatas.* Verùm quid inde colligas? Nisi Nicolai responsio terminatam atque finitam tunc temporis in Galliis non fuisse controversiam; adeo præjudiciis occupati erant, & varias in sententias non sine contentione distracti Gallorum nostrorum animi. An idcircò aut supposititium, aut à vero alienum dici debet Nicolai responsum? non certè, nisi pari ratione permittat Thomassinus, responsum Leonis III. à nobis pro spurio ac supposititio haberi: neque enim omnes ei acquieverunt, aut lis per ipsum finita est, quandoquidem & sub Leone IV. & sub Nicolao I. recruduit subinde quæstio. Ait 3. (quod invictum magis ipsi videtur argumentum) *Hincmarum graviter insurrexisse adversùs sui ævi Episcopos, qui Chorepiscopos ordinabant, eisque sanctissima quæque & intima ministerii Episcopalis munia delegabant. Non alio porrò præsidio in hac causa magis nixum fuisse, quàm Romanorum Pontificum auctoritate.* Quomodo autem id fecisset, si Nicolai rescriptum ut verum ac legitimum agnovisset? Verùm facilis est ex verbis ipsius Hincmari responsio. Non negat ille, Chorepiscopos esse verè Episcopos, quos agnoscit ab Episcopis ordinatos esse; sed conqueritur de Episcopis, qui præ ignavia ac fastidio suarum functionum, illos in Episcopos ordinabant, ut in eos totum rejicerent Episcopale pondus ac ministerium. *Quidam,* inquit Epistola 45. *Episcopi etiam à longè præcedentibus temporibus scandalum pro sua quiete & voluptatibus in Ecclesiam intromiserunt, ordinantes Chorepiscopos, & eis quæ summis Pontificibus conveniunt agere permittentes: quos Apostolica Sedes sæpius reprobavit, & Apostolico mucrone recidit.* Et Epistola 17. quæ est ad Nicolaum S. P. ait *Gotescalcum à Chorepiscopo Remorum Presbyterum fuisse ordinatum,* & quidem contra regulas, quia tales Ordinationes urbis Episcopis reservatæ erant: attamen eam non irritavit nec denuò conferendam existimavit Hincmarus.

To. 2. p. 756. n.16.

Ibid. p. 262.

Pro-

Probatur 3. Ex prærogativis quæ Episcoporum erant propriæ, & tamen Chorepiscopis concessæ sunt, non verò Presbyteris. V. g. offerre sacrificium præsente Episcopo Presbyteris non licebat, concessit tamen Chorepiscopis Synodus Neocæsariensis an. 314. Can. 13. *Presbyteri*, inquit, *ruris in Ecclesia civitatis, Episcopo præsente vel Presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt, nec panem sanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò absentes hi fuerint, soli dare debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam septuaginta videntur esse; ut comministri autem, propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur.* Honor autem ille in eo versatur, ut præsentibus Episcopo & Presbyteris urbis sacrificium offerant, & Eucharistiam dispensent. *Tom. 1. Conc. pag. 1485. B.*

Alia erat Episcoporum prærogativa, nempè canonicas seu commendatitias & pacificas Epistolas concedere Presbyteris viatoribus & peregrinis. Concilium verò Antiochenum jam citatum Can. 8. eamdem prærogativam indulget Chorepiscopis. *Chorepiscopi autem*, inquit, *qui sunt irreprehensibiles, dare possunt pacificas, id est generales Epistolas.* *Tom. 2. Conc. pag. 576. E.*

Non hìc commemoro Chorepiscopos aliquando Conciliis subscripsisse. Neocæsariensi duo subscribunt; Nicæno I. generali quindecim, scilicet Cappadociæ Provinciæ quinque, Isauriæ quinque, Syriæ duo, Bithiniæ duo, Ciliciæ unus. Non, inquam, hæc & similia commemoro Chorepiscoporum Conciliis subscribentium exempla, quòd exploratum sit Presbyteros, imò Diaconos & inferiores ministros Conciliis aliquando ex indulgentia & concessione Episcoporum subscripsisse.

Probatur denique nonnullis rationibus quæ videntur suadere debuisse Chorepiscopos Ordine Episcopali insigniri.

Prima, propter numerosam in pagis & villis Fidelium multitudinem, cui informandæ pares esse vix poterant Episcopi tot negotiis aliunde in urbibus occupati.

Secunda, quòd in Chorepiscoporum ordinem dejici solerent, qui ob aliquam causam ab Episcopi officio suspendebantur, ut patet exemplo Armentarii.

Tertia, quòd Episcopis ab hæresi ad Ecclesiam redeuntibus locus concederetur aliquando inter Chorepiscopos, ut patet ex Can. 8. Conc. Nicæni generalis I. ubi Episcopis Novatianis conceditur Chorepiscopatus.

Quarta, quòd Episcopis è suis sedibus expulsis, vel quas ob populorum duram & contumacem indolem adire non poterant absque sua culpa, provideretur de aliquo Chorepiscopatu, servato honoris ac dignitatis gradu. Ita colligitur ex Can. 18. Concilii jam citati Antiocheni. Nonnullas alias rationes vide apud Hallerium loco antea citato pag. 596.

Dices 1. Synodus Neocæsariensis Can. 13. mox citato ait, Chorepiscopos ad exemplum & formam septuaginta Discipulorum creatos fuisse: at septuaginta Discipuli non erant Episcopi; neque enim Apostolorum successores dicuntur: quin nostri Presbyteri & Parochi in eorum Discipulorum locum successisse vulgò creduntur; & nos ipsi suprà ostendimus Episcopos jure divino superiores esse Presbyteris, quia Episcopi successores sunt Apostolorum, Presbyteri verò septuaginta Discipulorum, qui ex divina ordinatione Apostolis inferiores fuere; ac nonnullos eam in rem laudavimus SS. Patres. Atque hinc est quòd citata Synodus Neocæsariensis illos Chorepiscopos comministros dumtaxat appellet, & propter pauperum curam, quam susci-

suscipiunt, honorandos: quasi ea solùm de causa illos honorandos dixisset, si Episcopali consecratione (quæ potissima causa esse debuisset honoris ac reverentiæ ipsis debitæ) ornatos illos cognovisset?

Resp. Synodum Neocæsariensem asserere quidem Chorepiscopos ad exemplum & formam septuaginta Discipulorum creatos fuisse: at numquam asseruit, Discipulos illos Ordinatione sua simplices fuisse Presbyteros, quod unum dumtaxat adversùs Conclusionem nostram urgeri hìc potest. Est quippè diversa Auctorum ecclesiasticorum sententia circa intrinsecam illorum septuaginta Discipulorum naturam: alii cum Nicolao I. Episcopos; alii cum Leone III. & multis Gallicanis Episcopis sæculo octavo & nono, simplices Presbyteros illos fuisse arbitrantur, Synodus verò citata nihil pronuntiat.

Nec repugnat 1. quòd illos Chorepiscopos comministros appellet. Quis enim ignorat solere Episcopos Coepiscopos suos sic compellare? Quin & eo nomine nonnumquam Presbyteros & Diaconos cohonestare dignantur, ut videre est in Epistola Concilii Antiocheni adversùs Paulum Samosatenum apud Euseb. Lib. 7. Hist. cap. 30.

Pag. 279. Non repugnat 2. quòd illos honorandos dixerit propter eorum erga pauperes curam. Licèt enim hanc rationem & causam exprimat, alias non excludit; imò supponit, cùm vocat eos Comministros.

Non repugnat 3. quòd nos ipsi docuerimus, septuaginta Discipulos fuisse Presbyteros, eoque nomine Apostolis inferiores: eo enim argumento usi sumus in sententia eorum qui docent, Discipulos illos gradu dumtaxat sacerdotali donatos fuisse, illæsa nihilominus aliorum contraria opinione. Quippè ad scopum nostrum sufficiebat tunc ostendisse Episcopos jure divino Presbyteris esse superiores, quod ostendebamus exemplo Apostolorum qui superiores fuere Discipulis, qui in sententia multorum simplices fuere Presbyteri; neque enim hìc nostra, sed Veterum quæritur sententia: Veteribus autem persuasum fuit Chorepiscopos accepisse consecrationem Episcopalem; neque quidquam inferes in contrarium ex verbis eorum qui Chorepiscopos Discipulis successisse asserunt, nisi iidem simul asserant expresse Discipulos illos non alia quàm sacerdotali Ordinatione insignitos fuisse, quod certè non asserit Synodus Neocæsariensis unde petitur objectio. Sancti verò Patres, quos laudavimus suprà, ubi de præeminentia Episcoporum supra Presbyteros, non affirmant Discipulos fuisse solummodo Presbyteros, sed hoc unum, eos fuisse in gradu Apostolis inferiores. Comparant enim Apostolos duodecim fontibus, & Discipulos sepuaginta palmis quæ Israelitis in Elim venientibus occurrerunt: at etsi supponantur Discipuli habuisse consecrationem Episcopalem, adhuc tamen meritò in gradu, hoc est auctoritate ac jurisdictione Apostolis inferiores dici potuerunt, sicut Chorepiscopi inferiores erant urbium Episcopis, quibus subjacebant; non enim tam ampla & independenti instructi erant auctoritate, ac ipsi Apostoli.

Tom. 1. Conc. pag. 1506. E. Instabis: Synodus Laodicena Can. 57. Chorepiscopos appellat *Periodeutas*, hoc est, juxta versionem Dionysii exigui, Visitatores, quòd nempè eorum partes dumtaxat forent Episcopi nomine lustrare rusticanas Paræcias, ac earum Præfectos in officio continere, eo ferè modo quo Decani rurales, aut Archidiaconi ruris Ecclesiis invigilant: unde à Scriptoribus ecclesiasticis vulgò Chorepiscopi Episcoporum Vicarii nuncupantur.

A Capitulari Aquisgranensi; à Ferrando Diacono, in

Resp. ad primum, nego 1. Synodum agere de Chorepiscopis: imò vetat consti-

constitui in vicis & pagis Episcopos, eorumque loco tantùm Visitatores seu *Periodeutas* mittendos esse statuit. 2. etsi Chorepiscopos *Periodeutas* appellasset, an meritò concluderes eos Episcopos non fuisse? minimè profectò. Periodeutæ enim apud Veteres dicebantur cujuscumque morbi sive corporis sive animi curatores, medici. Vide Suicerum Tom. 2. pag. 676. At Chorepiscopi lustrando sibi subjectas Ecclesias, animorum morbos Sacramentorum dispensatione curabant, etiam quatenus Episcopi. *in Breviario Canonum tit. 79. ab Isidoro antea citato L. 2. de Offic. ecclesi. cap. 6. &c.*

Ad secundum: idcircò Chorepiscopi Vicarii Episcoporum dicuntur, quòd ipsis subjecti forent, eorumque functiones in pagis & villis exercerent.

Dices 2. Conc. Sardicense Can. 6. prohibet ne in vico Episcopus constituatur. *Licentia*, inquit, *danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter; quia non est necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat nomen Episcopi & auctoritas*. Idem prohibet mox citata Synodus Laodicena Can. 57. *Quòd non oportet*, ait, *in vicis & pagis Episcopos constitui, sed Periodeutas ..... eos autem qui priùs constituti fuerunt nihil agere sine mente Episcopi qui est in civitate. Similiter autem & Presbyteros nihil agere sine mente Episcopi*. *Tom. 2. Conc. pag. 645. E.* *Tom. 1. Conc. pag. 1606. E.*

Præterea certum est Episcopos à tribus saltem Episcopis consecrari debere: Chorepiscopi verò à solo urbis Episcopo cui subjacebant, ordinabantur: *Chorepiscopum*, ait Canon 10. Antiochenus inter probationes Conclusionis citatus, *civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est*. Ergo Chorepiscopi non erant veri Episcopi. *Tom. 2. Conc. pag. 577. C.*

Resp. ad primum, re ipsa nonnullis Conciliorum Decretis prohibitum fuisse quarto sæculo ne crearentur in pagis & villis Episcopi: at ex illa prohibitione colligitur antea fuisse tales in pagis creatos Episcopos, quod clarissimè significat qui hic opponitur Canon Laodicenus: *eos*, inquit, *qui priùs constituti fuerant nihil agere &c.* Quinimò post illam prohibitionem, quæ certè non obtinuit, ipso etiam quarto & sequentibus sæculis visos fuisse Episcopos in pagis, ex certissimis ac veteribus monumentis eruimus. Inter Episcopos quos Alexandriæ congregavit S. Athanasius, recensentur Marcus, Agathodemon, Dracontius, qui in pagis & oppidulis sedebant Episcopi. Ita colligimus ex Epistola S. Athanasii ad Antiochenos Tom. 1. pag. 580. Synesius Epistola 76. observat post obitum Athamas, delectum fuisse qui in pago, cui nomen Olbium, Episcopum ageret. In Collatione 1. Carthaginensi cap. 181. pag. 503. aliqui pariter memorantur in pagis Episcopi, tam ex parte Donatistarum, quàm ex parte Catholicorum: quin octavo & nono sæculo eos in Gallia & Germania obtinuisse, ex controversia his temporibus circa eorum auctoritatem excitata notius est, quàm ut in dubium revocari possit. Dici etiam non immeritò posset, Canonibus Sardicensi & Laodiceno non absolutè ac simpliciter prohibitum fuisse ne crearentur in pagis & villis Episcopi, sed ne crearentur cum ea jurisdictionis amplitudine quæ convenit Episcopis urbicis, & quam usurpare nonnulli Chorepiscopi tentaverant: eos igitur intra modum suum contineri jubet, ne scilicet quidquam agant sine conscientia Episcopi urbis cui subjacent. *Basnage Hist. de l'Eglise L. 1. ch. 5. n. 7. p. 19. Ed. novæ Tom. 1. p. 706. Pag. 222.*

Ad secundum, falsò supponitur Chorepiscopos à pluribus ordinatos non fuisse Episcopis: expressè siquidem Canon 10. citatus Antiochenus asserit illos *impositionem manus Episcoporum percepisse*. Cùm igitur eodem Canone dicitur, *debere Chorepiscopum ab Episcopo civitatis ordinari*, non excluditur

O 2 alio-

aliorum assistentium Episcoporum consortium, sed hoc discrimen dumtaxat statuitur inter Ordinationem Episcopi urbis, & Chorepiscopi, quòd urbis Episcopus ab Episcopis Provinciæ & Metropolitano, Chorepiscopus autem ab Episcopo urbis cujus ditioni subjacebat, tamquam à consecratore, & aliis Episcopis villanis assistentibus ordinari deberet.

Dices 3. SS. Pontifices Damasus Epistola 4. vel 5. S. Leo Epistola 86. Joannes III. Epistola unica, Leo III. in Responsione ad Consulta Gallorum, tribus jam expositis rationibus freti, nimirum Chorepiscopos septuaginta Discipulis succedere, à tribus Episcopis non fuisse juxta morem Ecclesiæ ordinatos, & non in urbibus, sed in pagis institutos, declarans eos verè Episcopos non fuisse, adeoque iterandas Ordinationes ab illis factas; cui definitioni, præsertim verò Leonis III. adhæsere Galli & Germani, ut patet ex Capitulari Aquisgranensi an.803. Tom. 1. Capitularium Regum Francorum pag.379. & Tom. 7. Conc. pag.1169. Hanc S. Pontificis declarationem excepit & ad Gallos detulit Arno Archiepiscopus, ea de controversia, quæ Gallias tunc temporis agitabat, Romam à suis Collegis Episcopis Gallis & Germanis missus. Idem statutum fuit an.829. à Concilio Parisiensi VI. Can. 27. & Meldensi an. 845. Can.44. & Metensi an. 889. Vult quippè ut Basilicæ à Chorepiscopis consecratæ, ab Episcopis consecrentur: quia, juxta Decreta Damasi Papæ, Innocentii & Leonis, vacuum est & inane quidquid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio; quòd ipsi iidem sunt qui & Presbyteri, qui quidem, ait Concilium Hispalense Can. 7. *Pontificatus apicem non habent*.

Morin. p. 52. Resp. 1. vel ipso judice Morino, qui nobis hic adversatur, supposititias esse Epistolas Damasi, Leonis I. & Joannis III. Quibus ille momentis id efficiat, lege cap. 1. Exercitationis 4. num. 5. & 6. Et cap.2. n.13.

Idem pag. 59. B. ait *se nolle ex illis Epistolis argumentari, tamquam ex auctoritate Damasi, Leonis I. aut Joannis III. sed tamquam ex auctoritate Leonis III. eorum successoris, & Episcoporum Galliæ & Germaniæ, qui Epistolas istas, undecumque sint, probaverunt, Damasi & Leonis esse crediderunt, & illis similia statuerunt, verbis plerumque inde depromptis*.

Verùm si falsæ sunt illæ Epistolæ, ut rectè demonstrat Morinus, quod tandem erit firmum ac solidum responsionis Leonis III. fundamentum, cùm in illis spuriis Epistolis tota innitatur? Quæ erit illius vis & auctoritas, cujus tam fluxum est ac labile fundamentum? Neque enim haud dubiè sic respondisset in re facti Leo III. S. P. nisi deceptus fuisset illis falsis prædecessorum suorum Epistolis: ipse verò Nicolaus III. rei veritate detecta & explorata, omninò contraria subinde responsionem dedit ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum. Nec dissimulat Illustriss. de Marca, pugnare hic inter se SS. Pontificum Rescripta: unde antea inferebamus, cuique liberum esse, salva quæ debetur SS. Pontificibus reverentia, quam voluerit sequi opinionem.

Respondet aliqui, suppositionis & falsitatis argui non immeritò posse vel hoc ipsum Leonis III. responsum, ac Capitulare illud Aquisgranense. 1. quia, inquiunt, verisimile non est quòd Rodulphus consuluisset Nicolaum, & ante Rodulphum Hincmarus Leonem IV. circa Chorepiscopos, si ea controversia priùs per Leonem III. omnibus approbantibus Episcopis decisa fuisset. Arnonem igitur in mandatis habuisse dicunt, ut Leonem consuleret de conjuratione in Imperatorem facta, non de Chorepiscopis. 2. quia in illo

illo Capitulari Aquisgranensi mentio fit cujusdam Concilii celebrati in Reginisburge, de quo tamen altum silentium apud Scriptores vitæ Caroli Magni & in Tomis Conciliorum. 3. quia in Conciliis Parisiensi & Meldensi, quæ duo sunt indubitatæ auctoritatis, aliter quàm in hoc Capitulari decretum legitur. 4. quia verisimile non videtur Leonem III. damnavisse Chorepiscopos, quos Synodus Nicæna II. approbaverat, quam Synodum Adrianus immediatus ejus successor calculo suo confirmaverat. Denique vel ipsi Illustrissimo de Marca, Concordiæ Lib.2. cap.14. num.6. durum & insolens videtur quòd Leo III. & Capitulare Aquisgranense Chorepiscopis facultatem denegaverint ordinandi Subdiaconos, *quæ tamen*, inquit, *illis disertè permissa fuerat à Concilio Antiocheno, nec dum erat ullo decreto vetita*.

Quidquid sit de illa responsione, cùm eadem recurrat difficultas petita ex Conciliis citatis Parisiensi, Meldensi ac Metensi, responderi debet, vel reipsa sic censuisse Leonem III. & Episcopos Gallicanos, qui cùm remotiores essent à prima origine & institutione Chorepiscoporum, in re facti decipi facilè potuerunt, nec eorum sententia legis necessitatem imponit nobis ut ei subscribamus, renitente Nicolao I. contradicentibus veteribus Conciliorum Canonibus: vel, quod Hallerio placet, dici potest duos fuisse octavo & nono Ecclesiæ sæculo Chorepiscoporum ordines, & alios Episcopali, alios verò Presbyterali dumtaxat Ordinatione donatos fuisse, atque istorum solummodo nullas fuisse ac denuò iteratas Ordinationes, non aliorum. Distinctionem hanc tempore Caroli Magni incognitam non fuisse, antea ostendimus ex Concilio Aquisgranensi anni 789.

Dices ultimò: Concilium Hispalense II. ann. 619. Can. 7. redarguit Agapium Cordubensem Episcopum, quòd ad munia Episcopalia exercenda Presbyteros & Chorepiscopos delegaret; vultque nihil amplius Chorepiscopis licere, quàm Presbyteris.

Resp. Concilium de solis agere Presbyteris, atque Chorepiscoporum nomen adultera manu in textum irrepsisse: & reipsa non legitur in editione Conciliorum Labeana Tom. 5. pag. 1665. sed ad marginem rejicitur. Observat Morinus Exercitationis 4. cap. 1. num. 6. *Epistolam 86. quæ S. Leoni tribuitur, nihil esse aliud quàm Canonem hunc septimum Concilii Hispalensis de verbo ad verbum translatum, cui additum est exordium inconditum & puerile, tam eloquente Pontifice, & in periodis suis limandis & perspicuè circumducendis accuratissimo indignum*. Ab eodem igitur fraudis artifice nomen Chorepiscoporum insertum fuit in Canone Hispalensi, à quo conficta fuit Epistola illa & sub nomine S. Leonis evulgata. Pag. 53 D.

ARTICULUS II.

De Presbyteratu.

De nomine Presbyteri jam diximus suprà, ubi de Episcopatu. Presbyter græcè idem est ac Senior, non solùm propter ætatis maturitatem, quæ Presbyterorum Ordini maximè necessaria est, ait Catechismus Rom. parte 2. de Ordinis Sacramento num. 45. sed multò magis propter morum gravitatem, doctrinam & prudentiam: ut enim scriptum est, *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Sap. 4. v. 8.

In veteri & novo Testamento nomen Presbyteri ferè pro Magistratu

plebis accipitur, quòd ea præfectura plerumque deferri soleat viris ætate provectis. Apud nos propriè significat præfecturam Ecclesiasticam in ordine ad spiritualem potestatem, consecrandi scilicet Eucharistiam, & dimittendi peccata. Eo nomine comprehenduntur tum Episcopi, qui supremi sunt, tum simplices ac inferiores Sacerdotes. Priori sensu accipitur in 2. & 3. Epistola S. Joannis, & 1. S. Petri ubi Apostoli seipsos *Seniores* seu *Presbyteros* appellant; & ad Titum 1. capite ubi ait, *Propterea reliqui te Cretæ ut constituas per civitates Presbyteros &c.* Posteriori verò sensu usurpatur 1. ad Timoth. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris*, ait S. Paulus. Et v. 19. *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Et v. 17. *Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.*

Presbyteri nonnumquam Sacerdotes appellantur, tum quia Deo consecrati sunt, tum quia ad eos pertinet Sacramenta administrare, resque sacras & divinas tractare.

Presbyteratus definitur, Ordo per quem datur potestas consecrandi corpus Christi, & remittendi peccata: qua definitione continetur duplex pars officii & ministerii Presbyteralis.

Circa Presbyteratum hæc tria expendenda hic sunt.

I. An sit verum Sacramentum.

II. Quæ sit materia & forma essentialis Presbyteratus.

III. De variis Presbyterorum gradibus.

An Presbyteratus verum sit Sacramentum.

CONCLUSIO.

Presbyteratus verum est Sacramentum.

Probatur 1. quia tres conditiones ad verum Sacramentum requisitæ ipsi conveniunt.

I. Quidem est signum sensibile: per impositionem scilicet manuum & orationem. Act. 14. v. 22. *Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent:* in græco, pro verbo *constituissent*, habetur *manus imponentes*. Favet SS. Patrum & Conciliorum Traditio, quæ illius impositionis manuum in Presbyterorum inauguratione meminit. Ita sanctus Dionysius de Ecclesiast. Hierarchia cap. 5. sanctus Cyprianus Epistola 68. Eusebius Lib. 6. Hist. Ecclesiast. cap. 23. ubi ait Origenem Presbyterii gradum per impositionem manuum Cæsareæ ab illius regionis Episcopis accepisse. Concilium Nicænum I. Can. 9. Neocæsariense Can. 9. Ancyranum Can. 10. Carthaginense IV. cap. 3. Chalcedonense Can. 1. 10. & 17. Sanctus Basilius Epistola ad Amphilochium Can. 1. & 31. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. S. Chrysostomus Hom. 14. in caput 15. Actuum Apost. & in 1. ad Timoth. cap. 4. v. 14. S. Ambrosius Lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. S. Hieronymus in caput 58. Isaiæ: S. Augustinus Lib. 5. de Baptismo cap. 20. Innocentius I. Epistola 22. cap. 3.

[Margin: χειροτονήσαντες.]

[Margin: Pag. 224.]

[Margin: Presbyteratus à Christo institutus.]

II. Presbyteratus est à Christo institutus in ultima Cœna, cùm nempè Apostolis suis eorumque in sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi corporis sui his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. v. 28. Christus, inquit Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1. *Sacerdotem se-*

cundùm

cundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit. Alteram verò partem potestatis Presbyteralis, quæ in dimittendis peccatis versatur, concessit post Resurrectionem, cùm dixit Joan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Tom. 14. Conc. pag. 853. A.

Hanc autem duplicem potestatem solis Presbyteris convenire, nos aliàs ostendimus, ubi de Eucharistia & Pœnitentia.

III. Ordini Presbyteratus annexa est gratia sanctificans. Tum quia confertur per signum cui sanctificantem gratiam annexam esse probavimus initio hujus Tractatus, cùm adversùs Novatores demonstrabamus sacram Ordinationem esse verum & propriè dictum Sacramentum: eadem quippè argumenta quæ tunc proponebamus hic recurrunt, quæ consule. Tum quia expressè Christus dando potestatem dimittendi peccata, dixit, *Accipite Spiritum sanctum &c.* quæ verba in Ordinatione Presbyterorum Episcopus pronuntiat. Tum quia ita docent SS. Patres, S. Gregorius Nyssenus Oratione de sancto Baptismate; Conc. Chalcedon. Can. 2. S. Augustinus Lib. de bono conjugali c. 24. & L. 1. contra Donatistas cap. 1. S. Leo Epistola 81. ad Dioscorum c. 1. & Epistola 87. c. 1.

Probatur 2. Quia hæc est manifesta Conciliorum Florentini & Tridentini doctrina.

Florentinum in Decreto, ubi de Sacramento Ordinis, Episcoporum mentionem expressam nullam facit, sed Sacerdotum, Diaconorum ac Subdiaconorum, quòd nempè Episcopatus supremum sit sacerdotium, atque necesse sit eum priùs esse Sacerdotem, qui Episcopus consecratur. Tom. 13. Conc. pag. 538. E.

Tridentinum verò etsi disertè ac conceptis terminis non asserat Presbyteratum esse Sacramentum, certò tamen colligitur ex iis quæ de sacerdotio ac Sacerdotibus docet. Sess. 21. cap. 1. mox citato ait à Christo institutos *Sacerdotes cùm dixit, Hoc facite in meam commemorationem.* Sess. verò 23. c. 1. docet *esse in Ecclesia Dei visibile Eucharistiæ sacrificium, & visibile pariter ac externum sacerdotium quod à Domino Salvatore institutum est; atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio traditam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi & retinendi.* Cap. 2. docet *plures esse in Ecclesia Ordines qui omnes ad sacerdotium referuntur.* Cap. 4. damnat *eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere . . . aut omnes Christianos promiscuè Sacerdotes esse.* Quam verò doctrinam capitibus exposuit, Canonibus definivit. Tom. 14. Conc. pag. 853. A. Ibid. pag. 862. B. Ibid. C. Ibid. pag. 863. A.

Can. 1. *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus & sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi, sed officium tantùm & nudum ministerium prædicandi Evangelium: vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.* Ibid. D.

Can. 2. *Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris; anathema sit.*

Presbyterorum Ordo conspicuus semper in Ecclesia fuit, cum dignitate ac reverentia exceptus. Conc. Carthag. IV. non patitur Presbyterum coram Episcopo sedente erectum stare. *Ut Episcopus*, inquit cap. 34. *quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur.* Et cap. 35. jubet *ut Episcopus in Ecclesia, & in consensu Presbyterorum sublimior sedeat; intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat.*

Tom. 2. Conc. Pag. 1203. A.

Objectiones quæ hic à Novatoribus proponi solent, jam diluimus initio hujus Tractatus.

De materia & forma essentiali Presbyteratus.

Ut assignetur ritus qui materiæ & formæ essentialis rationem habeat in consecratione Presbyterorum, necesse est paucis exponere cærimonias & ritus qui in Ecclesia tum Latina tum Græca usurpantur, cùm ordinantur Presbyteri.

Apud Latinos. I. Post monitum ad Ordinandos, super caput uniuscujusque manus ambas imponit Episcopus nihil dicens: idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt Ordinationi: quo facto tam Pontifex quàm Sacerdotes tenent manus extensas super illos; & Pontifex ait: *Oremus fratres charissimi &c.* ut legitur in Pontificali Romano.

II. Stolam ab humero sinistro cujuslibet, capiens partem quæ retro pendet, & imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus in modum crucis, singulis dicens: *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.*

III. Imponit cuilibet casulam usque ad scapulas, cum his verbis, *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur: potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem & opus perfectum.*

IV. Manus ambas inungit oleo Catechumenorum, dicens: *Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem & nostram benedictionem, ut quæcumque benedixerint, benedicantur, & quæcumque consecraverint, consecrentur & sanctificentur in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

V. Tradit cuilibet calicem cum vino & aqua, & patenam suppositam cum hostia, & ipsi illam accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam calicis & patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente: *Accipe potestatem offerre sacrificium, Missasque celebrare, tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Domini. Amen.*

VI. Sub finem Missæ Pontifex imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium dicens cuilibet: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

VII. Denique explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, dicens: *Stola innocentiæ induat te Dominus.*

Apud Græcos verò sic ordinantur Presbyteri, referente Arcudio Lib. 1. cap. 2. & Goario in Rituali Græcorum pag. 292.

I. Pontifex caput Ordinandi ter signo crucis obsignat.

II. Pontifex dextram manum capiti Ordinandi impositam tenens, excla-

exclamat, *Divina gratia quæ semper infirma curat, & ea quæ desunt adimplet, promovet N. devotissimum Diaconum in Presyterum. Oremus pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus.*

III. Iterum ter eum signat Pontifex manu imposita super caput ejus, funditque orationem qua precatur Deum ut auxilium desursum infundat ei qui ordinatur.

IV. Iterum manu imposita aliam orationem fundit, quæ incipit ab his verbis, *Deus in virtute magnus &c.* qua finita posteriorem stolæ partem ad anterius dextrum latus reducit dicens: *Dignus &c.*

V. Induit illum casula dicens: *Dignus*. Tum demùm Presbyter ordinatus osculo salutat Pontificem ac Presbyteros; statque in loco Presbyterorum & Liturgiam unà cum iis recitat.

VI. Pontifex sanctum panem dat Ordinato, dicens: *Accipe depositum istud, & custodi illud usque ad adventum Domini nostri J. C. cùm à te repetetur*. In quem locum observat Goarius pag. 299. panem illum esse particulam jam consecratæ Eucharistiæ: olim tamen panem nondum consecratum tradi solitum, non diffitetur: qui ritus, teste Arcudio Lib.6. c.3. in Russia adhuc observatur.

Observa Latinam & Græcam Ecclesiam conspirare in retinenda pariter manus impositione & oratione in Ordinatione Presbyterorum.

Differt verò Ordinatio Græcorum à nostra, quòd apud Græcos 1. Presbyteri manus non imponunt aliis ordinandis Presbyteris. 2. quòd nulla legantur apud ipsos tradi instrumenta: panis enim, sive consecratus dicatur, sive non, post completam Ordinationem apud ipsos porrigitur. 3. pariter non usurpant Græci verba ista, *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c. Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* sed una & eadem oratione utramque Presbyteratus potestatem exprimunt & conferunt. 4. denique nulla unctionis apud eos mentio, in consecratione Presbyterorum.

Controversia igitur est inter Theologos, de ritu in quo præcisè essentialis materia & forma Præsbyteratus reponi debeat.

Quatuor verò circumferuntur ea de re Scholasticorum opiniones, de quibus Vasquez disput.239. cap.2. Morinus Exercitatione 7. cap.1. & nos superiùs ad Quæstionem hujus Tractatus primam, ubi generatim de materia & forma Sacramenti Ordinis differebamus. Pag. 550. 3. To. in 3. part. S. Thom.

Prima, solam manus impositionem pro materia, & solam orationem pro forma Presbyteratus assignat.

Secunda, solam instrumentorum porrectionem, calicis nempè cum vino, & patenæ cum superposita hostia, cum istis verbis, *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c. Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* putat esse essentialem materiam & formam; manus verò impositionem cum adjuncta oratione, accidentalem esse ac purè cærimonialem.

Tertia, tum impositionem manus cum oratione, tum porrectionem instrumentorum cum verbis adjunctis admittit: sed cùm triplex occurrat in ritu Ordinationis Presbyterorum manus impositio; prima quæ fit initio ab Episcopo & Presbyteris præsentibus, sine ullis verbis: altera, quæ immediatè sequitur & adjunctam habet orationem quam pronuntiat Episcopus; tertia denique quæ fit sub finem Missæ ab Episcopo cum his verbis, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittentur eis &c.* disputatur inter patronos tertiæ hujus sententiæ, quænam ex illis impositionibus manus, sit essentialis:

tialis: alii solam ultimam, alii verò solam secundam quæ sociam habet orationem, essentialem esse contendunt.

Rursus; cùm porrectio instrumentorum sit & natura sua, & etiam in ritu Ordinationis tempore distincta ab impositione manus, quæritur utrum unaquæque partialis materia cum sibi adjuncta pariter forma partiali, suum peculiarem producat effectum, seu specialem tribuat potestatem & quidem independentem, ita ut nullo in casu materia priùs tradita effectum posterioris supplere possit. V. gr. cùm Episcopus tradendo calicem cum vino, & patenam cum hostia, dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium;* quæritur utrum ea actione conferatur potestas sacrificium offerendi; sicut pariter cùm posteà idem Episcopus imponendo manus ait: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittentur eis;* utrum conferatur potestas dimittendi peccata à priori distincta & independens, quæ suppleri nullatenus possit per priorem materiam & formam; ita ut si eo intervallo temporis, quod interjacet inter utramque actionem, moreretur Episcopus, ordinatus Presbyter haberet quidem potestatem offerendi sacrificium, non verò dimittendi peccata, nisi alius Episcopus suppleret materiam & formam illam partialem quæ defuerat. Iterum quærunt, an per quamlibet illam materiam & formam partialem producatur partialis character, & ex partialibus illis characteribus unicus totalis exsurgat; an verò unicus statim per primam actionem producatur, qui per subsequentem extendatur dumtaxat ad novam aliquam potestatem, seu novum ministerium exercendum.

Quarta denique opinio censet ipsam unctionem esse materiam essentialem Presbyteratus. Sententiam hanc amplexus est Cardinalis Hosius.

Dissimulandum non est, ex his opinionibus primam simpliciorem videri, nec tot nodis & incidentibus aliunde quæstionibus implicatam esse.

CONCLUSIO.

Materia essentialis Presbyteratus est sola manus impositio; sola oratio, forma.

Non est quòd hìc immoremur in congerendis argumentis quibus Conclusionis nostræ veritas elucescat & demonstretur, ea enim jam exposuimus initio hujus Tractatus. Nonnulla hìc dumtaxat breviter adjicienda, ut mox propositis quæstionibus occurratur.

Quæres igitur 1. quænam impositio manus ex tribus enumeratis habenda sit pro essentiali materia Presbyteratus.

Resp. nec primam, nec tertiam, sed secundam dumtaxat videri essentialem materiam Presbyteratus.

I. Quia quæ ordine prima est manus impositio nulla habet adjuncta verba: observat enim Pontificale Romanum, Episcopum dum manus imponit, nihil dicere; non igitur materiæ essentialis rationem habet.

II. Quæ ordine tertia & postrema fit versùs finem Missæ cum istis verbis, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* supponit jam consecratos Sacerdotes; siquidem simul cum Episcopo verba consecrationis Eucharistiæ pronuntiarunt, & reipsa Christi corpus consecrarunt: non est igitur essentialis materia.

Pag. 135. num. 2. Addit Morinus Exercitatione 7. cap. 2. totam illam cærimoniam, & secundùm materiam, & secundùm formam, & secundùm circumstantias, mille ducen-

ducentis annis incognitam fuisse in Ecclesia Dei, & in nullis Libris Ritualibus ante hoc tempus legi, licèt copiosi sint, & singulos ritus sigillatim describant. Imò notat Major, qui an. 1516. Commentarios suos in 4. Sentent. Parisiensis edebat, in multis Ritualibus Libris, juxta quos multæ tunc temporis Ecclesiæ Ordines conferebant, deesse istam manus impositionem cum verbis relatis. Deerat pariter in Ecclesia Hispal. an. 619. cùm querelæ delatæ sunt ad Concil. Hispal. II. de Ordinatione Presbyteri, in qua unus Presbyter orationem pronuntiaverat, eo quòd Episcopus præ oculorum dolore eam legere non potuisset: qui enim opus fuisset illi Episcopo Presbyteri ministerio ad legendam formam Ordinationis, si in istis paucissimis verbis posita fuisset, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata &c.* memoriter enim illam haud dubiè protulisset, cùm sit brevissima, & communissima, quæ nulli Presbytero, nedum Episcopo, incognita esse non poterat: nullibi pariter apparent illa verba apud Græcos in Ordinatione Presbyterorum. Hæc igitur tertia impositio manus, cum verbis istis, *Accipe Spiritum sanctum*, ad pompam & solemnitatem dumtaxat Ordinationis pertinet, & ad majorem potestatis jam collatæ significationem ac demonstrationem.

Sola igitur manus impositio, quæ ordine secunda occurrit in Pontificali Romano, & quæ adjunctam habet orationem Episcopi, videtur essentialis. Hæc videtur esse mens Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. *ubi Extremæ unctionis ministros docet esse solos Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii*, hoc est per impositionem manus tum Episcopi, tum assistentium Presbyterorum: ubi evidens est Concilium loqui de priore manuum impositione, nam in posteriore solus Episcopus manum imponit. *Tom. 14. Concil. p. 822. E.*

Concilium pariter Carthaginense IV. Can. 3. mentionem facit illius impositionis manuum Presbyterorum. *Presbyter*, inquit, *cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Non inde tamen existimaverim illam impositionem manuum ex parte Presbyterorum assistentium planè essentialem esse, & ad substantiam Ordinationis pertinere: tum quia Presbyteri non censentur ministri sacræ Ordinationis: tum quia nulla ipsi verba proferunt, nullam orationem pronuntiant. In signum igitur cooptationis & societatis ad simile ministerium illius qui ordinatur ab Episcopo, Presbyteri manus imponunt, cui cærimoniæ correspondet apud Græcos salutatio. *T. 2. Conc. p. 1199. B*

Quæres 2. an quælibet partialis materia & forma suum peculiarem, distinctum & independentem effectum, ac partialem producat characterem, sicut paulò antea exposuimus.

Resp. negativè: effectus enim non parti, sed toti tribuitur Sacramento. Materia quippè & forma in Sacramentis non operantur, nisi quatenus perficiunt totum morale compositum, quod Sacramentum vocamus, cui annexa est vis & efficacia: non igitur producitur effectus Sacramenti, sive unus sit, sive multiplex, nisi cùm Sacramentum suis omnibus partibus essentialibus perfectum est ac completum.

Non igitur partialis potestas, nec partialis character unicuique partiali materiæ vel formæ correspondet, sed totalis effectus; ac unicus character producitur, cùm perfectum est essentialiter Sacramentum. Ex quo inferes, in ipsa potestate quæ datur offerendi sacrificium, contineri pariter potestatem dimittendi peccata; atque verba ista, quæ postmodum pronuntiat Episcopus,

ſcopus, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c.* declarativa dumtaxat eſſe ac magis expreſſiva poteſtatis jam datæ: eadem etenim actione confertur poteſtas in corpus Chriſti naturale & myſticum.

Fruſtra objicies exemplum Euchariſtiæ, quæ cùm duplici partiali conſtet materia & forma, ſuus unicuique reſpondet diſtinctus effectus, nempè conſecratio corporis & conſecratio ſanguinis diſtincta. Namque ratio hujus diverſitatis ex eo petitur, quòd Echariſtia ſit ſimul & ſacrificium & Sacramentum; atque ad rationem ſacrificii neceſſe ſit utramque ſpeciem ſeparatim conſecrari: ad Sacramenti verò integritatem ſufficit Euchariſtica ſub una ſpecie communio.

Dices 1. Conc.Trid. Seſſ.23. Can.4. ait, Epiſcopos non fruſtrà in Ordinatione dicere, *Accipe Spiritum ſanctum*. Supponit igitur Synodus, per hæc ipſa verba conferri Spiritum ſanctum ad dimittenda peccata.

Reſp. nego conſ. Concilium etenim hoc Canone definire vult dumtaxat adversùs Novatores, per ſacram Ordinationem dari Spiritum ſanctum, & characterem imprimi; at per hæc ipſa verba quæ pronuntiat Epiſcopus, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* gratiam infundi, nuſquam aſſeruit Synodus. Duo verò hæc diſtincta maximè ſunt, nempè non fruſtrà ab Epiſcopo dici, *Accipe Spiritum ſanctum*; & per hæc ipſa verba dari Spiritum ſanctum: priùs verum eſt, quia revera datur in Ordinatione ſacra Spiritus ſanctus, licèt non detur præcisè virtute illorum verborum.

Inſtabis: Verba citata enuntiativa ſunt: quòd ſi reipſa non operantur id quod ſignificant, falſa eſt enuntiatio.

Reſp. verba hæc enuntiare ſeu declarare expreſſiùs jam collatam auctoritatem: unde falſa non eſt enuntiatio, ſed declarativa & confirmativa rei jam peractæ.

Dices 2. Chriſtus reipſa ſuis Apoſtolis per diverſas actiones ac diverſis temporibus cònceſſit poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, & dimittendi peccata: iſtam poſt Reſurrectionem; illam in ultima Cœna. Quidni igitur Eccleſia diverſa actione in ordinandis Sacerdotibus duplicem illam conferat poteſtatem?

Reſp. neg. conſ. multa etenim fecit Chriſtus, ad quæ facienda in Sacramentis perficiendis, nulla lege adſtringimur. V.g. conceſſit Apoſtolis ſuis auctoritatem conſecrandi Euchariſtiam poſt cœnam, & per iſta verba, *Hoc facite in meam commemorationem*. An hæc obſervare tenemur, & neceſſaria ſunt abſolutè? minimè. Poſteà, & quidem actione diverſa, inſufflando ſcilicet, eiſdem Apoſtolis dedit poteſtatem dimittendi peccata. An inſufflatio jam neceſſaria eſt? non puto. Igitur nec pariter neceſſe eſt ut actione & tempore diſtincto conferatur in ritu Ordinationis Sacerdotum poteſtas dimittendi peccata; ſed, ut jam diximus, cenſetur ſimul dari cum poteſtate conſecrandi Euchariſtiam, licèt poſtea magis evolutè ac explicitè declaretur.

Quamquam dici poſſet, in ultima etiam Cœna, cùm Chriſtus Sacerdotes inſtituit, eis non tantùm ſacrificium offerendi, ſed & peccata dimittendi facultatem dediſſe radicalem & eſſentialem, ut ita dicam, ſed ligatam ac ſuſpenſam uſque ad illud tempus, quo à morte exercitatus eos miſit per Orbem univerſum, dicens Joan.20. v.21. *Pax vobis: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos ...... Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Pari modo Sacerdotes cùm accipiunt in ſua Ordinatione pote-

potestatem offerendi sacrificium, accipiunt quidem radicalem & essentialem potestatem dimittendi peccata, sed ligatam ac suspensam, donec ab Episcopis mittantur, hoc est, ab illis jurisdictionem habeant omnino necessariam, ut peccata in tribunali Pœnitentiæ valeant dimittere.

Quæres 3. an unctio Presbyterorum pertineat ad essentiam Presbyteratus.

Resp. negativè: tum quia non habetur in Scripturis: tum quia in usu nunquam fuit apud Græcos: tum quia tempore Nicolai I. nono scilicet sæculo, hæc unctio Romæ non erat in usu. Nam in Epistola 19. quam scribit iste Pontifex ad Rodulphum Bituricensem Episcopum, sic habet nú.3. *Præterea sciscitaris, utrùm solis Presbyteris, an & Diaconibus, debeant, cùm ordinantur, manus chrismatis liquore perungi: quod in sancta hac Romana, cui Deo auctore deservimus, Ecclesia neutris agitur.*

Hunc Nicolai textum referunt Yvo Carnotensis in Decreto part.6. cap. 121. Gratianus dist. 23. cap. 12. idque confirmant antiquissimi Libri Rituales Romani à Morino delati Exercitatione 6. qui unctionis Presbyterorum mentionem non faciunt.

Hunc tamen ritum in Ecclesia Gallicana fuisse ab antiquo receptum, probat laudata mox Nicolai Epistola; confirmant Amalarius Lib.2. de Officiis cap.13. Theodulphus Aurelianensis in Capitulari ad Ecclesiæ suæ Presbyteros.

Quæres 4. quæ sint Præsbyterorum officia.

Resp. hæc breviter exponi ab Episcopo, in sermone quem ad Ordinandos convertit juxta Pontificale Romanum. *Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium*, ait, *illud dignè suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut cœlestis sapientia, probi mores, & diuturnæ justitiæ observatio ad id electos commendet &c.* T.8.Conc. p.505.C.

De variis Presbyterorum gradibus.

Inter Presbyteros alii sunt aliis gradu ac dignitate superiores, quales sunt Vicarii generales Episcoporum, Officiales, Archipresbyteri, Archidiaconi, Pœnitentiarii, Theologi, Decani, Canonici, Parochi.

Vicarii generales.

Vicarius ille dicitur qui alterius vices gerit, & implet officium: cùm verò in Episcopo triplex sit potestas, Ordinis, jurisdictionis voluntariæ seu gratiosæ, & jurisdictionis contentiosæ: Vicarii opem in hoc triplici munere exercendo adsciscere sibi potest Episcopus: ad Ordines quidem conferendos nonnisi Episcopum, quod solent in Germania multi Principes Episcopali dignitate decorati; ad alia verò munia Presbyteros advocare potest. Olim unus & idem simul erat Vicarius generalis Episcopi, Officialis, Archidiaconus, Pœnitentiarius; in unum enim & eumdem hominem precariò concurrebant omnia Episcopi officia: quoniam tempore unus dumtaxat erat, aut saltem non ita frequentes in unaquaque Ecclesia Presbyteri, necesse erat, excepta Ordinatione, in eum Presbyterum rejici omnem Episcopalem curam, quem Episcopus sibi Vicarium selegisset. Atque hoc sensu, quicumque coram Episcopo prædicabat, sacrificium offerebat, administrabat Sacramenta,

(quæ

(quæ omnia Presbyteris vetita erant, nisi specialiter jubente ac permittente Episcopo) is Episcopi Vicarius generalis dici non immeritò potest. Ita Goarius, patris Episcopi Nazianzeni; Basilius, Eusebii Cæsariensis; Chrysostomus, Flaviani Antiocheni, Augustinus, Valerii Hispalensis Episcopi fuere generales Vicarii. Ipsi etiam Chorepiscopi, idest ruris Episcopi, de quibus antea, nonnumquam Episcoporum urbis Vicarii à Scriptoribus ecclesiasticis appellantur. Habes apud Sidonium Apollinarem ann. 490. L.4. Epistola 11. expressam hujusce ætatis effigiem Vicarii generalis in Claudiano quem Mamertus Viennensis Episcopus ejus frater in partem sollicitudinis Episcopalis vocavit. *Episcopum*, inquit, *fratrem majorem natu religiosissimè observans, quem diligebat ut filium, cùm tamquam patrem veneraretur. Sed & ille suscipiebat hunc granditer, habens in eo consiliarium in judiciis, vicarium in Ecclesiis, procuratorem in negotiis, villicum in prædiis, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus interpretem, in itineribus contubernalem.* Idem sonant non minùs eleganter hæc Sidonii de eodem carmina.

Bibl. PP. Tom.6. p. 1095. C.

Antistes fuit in ordine secundo,
Fratrem fasce levans Episcopali:
Nam de Pontificis tenore summi,
Ille insignia, sumpsit hic laborem.

Vicarius generalis voluntariam dumtaxat seu gratiosam jam exercet Episcopi Jurisdictionem; ejusque dignitas prorsus distincta est ab Officiali, cujus est contentiosa jurisdictio, quæ actorem, reum & judicem exigit. Unde observat Fevretius Lib.3. tamquam ab abusu appellari posse à sententia Vicarii generalis, quam servato fori strepitu, seu in figura judicii, intervenientibus actore, judice & reo pronuntiasset.

Art. 45. Regio in Comitiis Blesentibus Edicto sancitum est, ne quem Episcopus vel Archiepiscopus creare possit Vicarium generalem, vel Officialem, nisi qui in Theologia vel Jure Canonico gradus obtinuerit, & in Ordine Presbyterali

Art.112. sit constitutus; neu possit Vicarius Episcopi, vèl Officialis, sive sigilli, sive quampiam aliam firmam ab Episcopo obtinere. Vetat etiam ne Officiales

Ferme. & ministri regii, vicariatus Episcoporum aut Prælatorum quorumvis accipiant, sive ad temporalia quælibet, sive ad spiritalia jura, sive ad collationem denique Beneficiorum, in eorum Episcopatibus, Abbatiis & Prioratibus

Valence. sitorum. Cùm Valentinensis Episcopus anno 1632. duos ex Ordine Dominicano Regulares gradibus instructos elegisset in Vicarios generales, eis exauctoratis Gratianopolitanus Senatus ex Canonicis subrogavit eum qui primum inter eos antiquitate locum tenebat, donec Episcopus ipse alios delegisset. Interpellavit iste Regium Concilium, muneri suo restituti sunt duo Dominicani. Edicto Henrici II. an.1554. vetiti sunt Episcopi ne Vicarios sibi generales adsciscerent, nisi in Gallia natos.

Litteræ quibus instituuntur ab Episcopis Vicarii generales, debent ab eo ejusque secretario, ac duobus testibus subscribi, sigillo Episcopi muniri & in Acta publica referri, ut cùm res postulat possint describi.

Quamvis Vicarii generales ad nutum Episcopi creari possint & revocari, nihilominus non sine gravi causa destitui debent: ut enim ajunt Juris consulti, *in institutione beneficium est, in destitutione contumelia*, quæ non sine gravi causa viro in dignitate constituto inferenda est.

Mandatum Vicarii variis modis exspirat. 1. finito negotio ad quod erat mandatum specialiter datum. 2. morte naturali aut civili mandantis, depositione

sitione aut resignatione ejusdem; eodem jure Episcopo suspenso vel excommunicato, facultas Vicarii suspenditur. 3. mandatum Vicarii finitur morte naturali aut civili Vicarii, vel renuntiatione illius tempestivè facta.

Mandatum Vicarii ad Beneficia debet esse generale, non speciale, ne votum detur captandæ mortis: si quæ limitationes fiant, in mandato sunt exprimendæ; nam limitationes occultæ non valent, & mandato non derogant, ne fides mandati exhibiti quemquam decipiat. Vicarius nec sibi ipsi, nec Episcopo à quo mandatum habet, conferre potest Beneficium.

Concil. Trid. Sess. 24. cap. 16. præscripsit Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, ut intra octo à morte Episcopi dies, Vicarium generalem aut Officialem eligant in Canonici Juris palæstra versatum, Doctorem aut Licentiatum.

Observat Thomassinus, de veteri & nova disciplina Ecclesiæ circa Beneficia part. 1. Lib. 2. cap. 8. sæculo decimo tertio universim invaluisse morem creandi in singulis Episcopatibus Vicarium generalem: in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statutum fuisse, ut si qua in urbe vel Diœcesi essent populi plures, non una lingua, diversis moribus, aliis & aliis ecclesiasticis ritibus, totidem ab Episcopo constituerentur Vicarii generales, qui singulis adminicula salutis necessaria omnia suppeditare possent.

Officiales.

Officialis Episcopi ita dicitur, quòd Episcopi officio fungatur in exercenda contentiosa ipsius jurisdictione, in qua necesse est intervenire actorem, reum, & judicem. Talem Ecclesiæ suæ jurisdictionem Christus concessit, cùm dixit S. Petro: *Pasce oves meas*. Hanc agnovit S. Paulus, cùm in prima ad Timoth. Epistola cap. 5. v. 19. ait: *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus*. Joan. 21. v. 17.

Ad Officialem pertinet cognitio causarum cùm civilium, tum ecclesiasticarum, Clericorum. *Nullus Clericus*, ait Concilium Matisconense I. Can. 8. *ad Judicem sæcularem quemcumque alium fratrem de Clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque modo præsumat; sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præsentia finiatur*. T. 5. Conc. p. 968. C.

Sunt tamen casus aliqui, privilegiati dicti, qui apud nos dijudicari ab Officiali non possunt, nisi vocato Judice civili causarum criminalium, qui ea de causa ad forum ecclesiasticum transferre se tenetur, ut unà cum Officiali litem instruat ac dijudicet.

Jam ab ipso labente sæculo sexto usus obtinuit, ut certarum causarum cognitio ad utriusque simul Prætorem deferretur. Anno enim 585. Concilium Matisconense I. Can. 12. sic statuit: *Quoniam provisioni nostræ, Deo auctore, causæ principaliter viduarum & pupillorum sunt commissæ .... decernimus, ut Judices non priùs viduas & pupillos conveniant, quàm Episcopo nuntiarint, cujus sub velamine degunt. Quòd si Episcopus præsens non fuerit. Archidiacono vel Presbytero cuidam ejus, ut pariter sedentes communi deliberatione causis eorum terminos figant*. Ibidem p. 985. B.

Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 20. rationem præscribit tractandi causas ad forum Ecclesiasticum pertinentes.

Tenentur Officiales apud nos, lites instruere ac componere ad formam quam præscribunt Regum nostrorum Edicta: si pax & consensio inter utramque auctoritatem conciliatur ac fovetur. Ut enim ait Arnulphus Episcopus Lexo-

Bibl. PP. Tom. 12. p.1335.B. Lexoviensis in Epistola ad Alexandrum III. *quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurrunt; cùm nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione regia consequatur*. Lege amplam de Jurisdictione ecclesiastica Disceptationem Tom.1. Commentariorum Cleri Gallicani pag. 726. & seq.

Jurisdictionem suam olim per sese exercebant Episcopi, quam postea usu communi, qui versùs sæculum decimum tertium invaluit, Vicariis suis Officialibus delegarunt. Ex quo sequitur, munus istud ex sese perpetuum non esse nec irrevocabile, sed precarium, quod ad nutum Episcopi revocari potest, sicut multis Edictis regiis ac Senatus consultis declaratum sæpius fuit. Plura de Officialium juribus ac officiis lege in Conventu Melodunensi Ecclesiæ Gallicanæ ann. 1579. Tom.1. Commentariorum Cleri Gallicani p.464. & in Statutis Conventus anni 1606. ibid. Tomo 2. pag.1. & seq. Lege quæ de hoc ipso argumento scripsit Thomassinus, de Beneficiis part.1. Lib.2. cap.8. & 9.

Archipresbyteri.

Archipresbyteri, qui & Protopresbyteri à Græcis dicebantur, quòd nempe Presbyterorum primi forent, primas honoris ac dignitatis sedes inter alios Presbyteros occupabant. Hæc verò consessus prærogativa iis vulgò concedebatur, qui Ordinatione antiquiores erant. Cùm enim provectæ ætatis debeat esse Presbyter, unde & ejus ducitur nomen, debuit certè is qui inter Presbyteros primus erat, etiam ætate provectior esse: ætas autem cujusque ab Ordinationis die computabatur, qui pro solemni natalitioque die à Presbyteris, sicut & ab Episcopis, habebatur. *Presbyteri*, ait S. Leo Epistola 18. aliàs 5. *in eo ordine permaneant, quem unicuique Ordinationis suæ tempus adscripsit*. Inde est quòd Synodus Milevitana II. an. 416. Can. 14. jussit, *ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur, Litteras accipiant ab Ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem & diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur*. (Tom.1. p. 469. c.2.; T.2. Conc. p.1541.C)

Aliquando tamen hæc consessus prærogativa, virtutis ac meriti, non ætatis solummodo pretium fuit ac merces: auctor enim est Liberatus, abdicato Dioscoro in Conc. Chalced. electum in ejus locum fuisse Proterium; propterea quòd illum Dioscorus Archipresbyterum creasset, ac præfecturam ei mandasset Ecclesiæ Alexandrinæ; cùm ad Concilium proficisceretur. Porro si Archipresbyter semper fuisset ille qui cæteros Ordinationis antiquitate præcederet, necesse non fuisset ut Proterius à Dioscoro eo in gradu constitueretur.

Suum singulis Cathedralibus in Latina Ecclesia Archipresbyterum fuisse testatur S. Hieronymus in Epistola ad Rusticum. *Singuli*, inquit, *Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo ecclesiasticus suis Rectoribus nititur*. (To.4. p.2. p.775.)

Officium Archipresbyteri assignat Concil. IV. Carthaginense Can. 17. *ut nempe Episcopus gubernationem viduarum & pupillorum & peregrinorum, non per seipsum, sed per Archipresbyterum aut per Archidiaconum agat*. Multa & alia incumbebant Archipresbyteris officia, unde non immeritò observat Thomassinus, de Discipl. part.1. Lib.1. cap.3. & 6. Archipresbyterum fuisse quasi Vicarium generalem Episcopi, ac veluti proprium ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Parochum, quæ sola sæculis aliquot in Episcopali civitate fuit Ecclesia. Archidiaconis subditi erant, ut pote quibus Episcopi jurisdictio (T.2. Conc. p.1201.C)

dictio demandata esset. *Archipresbyter*, ait Isidorus Hispalensis Epistola ad Lucifredum Cordubensem Episcopum, *se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire; & quod specialiter ad ejus ministerium pertinet, super omnes Presbyteros in ordine positos curam gerere, & assiduè in Ecclesia stare: & quando Episcopi sui absentia contigerit, ipse vice ejus Missarum solemnia celebret, & Collectas dicat, vel cui ipse injunxerit.* Pag. 616. col. 1.

Erant & in agris Archipresbyteri, qui & Decani rurales dicebantur, quorum generali & communi curæ ac sollicitudini nonnullæ rusticanæ Ecclesiæ concredebantur, qui earum Parochos in officio continere, certis temporibus ad congregationem cogere, cum iis de rebus ecclesiasticis sermonem conferre tenebantur: dicti etiam Decani Christianitatis, quòd nempe iis præficerentur ruris Ecclesiis, in quibus Christiani renascebantur, hoc est conferebatur Baptismus. Multùm crevit, & ultra præscriptos limites sese aliquando effudit Archipresbyterorum auctoritas, qui & Officiales ac cæteros ecclesiastici fori administros assumebant, ac contentiosam exercebant jurisdictionem: verùm repressi illi sunt, ac umbra tantùm & figura jurisdictionis ipsis subinde reservata fuit. Quin ambitione & avaritia nonnulli inter eos abrepti, vacantium Ecclesiarum fructus usurpabant. *Tollenda est prava omnino consuetudo*, ait Synodus Ticinensis ann. 855. *quæ in nonnullis locis oriri cœpit; quia nonnulli Archipresbyteri, vel aliorum titulorum custodes, fruges, vel aliarum Ecclesiarum reditus ad proprias domos abducunt.* Atque hæc forsan sunt, ait Thomassinus parte prima Libro 2. capite 5. n. 9. prima exordia deportuum, seu annatarum, quas solvunt Pastore suo viduatæ Ecclesiæ: cùm nempe Archipresbyteri vel Archidiaconi, vacantium Ecclesiarum custodiæ præfecti, earum fructus suam in domum curabant deportari, unde fortassis Gallis nostris *deportuum*, *Deport*, vocabulum. Plura de hoc argumento lege apud jam laudatum Thomassinum in Opere de veteri & nova disciplina de Beneficiis parte 1. Lib. 2. c. 3. 4. 5. & 6.

Tom. 8. Concil. p. 148. B. Pavie, à Ticinio fluvio præterlabente Ticinum dictum. Dèport. unde dicitur. P. 311.

Archidiaconi.

Sicut Archipresbyter primus erat inter Presbyteros, ita & Archidiaconus inter Diaconos.

Archidiaconus Episcopi oculus dicebatur & manus, cujus nempe jurisdictionem tum voluntariam tum contentiosam olim exercebat, tamquam ipsius in omnibus Vicarius generalis. *Archidiaconus*, ait Jus Canonicum Lib. 1. Decretal. Gregorii titulo 23. cap. 1. *post Episcopum sciat se vicarium esse ejus in omnibus, & omnem curam in Clero .... ad se pertinere, sive de eorum conversatione, sive honore & restauratione Ecclesiarum, sive doctrina Ecclesiasticorum, vel cæterarum rerum studio; & delinquentium rationem coram Deo redditurus est.* Quæ primùm fuit ex Episcopi delegatione Archidiaconis commissa auctoritas ac jurisdictio, longo usu ac quadam præscriptione subinde propria & ordinaria evasit, ac in tantùm excrevit licentia & usurpatione aliquorum, ut post annum millesimum, ait Thomassinus, Episcopi ad se revocaverint suam jurisdictionem, eamque Officialibus ac generalibus Vicariis concrediderint.

Archidiaconi ex solo Diaconorum Ordine assumi olim poterant, atque sua dignitate & jurisdictione, qua etiam in Presbyteros gaudebant, utpote ab Episcopis delegati, excidebant si ad Presbyterii gradum promoverentur,

qua in re sibi injuriam fieri existimabant. *Certè qui primus fuit ministrorum*, ait S. Hieronymus, *quia per singula concionatur in populos, & à Pontificis latere non recedit, injuriam putat, si Presbyter ordinatur.* Hinc est quòd Anatolius Episcopus Constantinopolitanus Actium Archidiaconum, intrepidum illum Flaviani Patriarchæ defensorem, & ob infractam animi constantiam sibi invisum, ut à se removeret, Presbyteratu initiavit. Gravatè tulit Leo Papa hanc fraudem, nec de illa siluit in datis ad Imperatorem & ad Anatolium ipsum Litteris, ubi declarat, quàm improbum & præposterum sit, optimè meritum de Ecclesia virum augere, ut minuas, extollere, ut deprimas. Inde quoque est ut Petrus Blesensis Archidiaconus Londinensis, urgente Episcopo ut pateretur se Presbyterum ordinari, diu obstiterit ac recusaverit, scripta ea de re Epistola n. 123. ad Episcopum Londinensem, ubi

Pag. 188. *col.* 1. inter cætera hæc ad propositum nostrum accommodata scribit: *Porro*, inquit, *dignitatis turbato ordine, Archidiaconi hodie Presbyteris præeminent, & in eos vim & potestatem suæ jurisdictionis exercent. Ea propter Archidiaconum & Presbyterum promoveri, non est honorem ejus augeri, sed minui.* Cessit nihilominus postea Petrus Blesensis Episcopi votis, ac se Presbyterum creari permisit, ut patet ex Epistola ipsius 139. Jamdiu est ex quo immutata fuit hæc disciplina, atque Archidiaconis injunctam ut Presbyterii gradum assequantur. Jubet quoque Synodus Trid. Sess. 24. cap. 12. ut quantùm fieri potest Doctores sint in Theologia, vel in Jure Canonico Licentiati.

Hæc Archidiaconorum officia in veteribus monumentis notantur. I. Archidiaconus Clericorum minorum dux erat, rector ac magister, ejusque domum illi, ut Scholam eruditionis & pietatis sanctissimam, frequentabant.

Optatus L. 1. Majorinum, qui Cœciliani Carthaginensis Archiepiscopi adversarius postea fuit infensissimus, discipulum ejusdem olim fuisse affirmat Optatus, dum Archidiaconus esset Cœcilianus, Majorinus verò Lector, Paulinus, *ille ipse* qui vitam scripsit Ambrosii, cùm inter minores Clericos versaretur adhuc, & Notarium ageret Ambrosii, sub disciplina Casti Diaconi degebat.

Carthaginense Concilium IV. hanc provinciam Archidiaconis imponit, ut minores Clericos ea induant scientia quæ illis ad sua officia adim-

Tom. 2. *Conc. p.* 1200. *D.* *p.* 809. *A* plenda necessaria est. *Ostiarius*, inquit Can. 9. *cùm ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari.* Gregorius denique Turonensis, de gloria Martyrum L. 1. c. 78. de Joanne Archidiacono sic loquitur: *Erat Archidiaconus Joannes nomine, valdè religiosus, & in Archidiaconatu suo studium docendi parvulos habens.*

II. Conc. Carthag. IV. Can. 5. 6. & 9. jam citato explicat Archidiaconi officia in Ordinatione Clericorum inferiorum: ejus nempe est porrigere instrumenta sacra suæ cujusque signa Ordinationis. Addit & aliquid majus

T. 4. *p.* 2. *p.* 803. Hieronymus Epistola ad Evagrium seu Evangelum, Romæ Presbyteros ad testimonium Archidiaconi ordinari, quod S. Doctori minùs probatur: unde forsan Diaconi ansam arripuerant efferendi se supra Presbyteros. Porro res tota in eo versabatur, ut Archidiaconi inquirerent in vitam & mores eorum quos ordinandos Episcopo sistere debebant. Dicebant de Ordinandis testimonium Laici omnes, Clerici minores apud Archidiaconum; quibus ille auditis, proponebat Episcopo, quibus testimonia publica suffragarentur. Extat & in Pontificali Romano vestigium hujus antiquæ disciplinæ: offert enim Episcopo Archidiaconus eos quos postulat Ecclesia ordinari.

III. Statuit idem Conc. Carthag. IV. c. 17. ut Archidiaconi vel Archipre-

presbyteri viduarum ac pupillorum curam habeant; quod ministerium ipsis Diaconis primùm fuit ab Apostolis commissum. Tom. 2. Conc. p. 1201. C.

IV. Scribit Leo Papa Epistola 84. aliàs 57. Anatolium Archidiacono suo credidisse *dispensationem totius causæ & curæ ecclesiasticæ*: quo nomine intelligenda venit omnis administratio jurisdictionis, tum voluntariæ, tum contentiosæ. Tom. I. p. 607. c. 2.

Isidorus Hispalensis Epistola ad Ludifredum Episcopum, varias Archidiaconorum functiones his verbis enumerat: *Archidiaconus*, inquit, *imperat Subdiaconis & Levitis.... Quis Levitarum Apostolum & Evangelium legat: quis preces dicat, seu Responsoria in Dominicis diebus aut solemnitatibus decantet? Sollicitudo quoque Paræciarum, & ordinatio, & jurgia ad ejusdem pertinent curam: pro reparandis Diœcesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti: ipse inquirit Paræcias cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum & Paræciarum gesta, & libertatum ecclesiasticarum Episcopo idem refert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert, & Clericis partes proprias idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum. Ipse denuntiat Sacerdoti in sacrario jejuniorum dies, atque solemnitatum, & ab ipso publicè in Ecclesia prædicantur.* Hæc Isidorus de varietate & amplitudine officiorum Archidiaconi: nulla scilicet ferè causa erat aut civilis aut ecclesiastica, qua pulsarentur Clerici, cujus ipse cognitionem ac judicium ad se non traheret. Ob. an. 636. Pag. 615. col. 2. C.

Verùm postquam instituti ab Episcopis fuere Officiales fori ecclesiastici Præfecti ac Judices, ad eos tota Episcopi contentiosa jurisdictio devoluta est; ita ut Archidiaconi causas tantùm leviores cognoscant, quæ obiter in transitu & in cursu visitationis expediri possunt, ut dicitur c. 5. De Officio Archidiaconi.

Concil. Trident. Sess. 24. de reformat. cap. 3. jubet ut Archidiaconi, cæterique ad quos pertinet, sibi subjectas Ecclesias visitent, atque hujus visitationis finem esse ait, *sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere*. Ibidem modum visitationis præscribit, *ut nempe paterna charitate, ac modesto equitatu famulatuque, debita tamen cum diligentia, & absque inutilibus sumptibus perficiatur &c.* Cap. 20. ejusdem Sess. interdicit Archidiaconis cognitionem causarum matrimonialium & criminalium. *Causæ*, inquit, *matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur; etiamsi in præsenti inter Episcopum, & Decanum, seu Archidiaconum aut alios inferiores, super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacunque instantia pendeat.* Tom. 14. Concil. p. 882. D. Ibid. Ibid. pag. 893. A. B.

Denique Sess. 25. de reform. cap. 14. eisdem Archidiaconis vetat, ne Clericorum concubinariorum causam dijudicent, quam uni Episcopo reservat, & quidem sine strepitu & figura judicii, & sola facti veritate inspecta, terminandam. Ibid. Pag. 914. C.

In quibusdam Gallicanis Ecclesiis usa antiquo ac recepta consuetudine Archidiaconi vacantium Paræciarum fructus suos faciunt, atque recens delectos Pastores in possessionem earumdem inducunt.

Pœnitentiarii.

Primis Ecclesiæ initiis cùm nondùm tam numerosa foret plebs Christiana,

Episcopi per sese Fidelium confitentium peccata excipiebant: at subinde tum propter varias ac multiplices eorum curas, tum propter infinitam penè confitentium multitudinem, onus illud in Presbyteros rejecerunt.

Antiqua est Pœnitentiarii apud Græcos institutio, de qua Socrates L. 5. Hist. c. 19. *Episcopi*, inquit, *Pœnitentiarium Presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt, ut qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur*. Et Sozomenus Lib. 7. cap. 16. *Ex Presbyteris aliquem*, inquit, *qui vitæ integritate spectatissimus esset, & taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt*. Quamquam autem idem Historicus ibidem asserat, in Occidentalibus Ecclesiis, præcipuè verò in Romana, eumdem morem observari, non ita tamen intelligas quasi ab omni ævo fuerit in Ecclesia Cathedrali Pœnitentiarius, cujus istæ partes fuerint, confessiones audire, indicere pœnitentias, pœnitentes absolvere constat enim nonnisi postremis temporibus institutum fuisse ejusmodi ad rem pœnitentiariam Vicarium Episcopi generalem; prioribus autem quinque sexve sæculis penes Episcopum solum erat Pœnitentiæ publicæ administratio. Ita Concilium Carthaginense III. Can. 31. & 32. statuebat, *ut pœnitentibus secundùm peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. Ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente*.

Thom. L. 2. c. 7. 10. P. 278. C.

P. 726. C.

Tom. 2. Concil. p. 1171. D. E.

Concilium Lateranense IV. an. 1215. Can. 10. præcipit iu Cathedralibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint coadjutores & cooperatores habere, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus & pœnitentiis injungendis.

Tom. 11. Concil. p. 161.

Concilium verò Tridentinum Sess. 24. de reform. cap. 8. de eodem Pœnitentiario in omnibus Ecclesiis Cathedralibus instituendo hæc statuit: *In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proximè vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia vel Jure canonico, & annorum quadraginta; seu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur*. Hæc Synodus.

Tom. 14. Concil. p. 885. A.

Pœnitentiarii partes sunt, loco Episcopi confessiones audire, congruam imponere pœnam, & à casibus Episcopo reservatis absolvere.

Observat Fevretius L. 4. de abusu cap. 3. num. 30. munus Pœnitentiarii & Promotoris ab uno & eodem exerceri non posse; adeo disparia sunt ac parum cohærentia utriusque simul officia: Promotor quippe delatoris partes exequitur in externo foro ac velut publicus disciplinæ censor & vindex criminum vindictam publicam exigit Pœnitentiarius è contra occultus est in foro conscientiæ judex, qui malos abscondi cupit, non declarari, confessos absolvi desiderat, non damnari.

Theologi.

Inter munia Episcoporum, non infimum sanè locum tenet instructio seu doctrina qua suos debent informare Clericos, cæterosque sibi subjectos Fideles; ipsis etenim concreditum est fidei depositum, quod & illibatum custodire & tradere tenentur. Eo tamen ut se levarent onere, viros in sacris Litteris eruditos delegerunt, quibus docendi officium impositum esse voluerunt,

runt, quos Theologos appellamus. Jam primis temporibus celeberrima fuit Schola Alexandrina, de qua Eusebius Lib. 5. Hist. c. 10. Archidiaconis istud docendi officium olim incubuisse jam observavimus.

Concilium Lateranense III. an. 1179. constituit ut in Cathedralibus Ecclesiis assignaretur aliquod Beneficium præceptori, qui in communi gratis Clericos omnes & pauperiores quosvis sacra doctrina imbueret. Verùm cùm tam salubre statutum accuratè servatum non fuisset, Innocentius III. in quarto Lateranensi Concilio an. 1215. statuit 1. ut Episcopus cum suo Capitulo in unaquaque Cathedrali ad erudiendos Clericos grammatices Magistrum eligeret. 2. ut in aliis quoque Ecclesiis eligeretur, ubi reditus ad hoc sufficerent. 3. ut in Ecclesia metropolitana esset Theologus qui sacras Scripturas interpretaretur, & ea edoceret omnia quæ ad animarum salutem conducunt. 3. ut Præbendæ unius reditus cùm præceptori grammaticæ, tum Theologo assignentur, non eo quidem consilio, ut in Canonicorum Collegium illi adoptentur, sed ut quamdiu docendi partes adimplebunt, hoc se sustentent annuo reditu. Honorius III. S. P. ut faciliùs Metropolitana quævis Ecclesia Theologum sibi comparet, Cap. *Super specula. De Magistris*; edixit ut Capitula juniores Canonicos ad Universitates frequentandas mitterent, veniamque ipsis fecit residentiæ, tum Clericis studentibus, tum Magistris Theologiam docentibus. Idem privilegium confirmavit Synodus Trid. Sess. 5. de reform. cap. 1. ubi postquam statuit ut in singulis Cathedralibus Ecclesiis, imò & in Gymnasiis etiam publicis, Magister instituatur qui Scripturam sacram edoceat, addit: *Docentes verò ipsam sacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia à jure communi concessis, planè gaudeant & fruantur*. Per Scripturam autem sacram, Theologiam Scholasticam tutò posse intelligi, ex pluribus Responsis Cardinalium interpretationi Concilii præfectorum ostendit cum benè multis aliis Canonistis Canonista celeberrimus Fagnanus in primam partem L. 5. decret. pag. 204.

Tom. 10. Concil. p. 1518 C.

Tom. 11. Concil. p. 165.

Tom. 14. Concil. p. 754. E.

Decani Canonici.

Decanus dicitur qui decem viris præest: unde Decania territorium est in quod Decanus jurisdictionem aliquam habet.

A regimine monastico fluxit in Capitula Canonicorum dignitas Decanatus. Cùm enim Monachorum multitudini regendæ unus non sufficeret Abbas, vel Prior, vel Præpositus, instituti sunt Decani quibus Monachi decem gubernandi committebantur. *Opus suum*, ait S. Augustinus de moribus Ecclesiæ L. 1. c. 31. *tradunt eis quos Decanos vocant, eo quòd sunt denis præpositi*. Ex quo manifestum est, plures in eodem Monasterio sicut & Capitulo fuisse aliquando Decanos, quibus eminebant Abbates, vel Præpositi.

Tom. 1. p. 10. E.

Cùm autem prioribus temporibus Canonici communem degerent vitam, atque disciplinæ monasticæ quamdam referrent imaginem, qui inter eos primus post Episcopum sedebat, dicebatur, vel Præpositus vel Decanus: extincta verò postmodum in pluribus Capitulis Præpositi dignitate, sola remansit Decani dignitas. Sunt etiam & inter ruris Parochos, Decani rurales & Christianitatis dicti, quibus id muneris ab Episcopis injungitur, ut suæ Decaniæ Parochos ad congregationem certis temporibus

vocent, atque generalem quamdam super illos curam habeant. Magna est istorum Decanorum cum Archipresbyteris affinitas.

Canonici, quos Synodus Trid. Sess. 24. de reform. c. 12. appellat *Ecclesiæ senatum*, sic dicti sunt à Canone, quòd nempe vel Canonicas regulas arctiùs observent; Canon enim græcè, regula est; & Canonicus, regularis; vel quòd in Canonem, seu matriculam Ecclesiæ relati sint; vel denique à canone frumentario seu sportulis ecclesiastici ita dicti, quòd stipendiis annuis vel menstruis ex Ecclesiæ reditibus provenientibus, alerentur: unde *sportulantes fratres*, Clericos appellat S. Cyprianus Epistola 66. Universa scilicet Ecclesiarum substantia in quatuor partes dividebatur, quarum unam Episcopus sibi retinebat; alteram Clerici pro officiorum suorum sedulitate obtinebant; tertia fabricis, quarta pauperibus & peregrinis erogabatur, ut legitur in Epistola Gelasii S. P. ad Episcopos Lucaniæ. Vide quæ Synodus Trid. Sess. 24. de reformatione cap. 12. sapienter statuat circa officia Canonicorum.

P. 108. Tom. 4. Concil. p. 1195. c. 27. Tom. 14. Concil. p. 886.

Parochi.

Parochia seu potius Parœcia dupliciter apud Scriptores Ecclesiasticos sumitur. Interdum generaliter pro tota Diœcesi, ut apud Eusebium Lib. 1. cap. 1. & aliis sexcentis in locis, & apud S. Cyrillum Catechesi 14. ubi loquens de S. Jacobo primo Jerosolymorum Episcopo, ait eum fuisse primum *hujus Parochiæ Episcopum*. Interdum autem Parochia strictiùs sumitur, non pro tota Diœcesi, sed pro particulari Ecclesia in quam singuli Fidelium adscripti sunt: quo sensu Parochiæ nomen hic usurpamus. Parochus apud Scriptores profanos idem est ac Præbitor; hoc est à præbendo dicitur: qui nempe Legatis publicè Romam missis cæterisque alicujus dignitatis hospitibus salem & ligna seu omnia necessaria præbebant; & inde & Copiarii dicti, quòd omnium rerum copiam iis Legatis suppeditarent.

Thom. L. 2. c. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. Vales. in notis ad caput 1. L. 1. Hist. Euseb. S. Cyrill. p. 152. A.

Dissentiunt Eruditi in assignanda origine hujusce appellationis, cur scilicet Ecclesia, ad quam conveniunt Fideles, appellata sit Parochia. Valesius in notis ad caput 1. L. 1. Hist. Eusebii ait significationem hanc inde promanasse, *quòd Ecclesia in terris dumtaxat inquilina sit, advena & peregrina, ejus autem patria & municipatus sit in Cœlo,*

Filesacus L. 1. de Parœciis c. 1. existimat ejusdem Ecclesiæ consortes vel vicinos πάροικους dictos, quæ vis est græci vocabuli: παροικίαν verò appellatam eorum, qui eamdem Ecclesiam accolunt, viciniam. Alii verò cum doctissimo du Cange in Glossario, existimant Ecclesias à veteribus Christianis Parochias idcirco nuncupatas, quòd cùm Christiani in magnarum urbium viciniis conventus suos secretò agerent, eorum Ecclesiæ, seu conventus, non civitatis quidem dicerentur, sed vicinæ civitatis. Tituli frequenter etiam appellantur, sive quòd Presbyteri, qui ejusmodi Ecclesiis præficiebantur, titulum inde sumerent & nomen, sive quòd illis Ecclesiis signa quædam religionis essent appensa, Fidelibus quidem non verò Infidelibus cognita. Lege Glossarium D. du Cange & Thesaurum Suiceri.

Est igitur Parochia, particularis Ecclesia certo quodam territorio definita, cui præest Presbyter, dictus Parochus, seu Pastor, seu Rector, seu simpliciter & absolutè Presbyter, talis Ecclesiæ; non enim olim ordinabantur Presbyteri, nisi qui alicui Ecclesiæ addicti forent.

Ex-

Extitisse jam ab incunabulis Ecclesiæ Parochos, seu Presbyteros Episcoporum cooperatores, certissima demonstrant antiquitatis monumenta. An. 164. Bibl. PP. Tom. 2. p. 104. H.

S. Polycarpus Epistolam suam ad Philippenses sic inscribit: *Polycarpus, & qui cum eo sunt Presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ est Philippis.* An. 108.

S. Ignatius in Epistola ad Ephesios, hortatur illos ut sint *subjecti Episcopo & Presbyterio.* Edit. Cotel. p. 854. B.

Cornelius S. P. in Epistola ad Fabium Antiochenum apud Euseb. L. 6. c. 43. ait Romæ tunc temporis fuisse Presbyteros quadraginta quatuor, Diaconos septem, totidem Subdiaconos &c. An. 253. P. 244. A.

S. Athanasius Apol. 2. *Mareotes*, inquit; *regio est Alexandriæ in qua nunquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus; sed universæ bujus loci Ecclesiæ Episcopo parent Alexandrino, Presbyteri autem singuli suos vicos habent.* Tom. 1. p. 200. D.

S. Epiphanius adversùs hæresim L. 2. hæresi 49. n. 1. *Quotquot*, inquit, *Alexandriæ catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est Presbyter, qui ecclesiastica munera iis administret, qui circa Ecclesias illas habitant, earumque conventicula Vici, sive Lauræ ab Alexandrinis vulgò nominantur.* Asserit ibidem uni ex illis Ecclesiis præsuppositum fuisse *Arium*, alteri *Colluthum, Carponam, item & Sarmatam aliis*. Et verò compertum est Alexandrum Alexandrinum Episcopum ad Synodum Presbyteros suos coegisse, in qua damnatus & ejectus est Arius hæresiarcha. Tom. 1. p. 727. D. Ibid. pag. 828. C.

Innocentius I. Epistola 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum, significat pariter suo tempore Presbyteros seu Parochos, quorum curæ commissæ erant Ecclesiæ. *De fermento*, inquit, *quod die Dominica per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cùm omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ; quarum Presbytari quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se nostra communione, maximè illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda sunt Sacramenta; nec nos per cæmeteria diversa constitutis Prebyteri destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Tom. 5. Concil. p. 1147. B.

In quo S. P. Innocentii testimonio hæc observatione digna sunt.

I. In Diœcesi Romana tunc temporis nullas fuisse ruri Ecclesias seu Parochias constitutas; affirmante Innocentio, omnes suas Ecclesias intra civitatem esse constitutas: necesse nihilominus est aliquas fuisse in Territorio seu Diœcesi Decentii, aliàs inutilis fuisset ejus consultatio.

II. Omnes civitatis Presbyteros die Dominica & aliis solemnioribus, Sacro, quod unicum celebrabatur ab Episcopo, interfuisse & Eucharistiam ab ipso percepisse: neque enim licebat his temporibus Presbyteris Sacris operari coram Episcopo, nisi fortè ille jussisset; & omnes Fideles ad Cathedralem, quæ ferè unica erat & sola, Ecclesiam accedebant, Sacrum auditori, & Eucharisticæ communioni participaturi: cui disciplinæ locum dedit, tum paucitas Fidelium, tum maximè unitatis, pacis & concordiæ servandæ studium; unde cùm postea crevit Fidelium multitudo. S. Leo Epistola 11. aliàs 81. ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum, permisit ut iteraretur Sacrificii incruenti oblatio. Qui verò Presbyteri adesse non poterant, in signum communionis ac charitatis mutuæ ad eos mittebatur fermentum, id est, juxta multorum interpretationem de qua olim diximus, Eucharistia. Tom. 1. p. 437. c. 2.

III. Tunc temporis Parochorum curæ creditam fuisse plebem Christianam.

IV. Longè & per Parochias, id est alias adjacentes Diœceses, transmissum non

fuisse fermentum, *quia*, ait Innocentius, *longè non sunt portanda Sacramenta*.

V. denique, nec Presbyteris per diversa Cæmeteria constitutis destinatum esse illud fermentum: quia illi privilegium & jus habebant Missam celebrandi & Sacramenta perficiendi, quòd nempe longiùs à matrice & Cathedrali Ecclesia distarent, nec commodè fieri posset ut aut illi accederent ad Sacrum quod perficiebat Episcopus, aut ad illos transferretur Eucharistia.

Cardinalium Origo.

Erant porro Parochi Episcopi Concilium, & Clerus Eccclesiæ Cathedralis, quales sunt etiamnum hodie, Titulorum, hoc est Parochiarum, quæ in Urbe Roma sunt, Presbyteri ac Diaconi Cardinales, ex quibus conflatum est sacrum illud Collegium, augustissimumque Romæ Consistorium ac Concilium Papæ.

Du Cange in Glossario. Hæc scilicet Cardinalium Ecclesiæ Romanæ origo fuit, ut hic obiter dicam. Ædes nimirum sacræ in civitatibus duplicis potissimùm fuere generis: aliæ enim Parochiarum, uti nunc dicuntur, vice erant, quas Titulos vocabant, ad quas conveniebant Fideles divinas Liturgias audituri, & sacram Eucharistiam percepturi; aliæ dicebantur Diaconiæ, erantque publicæ quodammodo pauperum hospitales domus, quibus adjuncta erant Sacella, quæ Diaconiæ perinde nomen obtinuere.

Priori ædium sacrarum generi præerant Presbyteri, alteri Diaconi: si quæ verò aliæ ædes sacræ essent in Civitatibus, Oratoria dicebantur, in quibus nec Baptismus celebrari, nec Sacramenta Fidelibus ministrari fas erat; sed tantùm Missæ privatæ à Capellanis seu à Presbyteris, quos locales nuncupabant, tamquam alicui loco addictos, fiebant. Ut igitur ab illis Oratoriis cæteræ ædes sacræ distinguerentur, Cardinales appellatæ *sunt*, seu Tituli cardinales, idest principales & præcipuæ, quemadmodum earumdem Presbyteri, itidem Cardinales nuncupati sunt.

Præsertim verò id Romæ obtinuit: nam etsi Presbyteri Cardinales universim appellentur Parochi, is potissimùm titulus attributus fuit Presbyteris, qui Titulis ejusdem Urbis addicti erant, idest Ecclesiis Parochialibus. Horum eximia semper fuit dignitas, ut qui S. Pontifici Sacra facienti, & in stationibus ac processionibus adessent eique ministrarent; quos ideo Presbyteros sui cardinis vocabant, ut Leo IV. S. P. in Synodo Romana an. 853. & Joann. VIII. Epistolis 83. & 89. Quemadmodum etiam Diaconi Diaconiarum in iis muniis quæ Diaconorum officium spectabant, quos Cardinales etiam appellarunt, quòd cum Presbyteris Cardinalibus Summo Pontifici adessent, vel quòd præcipui essent ex ordine Diaconorum. Hos Diaconos in cardine constitutos in Urbe Roma appellant Capitularia Caroli Magni Lib. 1. c. 139. sed & ejusmodi Diaconias interdum in Titulos Cardinales Presbyterorum erectas esse docet Baronius ad an. 603. num. 3. In suis verò Parochiis Cardinales Presbyteros Romanos id muneris obiisse, quòd cæteri Ecclesiarum Parochialium Presbyteri, satis docet Constitutio Joan. VIII. de jure Cardinalium edita ab eodem Baronio ad an. 882. num. 8. Verùm successu temporis Cardinalis appellatio, quæ omnibus Presbyteris Titulorum communis erat, ad septem ex Episcopis Romanæ Diœceseos, imò & ad alios translata est. Sed hæc de Cardinalium origine obiter: ad Parochos redeamus.

Olim, sive ex privilegio, sive ex consuetudine, Parochos jus habuisse excommunicandi, multis constat Veterum testimoniis.

Consti-

Constitutionum Apostolicarum Lib. 8. cap. 28. de Presbytero hæc leguntur: *Presbyter* .·.·.·. *neque deponit; excommunicat autem eos quos habet infra se, si hujusmodi pœna teneantur*. Tom. 1. Conc. p. 493. C.

S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum: *Mihi*, inquiebat, *ante Presbyterum sedere non licet: illi, si peccavero, licet tradere me satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit*. Tom. 4. p. 2. p. 10.

S. Augustinus L. 3. contra Parmenianum cap. 2. *De ipsa congregatione laicorum*, inquit, *sive ab Episcopo, sive à Clero, vel quocumque Præposito, cui est potestas, eximitur*. Et Epistola 108. aliàs 255. meminit Presbyteri qui Diaconum & Subdiaconum suum communione abstinuerat: *Propter reprobos ac perversos mores*, inquit, *à Presbytero suo excommunicatus*. Tom. 9. p. 66. D. Tom. 2. p. 314. C.

Herardus Turonensis Archiepiscopus in Capitulari c. 121. prohibet *ne qui à Presbyteris excommunicati sunt, ab alio recipiantur*.

Alexander III. in Epistola ad Episcopum Florentinum jubet servari interdicta & excommunicationum tela quæ justis canonicisque de causis Parochi vibrassent. *Mandamus*, inquit, *quatenus si quando Plebanus sancti Petri in Clericos vel Laicos paræcianos suos interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari; & eam sine congrua satisfactione & absque ejusdem Plebani conscientia non relaxes*.

De hac Parochorum excommunicandi auctoritate ita sentiebat S. Thomas, ut colligitur ex qu. 22. art. 1. Supplementi. *Soli Episcopi*, inquit, *propria auctoritate, & majores Prælati secundùm communiorem opinionem, possunt excommunicare. Sed Presbyteri Parochiales, nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto & rapina & hujusmodi, in quibus est eis à jure concessum quòd excommunicare possint. Alii autem dixerunt, quòd etiam Sacerdotes possunt excommunicare, sed prædicta opinio est rationabilior*. Ita S. Thomas.

Verùm quidquid sit de hoc Parochorum jure, sive ex privilegio ac Episcoporum concessione, sive ex consuetudine illud habuerint, jamdiu est ex quo Episcopi, translata in Officiales suos contentiosa sua jurisdictione, revocarunt à Parochis hanc quam dederant ferendæ excommunicationis facultatem; una dumtaxat ipsis relicta, tamquam propria & ordinaria, prædicatione verbi divini, & Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Unctionis extremæ administratione.

ARTICULUS TERTIUS.

De Diaconatu.

Διάκονος græcè idem est ac minister. Duplici sensu ab Auctoribus ecclesiasticis usurpatur, lato scilicet, pro quocunque rei cujuslibet ministro; & stricto, pro ministro rei sacræ: quo posteriori sensu, Diaconatus nomen est in Ecclesia Ordinis ac ministerii sacri.

Rectè igitur definiri potest Diaconatus, *Ordo per quem datur potestas inserviendi seu ministrandi Episcopis vel Presbyteris Sacra solemniter perficientibus*.

Diaconi ab Auctoribus ecclesiasticis sæpiùs Levitæ nuncupantur, nimirum ex similitudine Levitici ministerii, quod sacerdotio veteris Testamenti subserviebant. *Et ut sciamus*, inquit S. Hieronymus in Epistola ad Evagrium seu Evangelium, *traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presby-* T. 4. p. 2. p. 803.

Presbyteri & Diaconi vindicant in Ecclesia. Sicut ergo sacerdotium novum veteri successit, ita ministerium Diaconorum, ministerio Levitarum; & sicut Levitarum in veteri Lege, ita & nunc Diaconorum officia ex officiis sacerdotalibus colligi & cognosci debent, cùm ad hoc nati sint Diaconi, ut Sacerdotibus in suis obeundis officiis subserviant.

Circa Diaconatum duo sunt hìc expendenda capita: primum, an Diaconatus sit Ordo ac verum Sacramentum; alterum, quæ sit materia & forma Diaconatus.

An Diaconatus sit Ordo ac verum Sacramentum.

Si Ordinis nomen dumtaxat usurparetur pro deputatione ad certa officia, non recusarent Novatores appellare Diaconatum Ordinem, nec ulla hìc cum illis nobis lis esset aut controversia: verùm totis repugnant viribus, cùm dicimus Diaconatum esse verum Ordinem, ac Sacramentum quod certo ritu seu consecratione conferatur, & habeat annexam gratiæ sanctificantis promissionem: contendunt enim cum Calvino L.4. Institutionis c.5. parag.15. Diaconatum simplicem esse deputationem ad officium purè humanum ac profanũ, administrationem scilicet bonorum Ecclesiæ temporalium, eleemosynarum, ad curam viduarum, pupillorum, peregrinorum, habendam; unde non perpetuos, sed temporarios dumtaxat & annuos volunt esse Diaconos, quos dicunt ad hoc unum primitus institutos, ut mensis communibus ministrarent.

Pag. 402.

Hanc Calvini sententiam temperare ac emollire paululum sibi visus est Spalatensis L.2. de Republica ecclesiastica c.4. n.55. & seq. ubi docet, primam quidem Diaconorum institutionem fuisse, ut *solas mensas communes curarent*, ac temporalium rerum Ecclesiæ administrationem gererent; atque Stephanum ac Philippum, cùm Evangelium prædicavere, se non ut Diaconos, sed ut Presbyteros è numero Discipulorum gessisse: *Non ex officio Diaconi*, inquit Spalatensis, *sed ex Presbyteratu id fecerunt*. Verùm postea ex occasione præparandæ mensæ communis; & accipiendarum oblationum populi in publico conventu Christianorum, fuisse ipsis concessum accedere ad altaris mysteria & dispensationem aliquam Sacramentorum; & id quidem non ex ordinatione divina, sed purè humana & ecclesiastica: unde sequitur, juxta Spalatensem, primarium finem institutionis Diaconorum, ex divina ordinatione, esse administrationem rerum Ecclesiæ temporalium; secundarium verò & ex institutione Episcoporum, esse administrationem aliquam Sacramentorum. Ex quo rursum sequitur, duo esse genera Diaconorum, unum verum & propriè dictum, quorum officium totum est in habenda cura ærarii ecclesiastici, in recipiendis ac distribuendis eleemosynis Ecclesiæ, quod quidem ab Apostolis institutum esse Act. 6. ultro agnoscit Spalatensis; alterum verò eorum qui aliquo modo ministrarent mysteriis, quos ab Episcopis subsequenti tempore institutos fuisse contendit idem Auctor: unde planum est inferre, Diaconatum nostrum non esse verum Sacramentum, utpote cùm ab Episcopis sit institutus.

Non soli autem Novatores, sed etiam inter nostros Theologos aliqui inficiati sunt, Diaconatum esse verum Sacramentum, ut Durandus in 4. dist. 24. qu.2. Cajetanus Tom.1. Opusculorum. Tract. 11. Franciscus etiam Victoria, Relectione 2. propositione 3. dubitanter ea de re loquitur. Vult igitur Durandus, unicum sacerdotium esse verum Sacramentum, cæteros verò Ordines esse sacramentalia quædam ad sacerdotii Ordinem præparatoria, eadem-

demque subservientia: quam opinionem nonnullis rationibus fulcire conatur ibid. subtilis Theologus, quas Dominicus Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. ait *despicabiles non esse ut quæ videantur plurimùm habere energiæ*. Unde subjungit ibidem, *eum qui vellet opinionem Durandi sustinere, non fore magna reprehensione dignum; temeritate nihilominus notandum, cùm non sit tam facilè à communi antiquorum opinione deflectendum.*

Qua Soti sententia motus Estius in 4. dist. 24. paragr. 8. dixit *non videri de præsenti controversia quidquam esse ab Ecclesia definitum*: unde consequens est posse, salva fide, Diaconatum à dignitate & efficacia veri Sacramenti excludi. Idem est Bellarmini judicium, de Sacramento Ordinis c. 6. *Non est*, inquit, *certum de fide*, (Diaconorum Ordinationem esse Sacramentum) *quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto vel tradito: neque extat ulla Ecclesiæ de hac re expressa determinatio.* p. 303. col. 1. C. Tom. 3. p. 494. A.

E contra tamen pronuntiat Vasquez disp. 238. cap. 2. *Ego verò*, inquit, *valde miror, viros non vulgariter doctos aut decretum Concilii Trid. Sess. 23. Can. 6. non legisse, aut planè non intellexisse, ubi definitur in hunc modum: Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris; anathema sit.* Miraretur vice sua Bellarminus, quòd ex hoc Canone concludat Vasquez, esse de fide Diaconatum inter Sacramenta numerandum: tum quia idem de cæteris ministris inferri pariter posset; generatim enim loquitur Synodus de ministris: tùm quia solùm ait Canon, ministros seu Diaconos pertinere ad Hierarchiam divinitus institutam: at non ait omnes ministros qui ad hanc Hierarchiam pertinent, vero Sacramento initiari, quæ duo haud dubiè valdè diversa sunt. Tom. 3. p. 699. col. 1.

Idem tamen Vasquez disp. 236. c. 4. n. 48. & seq. negat septem Diaconos, quorum institutio refertur Act. 6. ad ullum sacrum ministerium ea institutione fuisse destinatos, aut inde colligi posse sacrum nostrorum Diaconorum Ordinem: quòd nempe ad unam mensarum & rerum Ecclesiæ temporalium administrationem selecti ab Apostolis tunc temporis illi fuerint. *Licèt*, inquit c. 5. *crescente providentia salutaris consilii ad altaris ministerium Sacramento Diaconatus iidem postea ordinati sint, quod tametsi in Scriptura expressum non sit, ex Traditione nobis constat.* Unde sequitur in opinione Vasquesii, ex Scriptura demonstrari non posse sacrum esse Diaconorum Ordinem.

Distat verò maximè in duobus hæc Vasquesii sententia ab opinione Spalatensis. 1. quòd asserat Diaconatum esse verum Sacramentum, quod negat Spalatensis. 2. quòd velit esse institutionis divinæ, licèt diversæ, seu diverso tempore factæ ab ea quæ refertur Act. 6. è contra Spalatensi placet Episcoporum dumtaxat arbitrio ac voluntate vocatos esse Diaconos ad sacrum ministeriū.

Communis Theologorum sententia est, ex occasione quidem murmuris Græcorum, de quo Act. 6. ad mensarum ministerium creatos esse ab Apostolis Diaconos; primarium verò eorum finem ac scopum fuisse ut rebus sacris ac divinis inservirent; adeòque Ordinem Diaconatus esse verum Sacramentum. Itaque sit

CONCLUSIO.

Diaconatus est verum Sacramentum quo initiati sunt septem primi Diaconi, de quibus Act. 6. non ad vulgaris dumtaxat & profanæ, sed ad sacræ mensæ ministerium electi. Prior pars Conclusionis est contra Durandum; altera contra Vasquesium.

Pro-

Probatur. Quia nulla conditio ex iis quæ ad verum Sacramentum requiruntur, desideratur in Diaconatu.

Prima conditio est ut sit signum sensibile: at habemus tale signum in manus impositione, & oratione qua septem primi Diaconi inaugurati sunt Act. 6. v. 6. *Hos statuerunt*, ait sacer Contextus, *ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Huic signo & aliud subinde addidit Ecclesia, ut posteà dicemus.

Secunda conditio est, ut signum illud sit à Christo domino institutum: at nec illa deest in manus impositione, & oratione qua usi sunt Apostoli in ordinandis primis septem Diaconis. Unde enim ritum illum usurpassent? nisi quia sic à Christo edocti ac jussi fuerant: quod enim nos ab Apostolis accepimus, hoc & ipsi à Christo acceperunt, sicut Christus ipse à Deo, ait alicubi Tertullianus. Ita docent

S. Ignatius in Epistola ad Smyrnæos. *Diaconos revereamini*, inquit, *ut* Ed. Cotell. p. 874. E. *Dei mandatum*; seu, ut legunt alii, *velut mandatum Dei exequentes ministerio suo*. Ib. p. 914. B. Et in Epistola ad Ephesios, juxta nonnullorum lectionem sic habet: Ib. p. 881. B. *Subjecti estote Episcopo, & Presbyteris & Diaconis. Qui enim his subjectus est, obedit Christo, qui hos constituit.*

T. 4. p. 2. p. 803. S. Hieronymus Epistola ad Evagrium seu Evangelium jam citata, comparat nostros Diaconos Levitis veteribus: ut igitur Levitæ à Deo erant instituti, ita & nostri Diaconi. Et adversùs Luciferianos, ait Ecclesiam multis gradibus consistere: *ad ultimum*, inquit, *Diaconis, Presbyteris &* Ib. p. 303. *Episcopis finitur*. Sicut igitur Presbyteri & Episcopi suam à Christo habent originem & institutionem, ita Diaconi. Et L. 2. adversùs Jovinianum sic loquitur: *Si tollis*, inquit, *ordinem Tabernaculi, Templi, Ecclesiæ*... Ib. p. 226. *nequaquam Episcopi; frustra Presbyteri; sine causa Diaconi*, quibus verbis innuit sanctus Doctor, ad sacrum ministerium necessarios esse Diaconos, perinde ac Episcopos & Presbyteros; ac consequenter divinam pariter esse illorum omnium originem.

Conc. denique Trid. Sess. 23. Can. 6. jam laudato definit esse in *Ecclesia ex* Tom. 14. Conc. p. 864. C. *divina ordinatione Hierarchiam institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris*. Per ministros verò haud dubiè Diaconos intelligit; pertinent ergo illi ex divina institutione ad Hierarchiam ecclesiasticam.

Tertia conditio est, ut signum illud sensibile à Christo Domino institutum, sit in Religione perpetuum: at continua & nusquam interrupta Ecclesiæ praxi constat ordinatos semper fuisse Diaconos per impositionem manus.

Quarta conditio est, ut illi signo annexa sit gratia sanctificans, est enim Sacramentum signum efficax & operativum gratiæ: at nec abfuit ab illa manus impositione & oratione, qua primi septem Diaconi ordinati sunt, gratia sanctificans. 1. quia hæc ipsa impositio manus cum oratione adjuncta nihil aliud est quàm divinæ gratiæ ac cœlestis Spiritus invocatio, & signum præsentis divinæ protectionis ac virtutis. *Caro*, inquit Tertullianus Lib. de resurrectione carnis cap. 8. *manus impositione adumbratur, ut anima spiritu* P. 330. D. *illuminetur*. 2. quia dispositiones ipsæ quas postularunt Apostoli Act. 6. in Diaconis ordinandis, nempè ut essent *viri boni testimonii, pleni Spiritu sancto & sapientia*, certò denotant sanctitatem & gratiam ministerii ad quod promovendi erant. Unde ibidem v. 8. statim ab Ordinatione accepta Stephanus dicitur *plenus gratia & fortitudine*. Et Apostolus in prima ad Timoth. cap. 3. postquam eximias Episcoporum dotes descripsit, easdem ferè in

Diaconis exigit v. 8. *Diaconos*, inquit, *similiter pudicos*, *non bilingues*, *non multo vino deditos*, *non turpe lucrum sectantes*, *habentes mysterium fidei in conscientia pura*. Et posteà v. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri*. Hæcne quæso referunt viros ad purum mensarum communium ministerium destinatos? non certè. 3. Concilium Chalcedonense Can. 6. asserit, Episcopum, qui propter pecuniam Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos ordinat, vendere gratiam pretio inæstimabilem; sive per illam intelligat gratiam gratis datam, sive gratum facientem: saltem enim inde sequitur, in Ordinatione Diaconi gratiam aliquam conferri, nec merè profanum esse illius ministerium. 4. denique, Concilium Trid. Sess. 23. Can. 4. docet, Episcopum in conferendo Ordinis Sacramento non frustra dicere, *Accipe Spiritum sanctum*; quia nempe revera datur per sacram Ordinationem: atqui in Ordinatione Diaconi Pontifex extendens manum dexteram, & suprà caput ordinandi eam ponens, ait: *Accipe Spiritum sanctum*, *ad robur*, *ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*.

Quinta conditio est, ut per manus impositionem & orationem Diaconi non ad profanum, sed sacrum ac divinum ministerium sint destinati. Porrò ita esse demonstratur hoc argumento: Qui Ordinatione sua ministri sunt Sacerdotis, ii ex officio destinati sunt ut assistant & inserviant Sacerdoti in omnibus suis sacris obeundis functionibus & officiis: Sacerdotum porrò hæ ferè sunt partes, sacrificare, baptizare, docere, reconciliare, afflictorum curam habere. Porrò ad hæc omnia suum præstat ministerium Diaconus: sic enim Diaconos ordinandos alloquitur Pontifex in Pontificali Romano, *Provehendi*, *filii charissimi*, *ad Leviticum Ordinem*, *cogitate magnopere*, *ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis*. *Diaconum enim oportet ministrare ad altare*, *baptizare*, *& prædicare*. Est igitur sacrum ac divinum Diaconorum officium.

Primò itaque, Sacerdoti Sacra solemniter celebranti inservire debet Diaconus. Ita olim S. Laurentius S. Sixtum S. Pontificem compellabat apud S. Ambrosium Lib. 1. de Officiis cap. 41. *Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras*. Tom. 2. p. 54. F.

S. Justinus Apol. 2. testatur suo tempore Diaconos Eucharistiam præsentibus dispensasse & ad absentes detulisse. Ejusdem consuetudinis extant apud S. Cyprianum exempla. P. 97. B.

S. Ignatius in Epistola ad Trallianos expresse asserit *Diaconos mysteriorum Christi ministros esse non ciborum & potuum*; *eosque purum & inculpatum Sacerdotibus ministerium exhibere*. Ed. Cotell. p. 863. B. C.

S. Isidorus L. 2. de Officiis Ecclesiasticis c. 8. ait *sine Diaconis Sacerdotem habere nomen*, *officium autem non habere*, quòd nempe sine illis Sacra perficere non possit. *Levitæ*, ait ibid. *inferunt oblationes in altaria*, *componunt mensam Domini*, *operiunt arcam Testamenti &c.* P. 600. col. 2. G. Ibid.

Quamquam autem ex officio & Ordinatione possint Diaconi Eucharistiam administrare, eamque olim administraverint, id tamen muneris exercere ipsis aliquando prohibitum, nisi absente vel jubente Sacerdote. Concilium Arelatense III. Can. 15. statuit *ut Diaconi corpus Christi tradere non præsumant præsente Presbytero*. Et Concilium Carthaginense IV. Can. 38. *Diaconus*, inquit, *præsente Presbytero*, *Eucharistiam corporis Christi populo*, *si necessitas cogat*, *jussus eroget*. Concilium denique Nicænum generale I. Can. 18. prohibet Diaconis, *ne Presbyteris gratiam sacræ communionis porrigant*: Tom. 2. Conc. p. 1203. C. Ib. p. 43. B. C.

quòd

quò neque Canon, neque consuetudo tradidit, ut qui potestatem offerendi non habent, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. Ergo saltem aliis non Sacerdotibus poterant distribuere corpus Christi. Diaconorum etiam erat inter Missarum solemnia animos Fidelium ad attentionem subinde excitare, sicut testatur S. Isidorus loco mox indicato; item & monere tum Catechumenos, tum pœnitentes, ut discederent.

Secundò, habent ex sua Ordinatione Diaconi, ut jubente Episcopo vel Presbytero possint Baptismum administrare, ut ostendimus in nostro de Sacramento Baptismi Tractatu. Sic enim testatur Tertull. L. de Baptismo

P. 230. C. c. 17. *Dandi Baptismi,* inquit, *jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Deinde Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Eccle-*

T. 4. p. 2. p. 295. *siæ honorem, quo salvo salva pax est.* Et S. Hieronymus Dial. adversùs Luciferianos, *Inde venit,* inquit, *ut sine Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi.* In Actibus Apostolorum legimus à S. Philippo Diacono baptizatum Eunuchum Reginæ Candacis. Episcopo vel Presbytero baptizanti assistebant & inserviebant olim Diaconi, tum Catechumenos primis fidei rudimentis imbuendo, tum eorum vitæ rationem examinando, tum post accuratum examen nomina Competentium apud Episcopum vel Presbyterum recitando. Ante illos sanctus Ignatius Martyr Epistola ad Trallianos dixerat. *Oportet Diaconos mysteriorum Jesu Christi ministros, omni modo omnibus placere: non enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri.* Idem asserit Epistola ad Magnes. n. 6. *Quibus,* ait, *commissum est ministerium Jesu Christi.*

Tertiò. Diaconorum est legere Evangelium. S. Hieronymus Epistola 48.

Ibid. p. 758. Sabinianum Diaconum lapsum sic alloquitur: *Tu exsanguis & pallidus, ut suspicione omni careres, Evangelium Christi, quasi Diaconus lectitabas.*

Concilium Vasense in Gallia Viennensi Can. 2. *Si Presbyter,* inquit, *aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum Patrum*

Tom. 4. Conc. p. 1680. *Homiliæ à Diaconibus recitentur. Si enim digni sunt Diaconi quæ Christus in Evangelium locutus est, legere; quare indigni judicentur SS. Patrum expositiones publicè recitare?* Diaconus Evangelium posse annuntiare, exemplis SS. Stephani & Philippi in Actibus Apostolorum manifestum est, quod muneris ipsis tribuunt S. Isidorus, Amalarius, Rabanus: verùm nonnisi ex licentia Episcopi in publico conventu Ecclesiæ id potuerunt. Gravatè

Mor. Exercit. 9. p. 180. olim tulit Demetrius Alexandrinus, quòd Episcopus Cæsareæ & vicini Episcopi copiam fecissent Origeni dumtaxat Diacono, in publico Ecclesiæ consessu sacras Scripturas interpretandi: verùm Alexander Episcopus Jerosolymæ & Theoctistes Cæsareæ Demetrio responderunt, aliquando ab antiquis concessum aliquibus doctrinæ fama conspicuis, ut publicè verbum

Pag. 306. & L. 2. F. Dei annuntiarent. Observat hìc Estius in 4. dist. 24. paragr. 16. *Diaconorum esse prædicare Evangelium: non quòd,* inquit, *ad id munus propriè ordinati sint, sed ut summaria quadam Evangelii expositione plebem præparent ad solidiorem & exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per Sacerdotem. Nec verò hoc ipsis*

Ibid. E. *permittitur,* pergit Estius, *nisi in absentia Sacerdotis vel Episcopi, vel certè iis jubentibus, & id quidem è loco humiliore quemadmodum Catechismus Parochorum admonet; nimirum ut intelligant munus illud sibi non jure Ordinis, sed*

Ed. Cotel. 1. 872. B. *sola superioris delegatione competere.* Ita Estius, qui addit ibid. *Diaconos in doctrinæ & prædicationis officio adesse Episcopo, dum prohibent ne quis ei insidietur, aut docentis verba derideat, aut quocumque modo molestus sit.* Ita testatur

ſtatur S. Ignatius Epiſtola ad Philadelphenos, *Philonem Diaconum virum laudatum ſibi in verbo Dei miniſtraſſe*.

Quartò, Diaconi olim, urgente neceſſitate, pœnitentes reconciliabant, non quidem ſacramentalem impertiendo abſolutionem, ut docuimus in Tractatu de Pœnitentia, ſed vel dando communionem, quæ ſignum erat reconciliationis, vel canonicam & cærimonialem dumtaxat abſolutionem Epiſcoporum nomine deferendo. *Si urgere exitus cœperit*, ait S. Cyprianus Epiſtola 12. *apud Diaconum exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres Litteris ad nos factis deſideraverunt*. Sed de hoc argumento plura vide in Tractatu de Pœnitentia. P. 25.

Quintò denique, Diaconorum officium erat afflictorum curam habere, & diſpenſationis theſauri Eccleſiæ. Patet ex multis S. Cypriani Epiſtolis, ubi teſtatur ſolitos fuiſſe Diaconos carceres in quibus Martyres detinebantur circuire, ſingulorum vota & deſideria explorare, ad eos eleemoſynas deferre &c. Patet exemplo S. Laurentii, cui credita fuerat diſpenſatio theſauri Eccleſiæ ex oblationibus Fidelium collecti. De his Diaconorum officiis lege fusè diſſerentem Habertum in notis ad Pontificale Græcorum pag. 183. & ſeq.

Ad hæc porrò ſacra miniſteria deſtinati & ordinati ſunt ſeptem primi Diaconi, ea ipſa electione quæ refertur Act. 6. neque enim alterius eorum inſtitutionis meminit Scriptura; atque aliam fingere cum Vaſqueſio, divinare eſt, ac Catholicis eripere unicum quod ex Scripturis habent, argumentum inſtitutionis Diaconorum divinitus factæ.

Prætereà verò, Scriptores eccleſiaſtici originem & officia noſtrorum Diaconorum repetunt, tum ex Levitis veteribus, tum ex iis ſeptem quos Act. 6. Apoſtoli ordinarunt: cùm igitur doceant iidem Scriptores, Diaconos noſtros ex Ordinatione ſua ad miniſteria ſacra deſtinari, neceſſe eſt ut idem de ſeptem primis Diaconis ſentiant, ad quorum formam & exemplum ordinati ſubinde ſunt in Eccleſia Diaconi. Ita porrò S. Iſidorus L. 2. de Officiis eccleſiaſticis c. 8. Concilium Aquiſgranenſe c. 8. Amalarius L. 2. de Officiis eccleſiaſticis c. 12. Rabanus Maurus de inſtitutione Clericorum L. 1. c. 7. Stephanus Æduenſis de Sacramento altaris c. 7. Ivo Carnutenſis Serm. 2. de rebus eccleſiaſticis, Hugo à S. Victore de Sacramenti fidei L. 2. p. 3. c. 11. Petrus Lombardus Lib. 4. diſt. 24. & ante hos omnes Patres Concilii Neocæſarienſis an. 314. Can. 14. *Diaconi*, inquiunt, *ſeptem eſſe debent juxta regulam, licèt & valdè magna ſit civitas. Id ipſum autem & Actuum Apoſtolorum Liber inſinuat*. S. pariter Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium ſeu Evangelum, noſtrorum Diaconorum formam & Ordinationem revocat ad eam quæ refertur Act. 6. Tom. 1. Conc. p. 1486. A. To. 4. p. 2. p. 803.

Ita pariter & Prudentius in Carmine de ſancto Laurentio:

Jura miniſterii ſacris altaribus apti,
In ſeptem ſtatuere viris, quos undique lectos,
Levitas vocitare placet. Quàm ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat agni.

Ita quoque S. Cyprianus Epiſt. 68. ad Clerum & plebes Hiſpaniæ de forma electionum ſcribens, *Nec hoc*, inquit, *in Epiſcoporum tantùm & Sacerdotum, ſed in Diaconorum Ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus*, P. 113.

de

de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem Discipulorum, & dixerunt eis. Quod utique idcircò tam diligenter & cautè convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Audis primos Diaconos coram convocata plebe idcircò electos, ne quis indignus obreperet ad altaris ministerium.

Beda ob. an. 73. Tom. 5. p. 830. n. 30. Tom. 6. p. 18. n. 20. Eadem est V. Bedæ sententia Commentario in cap. Act. Apostolorum: *Hinc*, inquit, *jam decreverunt Apostoli vel successores Apostolorum, per omnes Ecclesias septem Diaconos, qui sublimiori gradu essent cæteris, & proximi circa aram quasi columnæ altaris assisterent, & non sine aliquo septenarii numeri mysterio.* Et in Retractatione ejusdem Operis sic loquitur: *Communis quidem dispensatio exigebat, ut ministri pro viduis viri eligerentur, verùm ubi inventi sunt qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, ut solet, providentia consilii salutaris, placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri ac Dominici sanguinis, sicut & refectionis, mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari: quod probatum est verbo quo dictum est, Et orantes imposuerunt eis manus &c.* Quo loco perspicuè docet Beda, occasione quidem ministerii mensarum electos fuisse Diaconos; sed eosdem, & ea ipsa quidem electione & Ordinatione, non autem diversa (ut fingit Vasquez qui ad hoc Bedæ testimonium respexisse videtur) ad sacrum altaris ministerium destinatos fuisse.

Diaconi aliquando modestiæ ac ordinis sui fines prætergressi sese audaciùs suprà Presbyteros efferre visi sunt. *Audio*, inquit S. Hieronymus in Epistola ad Evagrium seu Evangelum, *quemdam in tantam erupisse* T. 4. p. 2. p. 802. Ib. p. 803. *vecordiam, ut Diaconos Presbyteris anteferret.* Et posteà: *In Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi; licèt paulatim increbrescentibus vitiis, intèr Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, & in domesticis conviviis benedictiones Presbyteris dare.*

Sine Episcopi vel Presbyteri jussu sibi arrogarunt aliquando Diaconi administrationem Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, qui repressi & in ordinem redacti sunt à Conciliis antea citatis Carthaginensi IV. Arelatensi II. Nicæno I. generali. *Diaconus*, ait Conc. Carthag. cap. 37. *ita se Presbyteri,* Tom. 2. Conc. p. 1203. C. *ut Episcopi ministrum noverit. Diaconus*, inquit Auctor Constitutionum Apostolicarum, qui Clemens vulgò dicitur, Lib. 8. cap. 28. *non benedicit, ne-* Tom. 1. Conc. p. 493. C. *que dat benedictionem; accipit verò ab Episcopo & Presbytero. Non baptizat, neque offert;* (supple, nisi absente vel jubente Episcopo aut Presbytero) *oblatione verò ab Episcopo aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris.*

Hujusce audaciæ si causas postules, eæ ferè sunt. Prima, paucitas Diaconorum; erant enim in celebrioribus Ecclesiis, Romana præsertim, numero tantùm septem. Ita testantur Cornelius S. P. apud Euseb. L. 6. Hist. c. 35. Sozomenus L. 7. c. 19. ac jubent Patres Conc. Neocæsariensis Can. 14. citato. Tum quòd ad testimonium Diaconi Romæ Presbyteri ordinarentur. Ita significat in citata mox Epistola S. Hieronymus. *Sed dicis*, inquit, *Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ, vindicas? Omne quod rarum est plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere preciosius est. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit.* Secunda causa hujusce superbiæ ac fastus fuit, quòd Dia-

Diaconis aliquarum Ecclesiarum regimen committeretur, ut patet ex Can. 77. Concil. Eliberitani ubi dicitur: *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Et ex cap. 7. Concilii Tarraconensis ann. 516. *De Diœcesanis Ecclesiis*, inquit, *vel Clero, id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi qui inibi constituti sunt, cum Clericis, septimanas observent: idest, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat ei Diaconus similiter*. Tertia denique ratio fuit auctoritas, gratia, & accessus frequentissimus Diaconorum apud Episcopos, quorum oculi, aures & manus dicebantur, quòd nempè jurisdictionem eorum exercerent, atque per illos dumtaxat Presbyteris pateret aditus ad Episcopos.

T. 1. Conc. p. 978. E. T. 4. Conc. p. 1564. D Vide plura apud Mendosam in Can. 77. Elib. pag. 541. Tom. 3. p. 1. Appendic. p. 98. C.

Inde superbiendi in illis occasio, quam aperit Auctor quæstionum utriusque Testamenti apud Augustinum qu. 101. *Immemores*, inquit, *elatione mentis, eo quòd videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis à Deo decretum sit, & quid debeant custodire; sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes domesticæ, & officialitas, quæ per suggestiones malas, seu bonas, nunc plurimùm potest. Aut timetur enim ne malè suggerant, aut emuntur, ut præstent. Hi sunt qui faciunt eos ordinis sui non considerare rationem: dum enim per adulationem obsequuntur illis illicitè, præcipites illos faciunt, ut plùs sibi putent licere: quippè cùm videant non sic deferri sacerdotibus, ac per hoc anteferri se putant*. Hæc ille auctor Augustino antiquior. Addit jàm citatus Auctor Constitutionum Apostolicarum L. 8. cap. 28. *Diaconos excommunicare posse Subdiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconissam, si absente Presbytero res id postulet*.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. cum Durando: Quoties multæ operationes ad effectum aliquem sacramentalem assequendum ordinantur, quarum una sola illum attingit, toties illæ operationes non habent rationem Sacramenti, sed sunt duxtaxat actiones præparatoriæ ad illum effectum, & quædam sacramentalia, ut patet ex catechismo, exorcismis & insufflationibus quæ præmittuntur ablutioni aquæ exteriori, quarum operationum ablutio sola effectum Baptismi tribuit, proindeque sola Sacramentum est: atqui Presbyteratus, Diaconatus, & alii inferiores Ordines ita se habent ut solus Presbyteratus attingat effectum Sacramenti Ordinationis, scilicet consecrationem corporis & sanguinis Christi; ergo solus Presbyteratus habet rationem Sacramenti, non Diaconatus, qui ad hunc effectum solummodo disponit.

Resp. nego min. quæ falsum supponit, nempè consecrationem corporis & sanguinis Christi esse effectum Ordinationis: propriè enim non est effectus, sed finis; effectum autem immediatus Sacramenti Ordinis est tum character, tum sanctificans gratia. Porrò non solus Presbyteratus characterem & gratiam confert, sed etiam Diaconatus; adeoque utrique ratio Sacramenti meritò vindicatur. Inde aperta fit disparitas catechismi, exorcismi &c. hæ quippè actiones ex se gratiam Baptismi non producunt, sed ad eam solummodò præparant ac disponunt.

Objicies 2. cum eodem: Potestas quæ datur per Ordinationem est ad conficienda Sacramenta, sicut potestas quæ datur per Baptismum est ad ea recipienda: atqui Diaconus vi suæ Ordinationis non accipit potestatem conficiendi aliquod Sacramentum; ergo nullam accipit potestatem.

Resp. 1. nego maj. Neque enim omnis potestas seu character sacramentalis est ad conficienda vel recipienda Sacramenta, ut patet exemplo Confirmationis, cujus character seu potestas est dumtaxat ad intrepidam fidei confessionem, non verò ad Sacramenta vel conficienda vel recipienda.

Resp. 2. dist. maj. Potestas quæ datur per Ordinationem est ad conficienda Sacramenta, mediatè vel immediatè, concedo: immediatè semper & necessariò, nego. Similiter distinguenda est minor. In Diaconatu quidem non datur potestas conficiendi Eucharistiam immediatè; id etenim proprium est Sacerdotis; sed datur potestas mediatè saltem, hoc est, mediante Sacerdote cui Diaconus inservire debet, conficiendi Eucharistiam: ut enim ex S. Isidoro audivimus, *Sacerdos sine Diacono, nomen quidem habet, sed non officium.*

Objicies 3. cum eodem: In Sacerdotio confertur potestas ad aliquid faciendum, quod sine tali potestate & charactere non solùm non benè, sed etiam nullo modo fieret; nam sine hujuscemodi charactere non solùm non benè, sed etiam nullo modo consecraretur Eucharistia: atqui in Diaconatu non confertur hujusmodi potestas quæ sit omninò necessaria ut aliquid simpliciter fiat, sed tantùm ut benè fieri possit; quæcumque enim faciunt Diaconi & Subdiaconi, à Laico eodem modo validè fierent.

Resp. nullam esse hujusce argumenti consequentiam. Quamvis enim in sacerdotio talis character ac potestas ad aliquid faciendum conferatur, ut sine illa non solùm non benè, sed etiam nullo modo id fieret, non tamen necesse est ut aliæ Ordinum potestates ejusdem sint conditionis; sed satis est si dentur ad benè aut meliùs aliquid operandum, sicut datur in Confirmatione: namque protestatio & confessio fidei coram tyranno benè fieri potest à non confirmato; habet tamen confirmatus, ratione Sacramenti & characteris, majorem gratiæ promissionem ad id præstandum.

Objicies 4. S. Cyprianus Epistola 65. ad Rogatianum ait, *Apostolos post ascensum Domini in Cælos sibi constituisse Diaconos Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Censet igitur Diaconatum non esse à Christo institutum.

Resp. nego consequentiam. Solùm enim sequitur, Christum immediatè per seipsum non elegisse Diaconos, sicut elegerat Apostolos; sed non sequitur Diaconatum non esse à Christo institutum, relicta Apostolis libertate eos quos dignos judicarent, ad hoc officium promovendi. Et certè hac ratione coercere ac reprimere vult S. Doctor audaciam Diaconi qui Rogatianum Episcopum contumeliis exarcebaverat, eumque ad agendam pœnitentiam adducere.

Objicies 5. S. Hieronymus, citata jam sæpius Epistola ad Evangelum, Diaconus mensarum dumtaxat ac viduarum ministros appellat, eaque ratione retundit eorum factum atque superbiam qui se supra Presbyteros efferebant.
T. 4. p. 2. pag. 802. *Quis patiatur*, inquit, *ut mensarum & viduarum minister supra eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus Christi, sanguisque conficitur?*

Resp. S. Doctorem non sine consilio, ad reprimendam nonnullorum Diaconorum audaciam, ante oculos eorum ponere humile & abjectum ministerium quod primò dedit occasionem instituendis primis Diaconis: non enim altius & sublimius eorum officium ignoravit aut negavit S. Doctor, sicut nec divinam eorum originem, ut ex testimoniis ipsius antea adductis manifestum est; sed ad hoc unum mensarum ministerium oculos defigere Diaconos tunc voluit, ut, si fieri posset, detumesceret eorum fastus atque superbia.

Objicies

Objicies 6. Act. 6. ubi prima refertur Diaconorum institutio, nulla planè fit mentio sacri alicujus ministerii ad quod deputarentur, sed merè profani, curæ scilicet eleemosynarum, quæ viduis & aliis pauperibus erant erogandæ: imò clarè innuit sacer Contextus idcircò creatos Diaconos, ne Apostoli à sacro ministerio avocarentur, si pauperum curæ vacarent; igitur Diaconis injunctum ministerium purè temporale fuit ac humanum, excludens sacrum ac divinum, & ab eo planè distinctum. Sic loquitur sacer Contextus Act. 6. vers. 1. & seq. *In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos, eo quòd dispicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis: considerate ergo viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Quo in loco Scriptura non tantùm non meminit alicujus sacri ministerii Diaconorum, sed etiam illud excludere videtur.

I. Quia hoc ipsum Diaconis ministerium assignatur, quod erat proprium viduarum, quas contemptas fuisse conquerebantur Græci; at viduis illis non aliud quàm temporale concreditum fuerat ministerium, quod Scriptura *quotidianum appellat*.

II. Ministerium illud in mensis dumtaxat communibus fuisse asserunt Apostoli: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis*, inquit.

III. Ministerium illud distinctum erat ab oratione & ministerio verbi; siquidem, ut diximus, ne à sacro isto ministerio avocarentur Apostoli, in Diaconos rejecerunt curam pauperum, & eleemosynarum administrationem.

Resp. in adducto quidem Scripturæ textum nullam expressam fieri mentionem sacri ministerii ad quod delecti sunt septem primi Diaconi, sed tantùm referri occasionem institutionis eorum, non autem primarium finem: nihilominus tamen, tum ex dispositionibus ac dotibus quas Apostoli in illis requirunt, tum ex officiis quæ exercuere SS. Stephanus & Philippus, tum ex Traditione certissimè infertur, Diaconos non ad profanum dumtaxat, sed ad sacrum ministerium delectos fuisse.

Ad primam probationem: Datum quidem est Diaconis officium ministrandi mensis, (non cibos apponendo, sed providendo ne quid ad vitam pauperibus deesset) quod faciebant & Viduæ: sed prætereà destinati sunt ut altari ministrarent, quod Viduis concessum non fuit: aliquod igitur, sed non omne Diaconorum officium viduæ impleverunt.

Ad secundam: Nego, ministerium illud in mensis dumtaxat communibus fuisse: imò cùm tunc temporis eædem forent mensæ communes & sacræ, atque sacram Eucharistiam inter communes mensas sumerent Christiani, Diaconi utrique simul mensæ ministrabant, communi per eleemosynarum distributionem, sacræ, per dispensationem corporis & sanguinis Christi. Talem fuisse hujus primi ævi usum, probat exemplum Christi, qui in ultima Cœna utramque mensam conjunxit; communem in qua agnum cum Apostolis suis de more comedit; & sacram, in qua corpus & sanguinem suum iisdem propinavit. Probat & Apostoli auctoritas 1. Corinth. 11. cùm ait: *Unusquisque cœnam suam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* En cœnam communem. Et posteà: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* En

mensam sacram. Ministerium igitur quotidianum, utriusque mensæ administratio erat, quæ quotidie parabatur: unde Act.2. dicitur: *Erant perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Per fractionem autem panis communem dumtaxat cibum intelligi non debere, suadent ista S. Pauli verba 1.Corint.10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

Ad tertiam: Ministerium quidem illud mensarum distinctum erat ab oratione & ministerio verbi, sed istud non excludebat; utrumque enim simul exercebant Diaconi, imò & ipsi Apostoli, qui ut liberiùs vacarent orationi & prædicationi, pauperum curam in Diaconos rejecerunt, non tamen à se omninò amoverunt hanc pauperum sollicitudinem, ut patet ex cap.2. Epistolæ ad Galatas, ubi S. Paulus testatur se & Barnabam sollicitè ab Apostolis admonitos, ut pauperum memores essent. Et in Epistolis ad Corinth. aliisque, suam hanc curam declarat. Et S. Lucas Act.11. & 12. testatur ministerium illud in pauperes à Paulo & Barnaba factum atque expletum. Denique Timotheum Episcopum instruit idem S. Paulus, *quas viduas honorare*, idest ex ærario Ecclesiæ alere deberet. Verùm quoniam experientia compertum erat, hac quotidiana pauperum cura non parum interturbari sublimiorem ac magis spiritualem Episcoporum functionem, id quod satis indicant citata hæc Apostolorum verba Act.6. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*; hinc auctoritate tantùm hujus rei penes Episcopos remanente, administratio atque occupatio externa Diaconis commissa fuit.

Estius in 4.dist.24. parag.16.

Objicies 6. Canonem 16. Concilii Quinisexti an. 692. quo declarant Patres, juxta mentem antiquorum, septem Diaconos, de quibus Act.6. electos fuisse, non ut mysteriis, sed mensis ministrarent; quod auctoritate S. Chrysostomi Hom.14. in Acta ibid. confirmant.

T.6. Conc. p.1149.

Resp. 1. exponi posse verba Canonis hoc sensu, quòd primi Diaconi occasione ministerii mensis communibus impendendi ordinati sint, licèt primarius institutionis finis fuerit rerum sacrarum administratio.

Resp.2. Canones illos Trullanos magni apud Romanam Ecclesiam ponderis non esse, à qua recepti non sunt; & reipsa in multis recedunt à placitis & moribus non tantùm Latinæ sed Ecclesiæ Græcæ, ut patet ex hoc ipso Can. 16. ubi Canon Neocæsariensis de septem tantùm Diaconis ordinandis Ecclesia quamtumvis numerosa, reprobatur. Immeritò autem Patres illi Trullani auctoritate S. Chrysostomi nituntur: hoc unum quippè asserit sanctus Doctor, ad Ordinem Diaconatus per se non pertinere munus pecuniarum administrandarum, quandoquidem in Ecclesia Constantinopolitana munus illud non Diaconis sed Presbyteris concederetur; primi verò Diaconi ad hoc fuerant ordinati, tamquam ad secundarium & minùs præcipuum munus, non tamquam ad primarium. Sacrum verò fuisse eorum primarium officium agnoscit citata Hom. S. Chrysostomus, ubi ait, eos idcircò à *multitudine segregatos fuisse*, atque per impositionem manus & preces ordinatos. *Manus viro superponitur*, inquit, *totum autem Deus operatur*: hoc est gratiam & potestatem ad sacra munia largitur.

Ed. Commel. pag. 545. B.

Objicies 7. Ordo concessus ad tempus non est Ordo sacer: sed Diaconatus est honor concessus ad tempus; ergo &c. Minor probatur ex Epistola Vigilii S. Pontificis ad Rusticum & Sebastianum, quæ extat Collatione 7. Synodi Oecumenicæ V. in qua dictum Sebastianum sic alloquitur: *Absentibus filiis*

nostris

nostris Diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis postulasti, ut ad tempus, pro implendo officio absentium loco, Diaconum te interim faceremus. T.5.Conc. p.552. E.

Resp. dist. min. Diaconatus quantùm ad aliquem honoris ac dignitatis gradum omninò adventitium & accidentalem, concedo: quantùm ad Ordinationem & intrinsecam potestatem, nego. Vigilius itaque in citata Epistola hoc unum vult, nempè Stephanum, cùm antea esset Diaconus, in locum Anatolii & Stephani Diaconorum Cardinalium ad tempus assumptum fuisse, ut eorum loco tamquam Diaconus Cardinalis ad tempus ministraret; ideoque non ad tempus fiebat Diaconus, quantùm ad Ordinationem & intrinsecam potestatem, sed fiebat Diaconus Cardinalis, quantùm ad honoris gradum, cujus honoris concessio dicitur Ordinatio; sæpè enim Ordinatio pro investitura & institutione in aliquo ecclesiastico Titulo sumitur. Nihil autem videtur absurdi, si cùm definitus esset numerus Diaconorum Cardinalium, quibusdam ex iis absentibus, aliqui alii Diaconi per Parochias aut Oratoria constituti ad ministrandum loco Diaconi Cardinalis ad tempus assumerentur, qui proinde promitterent se, revertentibus Diaconis Cardinalibus, officio cessuros, & ad proprias Ecclesias Titulosque reversuros; nec hoc inusitatum, ut in absentia Clericorum ibi fierent Cardinales: simili enim modo Gregorius S. Pontifex L.1. Epistolis 79. & 80. aliàs 77. & 79. Martinum Tamitanæ seu Tainatensis Ecclesiæ dirutæ & ab hostibus occupatæ Episcopum in Saonensi diu Sacerdotis auxilio destituta, Cardinalem constituit Sacerdotem. Hall. p. 422. Tom.2. p. 563.

Objicies denique: Ex iis quæ ad quintam hujus Tractatus Quæstionem initio docuimus ex S. Thom. nempe distinctionem Ordinum esse totius potestativi, cujus hæc natura est, ut totum secundùm completam rationem sit in uno, adeoque totam plenitudinem Sacramenti Ordines esse in sacerdotio; ex iis, inquam, sequitur, aut Diaconatum non esse verum Sacramentum, aut si est, plura quàm septem esse admittenda Sacramenta.

Resp. nego utramque sequelam. Primam quidem, quia sequitur duntaxat Diaconatum non esse tam perfectum Ordinem ac est sacerdotium, quamquam in se sit Sacramentum. Secundam: quia cùm Diaconus sit Sacerdotis necessarius minister, & ad Eucharistiam, tamquam ad finem unicum, tum Sacerdos, tum Diaconus referatur, hic ut ministret, ille ut conficiat, sequitur, Diaconatum non constituere speciem distinctam Sacramenti Ordinis.

De materia & forma Diaconatus.

In quarto Conc. Carthaginensi hic describitur Can.4. Ordinationis ritus. *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Simplex omninò videtur ritus ille: nulla in eo instrumentorum aliquorum, aut codicis Evangeliorum, aut stolæ, aut dalmaticæ traditio, sed unica manus impositio cum benedictione, hoc est oratione. Placet nihilominus Estio in 4. dist.24. paragr. 24. in illa manus impositione inclusum intelligere omnem alium agendi ritum & ordinem quem servandum esse ex Traditione didicit is qui Sacramentum confert. *Non enim dubitandum*, pergit ibid. insignis Theologus, *quin ritus hujus Sacramenti* (Ordinis) *quos ut essentiales hodie servat Ecclesia, ab Apostolis Christo auctore fuerint Ecclesiæ traditi, etiamsi fortè iis Apostoli non semper usi fuerint.* A. 398. T.2.Conc. p.1200. A. Pag.312. col.2. C.

Qui verò sint ritus illi quos hodie servat Ecclesia sive Græca sive Latina in Ordinatione Diaconorum, discimus tùm ex Pontificali Romano, tùm ex Græcorum Euchologiis.

In Ecclesia Latina hoc ritu ordinantur Diaconi.

I. Post longam orationem per modum præfationis, solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit supra caput cuilibet ordinando, ac profert hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, ac resistendum diabolo & tentationis ejus in nomine Domini.* Morinus, De sacris Ordinationibus parte 3. Exercitatione 9. cap. 2. suspicatur ista verba, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* inserta fuisse majoris securitatis causa, quo tempore (post sæculum duodecimum) prævaluit apud Theologos opinio formas Sacramentorum modo absolutio imperativo esse enuntiandas; tùm quia non cohærent cum aliis orationis seu præfationis verbis; tùm quia nulli Rituales Libri, *nulla Sacramentaria antiqua, imò nulla recentia ante quadrigentos annos scripta ea repræsentant.*

Pag. 174. num. 3.

II. Extensam manum tenens prosequitur orationem supra ordinandos, his verbis: *Emitte in eos quæsumus Domine Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur, &c.*

III. Stolam imponit super humerum ejus sinistrum, dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum, potens enim est Deus ut augeat tibi gratiam suam.*

IV. Induit eum dalmatica, dicens: *Induat te Dominus indumento salutis, & vestimento lætitiæ, & dalmatica justitiæ circumdet te semper in nomine Domini.*

V. Tandem tradit ipsi tangendum Evangeliorum Librum, dicens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quàm pro Defunctis in nomine Domini.*

Apud Græcos verò Diaconi sic ordinantur, referente Arcudio L. 6. de Sacramento Ordinis c. 2. & Goario in Euchologio pag. 249. & seq. Haberto in Pontificali pag. 308. & seq.

I. Postquam Pontifex caput ordinandi ter signavit signo crucis, habens manum impositam super eum dicit: *Divina gratia quæ semper infirma curat & imperfecta perficit, promovet N. reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti.*

II. Pontifex signat ter ejus caput, ac ei imposita manu sic precatur: *Domine Deus noster qui præcognitione tua iis præbes auxilium tui Sancti Spiritus, &c.* Et posteà aliam pronuntiat Orationem quæ sic incipit, *Dominus Deus noster.*

III. Orationibus sic fusis circumdat ei qui ordinatus est, in sinistro humero Orarium, hoc est stolam, dicens: *Dignus.* Et more solito cantatur ab iis qui sunt in Sanctuario, ter, *Dignus.*

IV. Deniq; exhibito illi osculo pacis, porrigit illi Pontifex flabellum, dicens similiter: *Dignus.* Et salutant eum omnes Diaconi. Ipse verò accepto flabello, stat à latere sacræ mensæ à parte dextera, aerem ciens super sancta mysteria.

Controvertitur inter Scholæ Theologos, quinam præcisè ex his ritibus, habeant materiæ & formæ essentialis rationem. Quatuor verò circumferuntur sententiæ.

Prima solam manus impositionem & orationem assignat pro materia & forma essentiali Diaconatus.

Secunda, præter impositionem manus admittit traditionem tùm stolæ, tùm

tum codicis Evangeliorum: dalmaticam verò ad solemnitatem dumtaxat, non verò ad substantiam Ordinationis refert.

Tertia, manuum impositioni solam tamquam essentialem adjungit Libri Evangeliorum Traditionem.

Quarta denique, à materia essentiali Diaconatus omnia excludit, præter unam Evangeliorum codicis traditionem; etiam manuum impositionem; quam sententiam ita veram esse pronuntiat Vasquez in 3.part. qu.238. cap.4. ut opposita ipsi temeraria & erronea videatur. Verùm, ut jam à nobis observatum fuit, hæc ipsa Vasquetii sententia, prout excludit à materia essentiali Diaconatus manus impositionem, corrigenda videtur Arcudio Lib.6. cap.7. Alii errores etiam & temeritatis notam ipsi inurunt.

Ex iis quæ initio hujus Tractatus generatim diximus circa materiam & formam sacræ Ordinationis, facile erit statuere quænam assignanda sit Diaconatus materia & forma essentialis. Itaque sit

CONCLUSIO.

Materia Diaconatus est impositio manus, forma verò oratio.

Probatur ex iis quæ Qu.2. dicta sunt generatim circa materiam & formam Sacramenti Ordinis, quam in manuum impositione & oratione reponi debere constat ex Scripturis ac constanti Ecclesiæ traditione.

Et verò in Ordinatione Diaconorum apud Græcos, nihil aliud præter impositionem manus & orationem, materiæ & formæ essentialis locum habere potest. Non stola, quæ dumtaxat est ad ornamentum; non flabellum, cujus non alius est usus, quàm ut abigantur muscæ, sicut ex Liturgia græca observat Habertus in Pontificali pag. 213. Alii quicumque ritus ad integritatem dumtaxat Ordinis pertinent, non ad essentiam, quia eorum nullum extat vestigium sive in veteri Ordine Romano, sive in Sacramentario S. Gregorii, sive in ullis Libris Ritualibus ante annos sexcentos scriptis.

ARTICULUS IV.

De Subdiaconatu.

Subdiaconus minister est sub Diacono immediatè constitutus, eique inserviens.

Hypodiaconos & Hyperitas Græci appellant, quasi subministros. Vide Canonem 21. & 22. Laodicenum, & Commentarium Balsamonis.

Non immeritò definiri potest Subdiaconatus, *Ordo per quem datur potestas proximè inserviendi Diacono solemniter ministranti.*

Prima Subdiaconorum mentio apud Latinos Scriptores occurrit apud S. Cyprianum Epistola 22. Cornelium S. P. in Epistola ad Fabium Antiochenum, referente Eusebio L.6. cap.43. Concilium Eliberitanum Can.30. Apud Græcos verò paulò seriùs auditur Hypodiaconorum nomen. Extat primùm in Concilio Laodiceno Can.21. & 22. & apud S. Athanasium Epistola ad Solitarios, ubi ait Arianos rapuisse *Eutychium Subdiaconum præclarè Ecclesiæ ministrantem*. Quod à nonnullis laudatur ex S. Ignatio in Epistola ad Antiochenos, non extat in genuina S. hujus Martyris Epistola; quæ verò *Tom.1. p. 380. n.60.*

ex Liturgia S. Marci, & Can.42. Apostolorum, ex Constitutionibus S. Clementis Lib.8. cap.28. proferuntur, omnium peritorum judicio, vel supposititia sunt, vel Scriptoribus quarti aut quinti sæculi adscribenda.

T.14. Conc. p.862. D.E. De Subdiaconatu duo sunt expendenda: primum, an sit Ordo sacer, ac verum Sacramentum: alterum, quæ sit ejus materia & forma; & quod officium.

An Subdiaconatus sit Ordo sacer, ac verum Sacramentum.

Conferences de Lucon, To.8. p.233. Etsi duo hæc simul in titulo proponamus, non tamen confundi debent, cùm sint distincta. Subdiaconatum ad majores Ordines seu sacros referri à Patribus & sacris Conciliis declarat Conc. Trident. Sess.23. cap.2. Sacramentum tamen esse non affirmat.

Negant esse Sacramentum Habertus in notis ad Pontificale Græcorũ p.48. Goarius in notis ad Euchol. Græc. p. 247. Caballutius in juris Canonici theoria & praxi pag. 330.

Imò non desunt inter Theologos, qui non simpliciter & indefinitè, sed cum quadam limitatione seu restrictione concedunt, Subdiaconatum inter sacros Ordines referri, à tempore scilicet Innocentii III. qui obiit ann. 1216. aut ad summum à tempore Urbani II. qui obiit ann.1099. per duodecim verò priora sæcula minoribus dumtaxat Ordinibus accensitum fuisse existimant. Ita Thomassinus de Disciplina part.1. Lib.2. cap.33. à quo non recedit Morinus Exercitatione 11. cap.1. & seq. Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii, ubi laudat Petrum Cantorem qui Innocentio III. erat coætaneus, vivebat enim ann. 1197. quique in Libro manuscripto de Verbo mirifico Bibliothecæ S. Germani à pratis cap.54. ait, *non ita pridem institutum fuisse ut Subdiaconatus esset Ordo sacer.*

An verò Subdiaconatus sit verum Sacramentum, disputatur in Scholis. Mox citati Theologi negant. *Cùm ego examino, & perpendo,* ait Morinus Exercitatione 11. cap.1. num.3. *antiquiorum Patrum de Subdiaconatu & minoribus Ordinibus testimonia, propositionem illam qua asseritur, & Subdiaconatum, & quatuor minores Ordines non esse Sacramenta, judico tam esse certam & evidentem, ut qui ea consideraverit, ire contra vix possit.* In eamdem sententiam abeunt Scholasticorum princeps Petrus Lombardus L.4. dist. 24. I. L. & quotquot affirmant ab Ecclesia, non autem à Christo institutos Subdiaconos.

Affirmant è contra multi è recentioribus, quamquam candidè & apertè fateantur, rem certam non esse, sed dumtaxat probabilem. Ita Bellarminus de Ordine cap.7. Vasquez disp.238. cap.2. num.14. Isambertus de Sacramento Ordinis disp.2. art.9. Hallerius de sacris electionibus & ordinationibus pag. 423. Estius verò in 4. dist.24. paragr. 14. adeò difficilem & implicatam sensit quæstionem, ut nihil definire ausus sit. His præmissis, sit

CONCLUSIO.

Verisimilius videtur, Subdiaconatum non esse verum Sacramentum, neque semper inter majores ac sacros Ordines relatum fuisse.

Probatur 1. ex silentio Scripturæ, ac Scriptorum Ecclesiasticorum per duo priora sæcula, apud quos de Subdiaconis nulla mentio.

Probatur 2. ex testimoniis Veterum, qui tres dumtaxat majores seu sacros & hierarchicos agnoscunt Ordines, Episcoporum scilicet, Presbyterorum, & Diaconorum. Ita S. Ignatius in Epistola ad Smyrnæos loquens de subor-

subordinatione quæ debet esse inter ministros Ecclesiæ, *Laici*, inquit, *Diaconis subditi sint, Diaconi Presbytero, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri*. In Epistola pariter ad Trallianos, postquam Episcopos, Presbyteros & Diaconos appellavit; *sine his*, pergit, *Ecclesia non vocatur*, quibus verbis innuit hos dumtaxat tres Ordines ad ecclesiasticam pertinere Hierarchiam. Ed. Cotell. p. 915. B. Ibid. pag. 863. C.

Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 30. refert Epistolam Synodicam Concilii Antiocheni adversùs Paulum Samosatenum, quæ dirigitur, ut ipsa fert inscriptio, *Episcopis, Presbyteris ac Diaconis*. Nulla Subdiaconorum mentio, quamquam tunc temporis eorum Ordo institutus foret. Quid ita? quòd major seu sacer & hierarchicus tunc non haberetur Ordo. Pag. 279.

S. Hieronymus in Epistola ad Evangelum seu Evagrium, tres dumtaxat ex Traditione Apostolica Ordines enumerat. *Ut sciamus*, inquit, *traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Ecclesia*. T. 4. p. 2. p. 803.

S. Augustinus in Epistola ad Valerium Hyponensem Episcopum n. 21. aliàs 148. *Nihil est*, inquit, *in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, periculosius, laboriosius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio*. An omisisset Subdiaconi officium, si tunc temporis sacrum fuisset? non puto. Et in Epistola 43. aliàs 162. Diaconos à cæteris Clericis distinguit; è contra Subdiaconos cum inferioribus Ordinibus confundit. *Neque enim*, inquit, *de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris Ordinis Clericis, sed de Collegis* (id est Episcopis) *agebatur*. Tom. 2. p. 25. D. Ibid. pag. 91. F. Ibidem.

Synodus Laodicena Can. 21. sic statuit: *Non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconico, & Dominica vasa contingere*. Atqui si non licebat Subdiaconis locum habere in Diaconico, certè nec in sacrario; siquidem per sacrarium in Diaconicum aditus erat, quod interius cubiculum S. Hieronymus thalamum seu pastophorium, Clemens, Paulinus & alii secretarium vocant, quod certum est intra sacrarium fuisse. Cùm itaque Subdiaconis prohibeat Laodicena Synodus, & stare in Diaconico, & vasa sacra tangere, procul dubio inter majores seu sacros ministros eos non recensebat. Observat hic Balsamon, hoc Canone prohiberi quidem Subdiaconis tangere vasa sacra, quo tempore continent corpus & sanguinem Christi, non verò cùm vacua sunt. *Neque enim dixeris*, ait ille Commentator, *non debere eos sacra vasa tangere, seu sacrum calicem & sacram patenam, cùm sunt inanes: eorum enim ministerium & translatio eis magis convenit*. Tom. 1. Conc. pag. 1511. E. S. Hieron. in Ezechielem 42. Clemens Constit. Lib. 2. Paulinus Epist. 12. Pag. 837.

Idem prohibet Concilium Agathense an. 506. Can. 66. *Quoniam*, inquit, *non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium, quod Græci Diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa sacra*. Tom. 4. Conc. pag. 1394. A.

Mox citata Synodus Laod. Can. 22. de Subdiaconis adhuc sic pronuntiat: *Quòd non oporteat Subdiaconum uti orario, nec ostia derelinquere*. Et Can. 25. *Quòd non oporteat Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere*. Tom. 1. Conc. pag. 1511. E. Ibid. pag. 1512. A.

Probatur 3. Quia verum Sacramentum debet Christum habere auctorem, gratiam producere ex opere, ut ajunt, operato, atque eo ritu conferri qui in Scripturis tamquam necessarius & essentialis refertur, ubi de Ordinatione ministrorum sermo est; impositione scilicet manuum: atqui tria in Subdiaconatu desiderantur.

I. Quæ hactenus laudavimus Veterum testimonia, negant haud dubiè esse

à Chri-

à Christo institutum Subdiaconatum: at id clariùs adhuc demonstrant qui asserunt ab Ecclesia esse institutum, & occasionem hujus institutionis & tempus assignant quo primùm sacris Ordinibus accenseri cœpit.

Amalarius Lib. 2. de Officiis Ecclesiasticis cap. 6. postquam asseruit duos esse in Ecclesia Ordines necessarios, quos S. Paulus appellavit, Presbyterorum nempè ac Diaconorum, hæc addit: *Cæteri Ordines his adjecti sunt, crescente Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum: ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores in adjutorio Præpositorum.* Laudat ibid. auctoritatem S. Ambrosii. *Unde*, pergit, *Ambrosius in Tractatu Epistolæ ad Timoth. Illud verò dictis nostris adjici dignum est, quoniam non convenit demirari, si neque Subdiaconorum, neque Lectorum memoriam Apostolus fecisse videatur: illis etenim gradibus functionum qui in Ecclesia necessariò habentur, isti posteà magis sunt adjecti propter utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros posteà impleri debere necessitas flagitavit. Unde nec Ordinationem ante altare assequuntur, eo quòd nec mysteriis ministrare statuuntur; sed alii quidem eorum, lectionum officium implent, alii verò intra Diaconium illa præparant, quæ ad Diaconi pertinent ministeria &c.* Clariora sunt hæc Amalarii verba, quàm ut expositione indigeant.

Bibliot. PP. Tom. 14. p. 971. A.

Petrus Lombardus Magister Sententiarum dictus Lib. 4. dist. 24. Lib. 1. *Canones*, inquit, *duos tantùm sacros Ordines appellari censent, Diaconatus scilicet & Presbyteratus: quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus .... Subdiaconos verò & Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.*

Hugo à S. Victore Lib. 2. de Sacramentis fidei parte 3. cap. 13. eisdem omninò, quibus Magister, verbis utitur.

S. Thomas in caput 3. Epist. 1. ad Timoth. Lectione 2. *In primitiva Ecclesia*, inquit, *solùm erant tres Ordines.... scilicet Episcoporum, Presbyterorum & ministrorum; & non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno Ordine propter paucitatem ministrorum, & propter novitatem Ecclesiæ.*

Tom. 18. p. 526. col. 2. C.

Cardinalis Bona rerum Liturgicarum Lib. 1. cap. 25. familiari exemplo causam aperit cur varii ab Ecclesia successu temporis sint instituti ministri. *Contigit Ecclesiæ*, inquit, *quod hominibus solet, qui dum tenue patrimonium habent, uno servo contenti sunt, qui solus omnia administrat: si verò reditus augeantur, servorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores & spectabiliores evadunt. Sic Evangelicæ prædicationis initio parvula adhuc & latitans Ecclesia, paucis indiguit Ecclesiasticarum functionum ministris. Crescente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cùm soli Diaconi non possent omnibus incumbere, diversa onera & officia diversis personis distributa sunt &c.*

Pag. 290.

In Concilio Beneventano an. 1031. Urbanus II. sic statuit: *Nullus in Episcopatum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia: Subdiaconos verò, quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ; quod ipsum non sine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia fieri concedimus.* Videtur eo statuto Urbanus S. P. privilegium hoc Subdiaconis concedere: ut in Episcopos assumi possint, *quoniam*, inquit, *altaribus ministrant.*

Grat. dist. 60. cap. 4. p. 301.

Innocentius III. Cap. *A multis. De ætate, & qualitate & ordine præficiendorum*, probare nititur Subdiaconatum ab Urbano II. in sacros Ordines

dines relatum fuisse. *Cùm hodie*, inquit, *Subdiaconatus in sacros Ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. sub his verbis expressit ..... Qui in sacris Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu & Subdiaconatu sunt positi*. Persuasum igitur fuit Innocentio III. Subdiaconatum ab Urbano II. inter sacros Ordines tum primùm annumeratum fuisse; adeoque per duodecim sæcula ad classem Ordinum minorum rejectum fuisse. Decret. p. 270. n. 20.

Sunt tamen inter nostros, qui existimant, Innocentium non satis assecutum esse sensum verborum Urbani, atque non Urbanum, sed Innocentium ipsum omnium primum sacris Ordinibus accensuisse Subdiaconatum, cùm statuit ut absque ulla dispensatione *Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus vel Sacerdos*. Et cap. *Miramur*. *De servis non ordinandis*, idem Innocentius sic rursus statuit: *De Subdiaconali Ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis expressè, videtur nobis quòd & is cum diaconali gradu, privilegio gaudeat eodem. Nam licèt sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen à Constitutione Gregorii atque Urbani secundùm moderna tempora sacer gradus esse minimè dubitatur*. Fatetur hìc iterum Innocentius, in primitiva Ecclesia sacrum non fuisse Subdiaconorum Ordinem; nihilominus à Constitutione Gregorii Magni & Urbani II. dignitatem hanc assecutum fuisse. Quod non ita intelligas, quasi revera à tempore Gregorii Magni sacer habitus fuerit Ordo; sed quòd tunc veluti primus gradus fuerit dignitatis ad quam postea evectus est, cùm nempe S. Gregorius Subdiaconis legem continentiæ ac cælibatus injunxit. Secundus verò gradus fuit, cùm Urbanus jussit, accedente dispensatione Apostolica, Subdiaconum in Episcopum eligi posse, cùm antea nonnisi ex Ordine Presbyterorum & Diaconorum possent assumi Episcopi. Tertius denique gradus fuit, cùm etiam sine dispensatione privilegium istud Subdiaconis concessit Innocentius III. atque ab eo tempore Subdiaconatus constanter inter sacros Ordines relatus est. Videtur id testari Petrus Cantor antea citatus & Innocentio III. coætaneus, cùm scribit, *non ita pridem institutum fuisse, ut Subdiaconatus esset Ordo*.

Thom. disc. p. 1. l. 2. cap. 33.

Decret. p. 297. n. 10.

Tres gradus per quos Subdiaconatus ad dignitatem Ordinis sacri pervenit.

II. Verum Sacramentum debet gratiam producere ex opere operato: at nihil est in Ordinatione Subdiaconi, tum apud Græcos, tum apud Latinos, quod hanc vim & efficaciam arguat. Non dicit Pontifex in ritu Græco, *Divina gratia quæ semper infirma curat, & ea quæ desunt adimplet, promovet hunc in Subdiaconum*; neque in Sanctuario, ut solent majores Ordines, sed extra Sanctuarium Subdiaconos ordinat. In ritu pariter Latino, consueta ac solemnia ista verba, *Accipe Spiritum sanctum*, non pronuntiat Pontifex.

III. Non ordinatur Subdiaconus per manus impositionem, cujus tamen mentionem semper facit Scriptura, ubi de ordinandis sacris ministris. *Subdiaconus cùm ordinatur*, ait Canon 5. Conc. IV. Carthagin. an. 398. *quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi, urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium*. Sacramentarium pariter S. Gregorii, & vetus Ordo Romanus, & hodiernum Pontificale Romanum Subdiacono manus impositionem denegant. Apud Græcos quidem Episcopus manus imponit; sed observat Goarius in notis pag. 247. eam impositionem manus cærimonialem dumtaxat esse, non sacram. Tom. 2. Conc. pag. 1200. A.

Probatur denique, quia momenta quibus adversa sententia nititur, tam infirma videntur & levioris ponderis, ut vix quemquam movere debeant. Patebit ex mox subjicienda Objectionum solutione.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Tom. 1. Conc. pag. 489. E. Objicies 1. S. Clemens Lib. 8. Constitutionum cap. 21. loquens de Subdiaconis, dicit, hanc in eorum Ordinatione fieri orationem, *Tribue eis, Domine, Spiritum sanctum, ut dignè vasa Domini attrectare valeant.* Atqui ubi tribuitur Spiritus sanctus, tribuitur gratia sanctificans.

Resp. Idem antea retulerat de Diaconissis: neque tamen inde concludi potest, eas vero Ordinis Sacramento fuisse initiatas.

Tom. 13. Conc. pag. 528. E. Objicies 2. Postquam Eugenius S. P. in Decreto dixit, Ordinem esse Sacramentum, ejusque materiam & formam exposuit, continenti serie de Subdiaconatu ejusque materia loquitur; ergo censuit, Subdiaconatum esse verum Sacramentum.

Resp. Hoc unum eo in Decreto ad fidem spectare, nempe Ordinem esse Sacramentum: an verò Subdiaconatus sit quoque Sacramentum, nullatenus affirmat S. P. sed cùm sibi proposuisset exponere ritum, seu materiam & formam qua in Ecclesia Romana Ordo confertur, ac dixisset *illud esse materiam Ordinis, per cujus traditionem confertur*; quod generatim dixerat, exemplo singulorum Ordinum subinde exponit explicando uniuscujusque materiam, qualem usurpat Romana Ecclesia, non determinans neque definiens an materia illa esset essentialis an integralis dumtaxat; pariter an singuli Ordines sint Sacramenta, vel non.

Instabis: Affert S. P. illas species Ordinis, ut explicet materiam illius, quod dixit esse Sacramentum; ergo etiam censet illas species esse Sacramenta.

Resp. nego consequentiam. 1. enim sufficit ut sint Ordines, etiamsi non sint Sacramenta; quia in exemplis non requiritur omnimoda similitudo, sed tantùm ut res comparatæ in iis conveniant, secundùm quæ comparantur. 2. ad summum probaretur necesse esse aliquas species Ordinis quæ afferuntur ab Eugenio, esse Sacramenta: at id fatemur ultro de Presbyteratu & Diaconatu. 3. in Concilio Florentino, ubi agebatur de conciliandis Græcis cum Latinis, numquam ipsis objecit Eugenius quòd prætermitterent tres minores Ordines: si tamen ea esse Sacramenta existimasset, hoc ipsis procul dubio objecisset; est enim gravis momenti negligere Sacramenta quæ sunt à Christo instituta.

Objicies 2. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 2. ubi asserit *Subdiaconatum ad majores Ordines à Patribus & sanctis Conciliis referri.*

Resp. 1. Non dicit Concilium, à Christo Domino institutum & inter sacros Ordines relatum.

II. Non dicit Concilium, ab omni ævo relatum fuisse Subdiaconatum inter sacros Ordines à Patribus & Conciliis; sed hoc unum, relatum illum fuisse: & hoc quidem verum est; à tempore enim Urbani II. aut Innocentii III. dignitas Ordinis sacri Subdiaconatui accessit.

Resp. 2. nego consequentiam. Quamquam enim daremus semper in Ecclesia sacrum fuisse Subdiaconatum, rectè tamen inde non efficeres illum verum esse Sacramentum; siquidem sacer dici & haberi potuisset, tum propter ministerium quod sacris altaribus impendunt Subdiaconi; tum propter legem continentiæ quæ ipsis imposita est; tum propter vasa sacra quæ contingere ipsis permittitur.

Instabis 1. Verisimile non videtur voluisse Ecclesiam legem continentiæ

nentiæ Subdiaconatui annexam esse, nisi persuasum habuisset illum esse verum Sacramentum.

Resp. nego consequentiam. Namque 1. Presbyteratus Sacramentum est, & tamen ei apud Græcos annexa non est lex cœlibatus; cùm Presbyteris Græcis, (non improbantibus Latinis) liceat uti suis uxoribus ante Ordinationem ductis. 2. Non semper apud nos hac lege adstricti sunt Subdiaconi, ut infrà dicemus. 3. Professioni religiosæ etiam adjuncta est lex continentiæ: an idcirco Sacramentum dici potest? Igitur lege continentiæ adstringuntur Subdiaconi, non propter Sacramentum quod suscipiunt, sed propter dignitatem status ad quem anhelant.

Instabis 2. Ecclesia Subdiaconis permittit ut tangant vasa sacra; ergo Subdiaconatus est Sacramentum.

Resp. nego consequentiam. Inde solùm concludi potest, esse sacrum Ordinem; quamquam adhuc obliqua nec satis directa videretur consequutio: olim siquidem & ipsi Laici propriis manibus non modò vasa sacra, sed ipsum Christi corpus attrectabant; an ideo Sacramento speciali ad hoc initiati erant? minimè.

Objicies denique: Subdiaconatus imprimit characterem; cùm repeti non possit; ergo est Sacramentum.

Resp. 1. nego ant. Quod enim repeti non possit, non inde est quòd imprimat characterem, sed quia sic statuit Ecclesia, & aliunde quæcumque Deo semel consecrata sunt, semper consecrata remanent. Ita Tonsura Clericalis repeti non potest, non tamen propriè characterem imprimit.

Resp. 2. nego consequentiam: siquidem altarium Ecclesiarum consecratio non repetitur; an idcirco eam Sacramentum esse affirmabis? non puto.

De materia, forma, & officiis Subdiaconatus.

Maldonatus de Ordine cap. 6. ait non eamdem olim, quæ nunc, fuisse cærimoniam, qua ordinabantur Subdiaconi. *Nunc enim*, inquit, *imponit illi Episcopus amictum ad castigandam vocem, & manipulum ad significandum ministerium & bona opera, & albam ad significandum illum esse ascitum in numerum eorum, qui ministrant ad altare, & qui debent servare castitatem. Olim autem neque imponebatur amictus, neque dabatur manipulus, neque induebatur alba, sed porrigebatur illi calix & patena, ad significandum illum debere illa vasa parare ad altare.* Præter illos ritus à Maldonato enumeratos, Episcopus, juxta Romanum Pontificale, tunica induit Subdiaconum, dicens: *Tunica jucunditatis & indumento lætitiæ induat te Dominus.* Postea Librum Epistolarum ipsi tangendum porrigit, dicens: *Accipe Librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quàm pro defunctis.* Initio verò ritus, dum Pontifex tradit calicem vacuum cum patena vacua superposita, hæc dicit: *Videte cujus ministerium vobis traditur. Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Deinde Archidiaconus tradit urceolos cum vino & aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia similiter tangere debent qui ordinantur Subdiaconi. Hi omnes ritus præscribuntur in Pontificali Romano.

Morin. exerc. 12. cap. 1. Pag. 406. C. D.

Conc. Carthagin. IV. Can. 5. de Subdiaconorum Ordinatione hæc habet: *Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.*

Tom. 2. Conc. pag. 1200. A.

Apud

Apud Græcos, ſicut videre eſt in eorum Euchologio pag. 244. ſola manus impoſitione & oratione ordinantur Hypodiaconi: porrectio enim mantilis & vaſis, fit, ut conſtat, poſt completam Ordinationem.

Quæres igitur 1. quo in ritu ſit reponenda materia & forma Subdiaconatus.

Reſp. de materia & forma eſſentiali Subdiaconatus non ita ſcrupuloſè hìc ſtatuendum, ſicut de materia & forma Presbyteratus, & Diaconatus, quia nempe cùm ex dictis Subdiaconatus non ſit verum Sacramentum, ſed Ordo ab Eccleſia inſtitutus, potuit Eccleſia varios ſubinde ritus reddere vel detrahere; atque ſervandi ſunt ii omnes quos illa præſcribit: unde non eſt improbabilis eorum ſententia, qui putant, eos omnes ritus qui in Pontificali Romano deſcribuntur, eſſe partim materiam, partim formam Subdiaconatus. Ita Medina Lib. 1. de continentia cap. 44. cujus ſententia Morino improbabilis non videtur Excitatione 12. cap. 1. num. 4. ſed è contra planè improbat ibid. num. 6. aliorum nonnullorum opinionem, qui hujus Ordinis materiam in ſola Libri Apoſtolici traditione ſitam eſſe volunt; quandoquidem hujuſce ritus nullam mentionem faciunt Concilium Carthaginenſe IV. nec antiqua Ritualia, nec S. Iſidorus in Libris de Eccleſiaſticis Officiis, nec Rabanus Maurus & alii benè multi quos ibidem enumerat Morinus, quorum profectò ſilentium demonſtrat Subdiaconos antiquitus non legiſſe ex officio Epiſtolam in publicis Eccleſiæ conventibus, ſicut disertè teſtantur Amalarius L. 1. de Officiis c. 11. Micrologus c. 8. Stephanus Æduenſis Lib. de Sacramento altaris c. 5. & alii.

Mor. Exerc. 4. 1, 2. c. 2. Quæres 2. quæ ſint Subdiaconorum officia.

Reſp. Hæc in Pontificali Romano recenſeri: aquam ad miniſterium altaris præparare; Diacono miniſtrare; pallas altaris & corporalia abluere; calicem & patenam in uſum ſacrificii Diacono offerre; oblationes *Fidelium* ſuſcipere, & ex iis quantùm ſatis eſt, in altari reponere, ac cavere ne aliquid putridum in ſacrario remaneat; Epiſtolam legere, quod munus olim non exercebant, pertinebat enim ad Ordinem Lectoris: nec etiam ad altare miniſtrabant, ſed intra Sanctuarium Diaconis porrigebant calicem, patenam & oblationes. Citatum antea Concilium Laodicenum Can. 22. innuit Subdiaconis olim injunctam fuiſſe portarum Eccleſiæ cuſtodiam.

In Eccleſia Carthaginenſi Subdiaconorum munus erat Catechumenos Pag. 35. fidei rudimenta edocere, quemadmodum intelligi poteſt ex Epiſtola 24. S. Cypriani, in qua ad Clerum ſcripta teſtatur Optatum à ſe Hypodiaconum factum, doctorem audientium conſtitutum eſſe: per audientes verò Catechumenos intelligit.

In Eccleſia Romana, tempore S. Gregorii Magni, pſalmodia unum erat ex præcipuis Subdiaconorum officiis, ut conſtat ex Lib. 4. Epiſt. 44. & Synodo Romana cap. 88.

Quæres 3. Quænam obligationes contrahantur à Subdiaconis in Ordinatione.

Reſp. tres eſſe. Prima, ut habeant titulum ſive patrimonii, ſive Beneficii; ne ſcilicet rerum terrenarum curis à ſacris miniſteriis diſtrahantur: & quia, inquit Conc. Trid. Seſſ. 21. de reform. c. 2. *non decet eos, qui divino mi-* Tom. 14. Conc. pag. 888. E. *niſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore, mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere*. Secunda eſt caſtitatis & continentiæ, quæ huic Ordini ac ſuperioribus annexa eſt. *Hactenus*, ait Pontifex alloquens ordinandos in Subdiaconos; *liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tran-*

ſire:

sire: quòd si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit à proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuò famulari, & castitatem, illo adjuvante, servare oportebit. Tertia obligatio est recitationis divinorum Officiorum, ad quam ex Ecclesiæ lege seu consuetudine tenentur.

ARTICULUS V.

De minoribus Ordinibus.

QUatuor in Latina Ecclesia sunt minores Ordines, nempe Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii. Hos recenset Conc. Trid. Sess. 23. cap. 2. eorumque & nomina & propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse affirmat. Verba Concilii suprà Qu. 5. initio descripsimus. Et reipsa

Acolythorum mentionem faciunt Cornelius S. P. in Epistola ad Fabium Antiochenum, ubi testatur in Ecclesia Romana ordinari solitos Acolythos quadraginta duos; Sanctus Cyprianus Epistola 55. S. Augustinus Epistola 194. alias 105. quam se per Albinum Acolythum Sixto misisse significat; Innocentius I. Epistola ad Felicem, ubi cavendum ait, *ne citò quilibet Lector, Acolythus fiat*. Concilium Carthaginense IV. Can. 6. de ritu ordinandi Acolythum sic statuit: *Acolythus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiat & urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi*. Assignat his verbis Synodus & materiam & officia Acolythatus. Concinit Pontificale Romanum.

Apud Euseb. p 241.

Tom. 2. Conc. pag. 1200. B.

Exorcistarum meminere Cornelius S. P. jam citata Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Euseb. Lib. 6. c. 43. Concilium Laodicenum Can. 26. & alii benè multi.

Concilium Carthaginense jam citatum Can. 7. sic habet: *Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi Libellum in quo scripti sint exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum*. Eadem ferè leguntur in Pontificali Romano.

Ibid. C.

Lectorum meminerunt S. Cyprianus Epistola 23. ubi ait se ordinasse Aurelium in Lectorem, simulque quod sit ejus officium explicat; Auctor Constitutionum Apostolicarum Lib. 2. cap. 57. Concilium Chalcedonense Can. 13. Sardicense Can. 13. Julianum ante apostasiam fuisse Lectorem in Ecclesia, & post apostasiam, ad instar Ecclesiæ Catholicæ instituisse, ut in Templis Gentilium essent Lectores, notant S. Gregorius Nazianzenus Oratione prima contra illum, Theodoretus Lib. 3. cap. 2. Socrates Lib. 3. cap. 1. Sozomenus Lib. 5. cap. 25.

Concilium Carthaginense Can. 8. *Lector cùm ordinatur*, inquit, *faciat de illo verbum Episcopus ad plebem; indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, & esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverint*.

Ibidem.

Ostiariorum denique meminerunt S. Gregorius Nazianzenus Oratione 18. ubi narrat S. Cyprianum ex Ostiarii gradu ad dignitatem Pastoris evectum fuisse. S. Augustinus Lib. 6. Confessionum cap. 2. refert quòd ab Ostiario prohibita sit mater sua, ne panem & vinum offerret ad Memorias Sanctorum, sicuti mos erat in Africa.

Tom. 1. p. 119.

Con-

Concilium Carthaginense Can. 9. *Ostiarius*, inquit, *cùm ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Qui plura de his Ordinibus inferioribus Veterum testimonia legere voluerit, adeat Hallerium 2. parte de sacris electionibus cap. 1. art. 1. Coccium in thesauro catholico L. 8. art. 4. ubi ferè ea omnia quæ ad rem præsentem afferri solent, in unum coegit.

Ibid. D. p. 963. & seq.

Græci Lectores tantùm habent, non Acolythos, non Exorcistas, nec Ostiarios: unde Innocentius IV. in Litteris ad Episcopum Tusculanum in regno Cypri Legatum, jubet ut Græci deinceps septem Ordines, secundùm normam Ecclesiæ Romanæ, conferant.

Quærunt hìc Theologi, an minores Ordines sint vera Sacramenta: affirmant aliqui, alii verò negant. Ex his quæ de Subdiaconatu diximus antea, facilè intelliges multò verisimiliorem videri nobis sententiam negantem; sunt enim hi ecclesiasticæ institutionis, nec semper iidem & eodem numero habiti sunt: nonnulli enim extiterunt olim qui jam planè desierunt, ut Cantorum, seu Psalmistarum, de quibus Conc. Laodic. cap. 15. & Carthag. IV. Can. 10. Fossariorum qui Laborantes dicebantur, eo quòd in sepeliendis mortuis operam darent, de quibus S. Hieronymus, aut quisquis auctor est Epistolæ ad Rusticum Narbonensem, & S. Epiphanius in expositione fidei; Notariorum, quos Græci Cartophylaces vocant, & qui custodes erant Instrumentorum seu Tabularum Ecclesiæ; Defensorum, Custodum Martyrum. Erant autem illi Martyrum Custodes ita dicti, quòd ipsis custodia Ecclesiarum, seu Cæmeteriorum, ubi sepulta erant Martyrum corpora, concrederetur. Christianorum quippe Ecclesiæ olim Martyria idcirco dicebantur, eo quòd in Martyrum cæmeteriis ædificarentur, altariaque Ecclesiarum super ipsa Martyrum cæmeteria construerentur; unde Martyrium propriè erat Ecclesiæ sanctuarium, in quo erat altare, & subtus altare locus in quo Martyris corpus reconditum erat, in quem locum per aliquot gradus descensus erat: ab eo loco tota Ecclesia synecdochicè Martyrium dicebatur. Apud Latinos, Romæ potissimùm, locus ille Confessio vocabatur, ut Confessio S. Petri, eo quòd SS. Martyres fundendo sanguinem Christi fidem his in locis confessi fuerant. Custos igitur Martyrum dicebatur ille, cui cura istius Martyrii seu Confessionis, altarisque suprà ædificati erat demandata: non quidem ut altare curaret, sanctuariumque ingrederetur, dum celebrabantur mysteria; hoc enim tunc solis Presbyteris & Diaconis licitum erat; sed ut extra illa tempora curationis istius officio fungeretur. Hi porro Ordines, seu hæc officia sub titulo & appellatione Ordinis, jamdiu obsoleta sunt; quomodo igitur Sacramenti veri dignitas, vis & efficacia iis vindicari meritò potest? Plura vide paulò superiùs, ubi de Subdiaconatu.

Mor. Exerc. 11. c. 1. n. 11. p. 196. Qui Martyrum custodes. Quid Martyrium & confessio.

ARTICULUS VI.

De Tonsura clericali.

Thom. L. 2. c. 37. & seq. Mor. Exerc. 15. c. 1. & seq.

QUæres 1. An Tonsura clericalis inter minores Ordines sit recensenda.

Resp. negativè. Namque Conc. Trid. Sess. 23. cap. 2. ait esse *plures ac diversos Ordines ita distributos, ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per*

minores

minores ad majores adscenderent. Supponit igitur Tonsuram clericalem prævIam esse: seu, ut loquitur S. Thomas in Supplemento q. 40. art. 2. esse *præambulum ad Ordinem suscipiendum*. Est igitur Tonsura clericalis, ritus ab Ecclesia instiHall. p. 1061. tutus, quo quis disponitur ac veluti tyrocinium ponit ad vitam clericalem amplectendam, ac suscipiendos Ordines. *Ut enim homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus præparari solent*, ait Catechismus Romanus, *ita tonso capillo Deo dedicantur, & aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur*. Ratio S. Thomæ loco citato est, quod omnis & quilibet verus Ordo confert aliquam potestatem ad aliquod officium: sed Tonsura clericalis nullam propriè confert activam potestatem ad aliquod speciale officium; ergo &c. Adde Græcos separatim ab Ordine Lectoris non conferre Tonsuram.

Quæres 2. quæ sit origo, antiquitas & usus Tonsuræ clericalis.

Resp. 1. Originem hujus Tonsuræ aliquos ducere ab exemplo & imitatione Nazaræorum veteris Legis, de quibus Num. 6. v. 18. dicitur: *Tunc detur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ*. Ita Isidorus de Officiis Ecclesiasticis L. 2. c. 4. Alcuinus de divinis Officiis c. de Tonsura Clericorum, Rabanus Maurus L. 1. c. 3. Hugo à S. Victore L. de Sacramentis p. 3. c. 3. Lombardus L. 4. dist. 24. Alii dicunt in memoriam spineæ coronæ Domini Clericos in coronam attonsos capillos gestare solitos. Ita Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in Theoria rerum ecclesiasticarum, Beda L. 5. Hist. c. 22. Petrus Blesensis in cap. 1. Job. Nonnulli alii Tonsuræ clericalis occasionem repetunt ab exemplo S. Petri, qui in derisionem ad ludibrium à Gentilibus tamquam servus tonsus est, quique jussit ut in memoriam passionis ac spineæ coronæ Christi, Clerici tonderentur, *& infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit*. Ita mox citatus S. Germanus, Beda, Amalarius, & alii.

Hujus Tonsuræ, quæ corona dicitur, quòd in orbem seu circulum duceretur, rationes ac mysteria hæc ab Auctoribus ecclesiasticis proferuntur. 1. *Quia capillorum detonsio*, ait S. Dionysius cap. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *de-* P. 136. B. *clarat puram nullaque figura adumbratam vitam, non fictarum figurarum, aut colorum inductione deformitatem mentis decorantem*. 2. *quia*, ait Isidorus Hispal. L. 2. de officiis c. 4. *Tonsura Clericis signum quoddam est quod in corpore figu-* Pag. 596. *ratur, sed in anima agitur: scilicet ut hoc signo in religione vitia resecentur, &* col. 2. H. *criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus ut comis rudibus enitescamus, expoliantes nos, juxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis &c.* 3. quia sicut qui in servitutem olim redigebantur tonderi solebant, ita qui se Dei famulatui mancipant, in signum tam sanctæ servitutis capillos aut sibi abscindebant, aut abscindi ab aliis curabant. Sic Clodoaldus Clodomiris Francorum Regis filius apud Gregorium Turonensem L. 3. Hist. c. 18. *sibi propria manu capillos incidens Clericus factus est*. Huc P. 125. C. etiam refert antiquorum morem, qui in adoptionibus perficiendis tonsionem capillorum usurpabant. Ita Clericus in partem hæreditatis divinæ per Tonsuram vocatur: unde Pontifex Tonsuram conferens, hæc verba pronuntiat, quæ ex Psal. 15. v. 5. decerpta sunt. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*.

Denique ideo quis per Tonsuram sacro Clericorum Ordini adscribitur, ut discat se ignominias omnes pro Christo, opprobria & ludibria patienti animo tolerare. Inde est quòd in signum crucis abscinditur ab Episcopo capillorum extremitas; fuit verò signum crucis Judæis scandalum, Gentibus autem stultitia. Addunt & istud, coronam gestare Cleri-

eos, ut memores sint Regni cœlestis ad quod anhelare continuò debent.

Resp. 2. Clericos per quatuor priora sæcula in modum coronæ tonsos non habuisse capillos; quia eo signo facilè deprehendi potuissent, & à tyrannis qui Ecclesiam his temporibus persequebantur, morti addici: at verisimile non videtur, voluisse Ecclesiam in tam evidens periculum suos conjicere. Revera in votis semper habuit Ecclesia, ut Clerici breves & ad modestiam compositos capillos gestarent. Ita Conc. Carthag. Tom. 2. IV. Can. 44. prohibet *ne Clericus comam nutriat, aut barbam radat*. Et Con- Concil. p. cilium Agathense cap. 20. *Clerici*, inquit, *qui comam nutriunt, ab Archidia-* 1103. E. *cono, etiamsi noluerint, inviti detondeantur*. Sanctus pariter Hieronymus in Tom. 4. Epistola ad Eustochium, invehitur adversùs Clericos, qui catenatos, Concil. p. 1386. D. mulierum more, crines nutriunt.

Alienum pariter fuit à Clericorum moribus, ut raderentur, quod auctoritate sancti Clementis Alexandrini Lib. 3. Pedagogi cap. 11. comprobare possumus, qui *non novacula*, sed *tonsorum forcipibus Christianos tondendos* P. 185. C. *esse* confirmat. Sed insigne est hanc in rem testimonium Optati Milevitani Donatistas arguentis, quòd Sacerdotibus catholicis per vim capita rasissent. Pag. 42. *Docete*, inquit, *ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus; cùm è contrario tot sint exempla proposita fieri non debere*. n. 23.

Tom. 3. p. 1029. S. pariter Hieronymus Commentario in cap. 44. Ezechielis, *Discimus*, inquit, *nec calvitium novacula esse faciendum; nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur: sed in tantùm capillos esse demittendos, ut operta sit cutis*. Suspicantur aliqui, morem radendi Clericos à Mona- Hall. p. 1064. chis ortum fuisse. Quidquid sit, circularis & in orbem ducta erat Tonsura, non parva & exigua, ut nunc fit, sed maximam capitis partem complectens, ut colligimus ex Concilio Toletano IV. Can. 41. cujus hæc Tom. 5. verba sunt: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso* Concil. p. *superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant: non sicut huc usque* 1716. D. *in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis ut Laici comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent*.

Quæres 3. an primis Ecclesiæ sæculis aliqui forent sola clericali Tonsura insigniti, sine ullo ordine, vel officio.

Resp. negativè, quia vix ullum proferri potest exemplum Clerici, qui nulli officio addictus fuerit. *Cuncti in clericali ministerio constituti*, ait S. Cyprianus Epistola 66. *nonnisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debent*.

Clericos vestibus talaribus, quæ in communi usu erant per tredecim sæcula, usos fuisse; & cùm à Laicis abjectæ sunt, jussos esse Clericos eas deferre, facilè hìc esset demonstrare. Lege ea de re Thomassinum L. 2. de Disciplina c. 43. & seq.

Quæres 4. quæ præviæ conditiones requirantur in eo qui clericali Tonsura initiandus est.

Resp. ea de re sic statuisse Patres Tridentinos Sess. 23. de reform. c. 4. Tom. 14. *Prima Tonsura*, inquiunt, *non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non su-* Concil. p. *sceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant,* 866. E. *& de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*.

Ibid. pag. 867. B. Et cap. 6. de Clerico Tonsura initiato sic statuunt: *Is etiam fori privilegio non gaudeat, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum &*

Ton-

Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel in Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos verfetur.

QUÆSTIO ULTIMA.

De cælibatu, seu perpetua continentia majoribus & sacris Ordinibus annexa.

LEgem continentiæ, qua majores Clerici adstringuntur, considerabimus & in facto, & in jure. In facto primò inquiremus, & quidem pro Ecclesia tum Græca tum Latina; an scilicet lex perpetuæ continentiæ majoribus Clericis imposita, apud Cræcos & Latinos primis temporibus in usu fuerit: deinde hujus legis originem & conditionem expendemus, an sit divina, vel apostolica, vel dumtaxat ecclesiastica.

In tres itaque Articulos præsentem distribuemus controversiam.

Primus erit de lege ac disciplina perpetuæ continentiæ sacrorum ministrorum in Ecclesia Græca.

Secundus, de lege ac disciplina perpetuæ continentiæ sacrorum ministrorum in Ecclesia Latina.

Tertius, de origine legis, quæ sacros ministros perpetua continentia obstringit, an sit divina, an apostolica, vel ecclesiastica dumtaxat.

ARTICULUS PRIMUS.

De lege ac disciplina perpetuæ continentiæ sacrorum ministrorum in Ecclesia Græca.

PEr sacros ministros intelligimus Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos.

Quæstio verò est, utrum antiquitus in Ecclesia Græca illi omnes perpetuam continentiam aut servaverint, aut servare debuerint, ita ut nec uxores post Ordinationem ducere, nec uxoribus ante Ordinationem ductis uti concessum illis fuerit.

Quæstio autem moveri potest, vel de lege aliqua positiva universali, quæ necessitatem imponat, nec sine crimine violari possit: vel de usu ac disciplina, quæ quidem sit ex voto Ecclesiæ ac maximè laudanda, sed tamen libera; quæ si animo pietatis suscipiatur, laudis habet plurimùm, nihil verò criminis si non suscipiatur.

Legem, quæ necessitatem vel ab ipsis Apostolorum temporibus imposuerit, agnoscere videntur Bellarminus de Clericis cap. 18. Arcudius L. 7. Concordiæ cap. 33. Thomassinus de Beneficiis parte 1. L. 2. cap. 60. & seq. *Becanus*
& alii ferè omnes Theologi, qui legem continentiæ sacrorum Ordinum *de Ordine*
ab Apostolis derivatam esse contendunt: unde consequens est ut dicant, *q. 10. & seq.*
graviter peccasse quotquot ex veteribus cum uxoribus ante Ordinationem ductis conjuncti sunt, nisi fortè contraria consuetudine ac longo usu lex illa fuisset aliquibus in locis abrogata, quo casu excusationi locus esset. *Quis enim nescit*, ait Thomassinus citato cap. 60. n. 20. loquens *P. 422.*
de S. Gregorio patre S. Gregorii Nazianzeni, *quando vitiosæ consuetudines, in iis quæ ad æternam legem non pertinent, longo usu convaluerunt, & perdiu toleratæ sunt, in eas viros etiam optimos quandoque abduci?*

E contra Jodocus Clictovæus in propugnaculo de continentia cap. 6. 6. 7. 21. & 22. Claudius Spenceus L. 1. de continentia c. 4. cùm docent licuisse in primitiva Ecclesia sacris hominibus matrimonio ante Ordines contracto uti, legem illam quæ majores Clericos perpetuæ continentiæ addiceret ignorasse aut negasse videntur.

P. 653. Vasquez in 3. partem S. Th. disp. 248. c. 1. docet. 1. *legem continentiæ apud Græcos antiquitus observatam fuisse, utpote ab Apostolis derivatam.* 2. *ante tempora Concilii Nicæni consuetudine contraria in Ecclesia Græca abrogatam fuisse, ita ut absque peccato liceret ministris sacris consuetudinem habere cum uxoribus ante Ordinationem ductis.* Ita pariter sentit Basilius Pontius, de Matrimonio

P. 459. Lib. 7. cap. 23. n. 4. *Ego*, inquit, *existimo, licèt à principio Græcis nec licuerit uti matrimoniis antea contractis, nec nova inire conjugia post Ordinationem; attamen aliam apud eos viguisse consuetudinem, etiam ante tempora Concilii Nicæni*, quam consuetudinem tribus propositionibus ibidem complectitur, ac deinceps nititur demonstrare.

Non moror hic Lutheranos & Calvinistas multis coacervatis exemplis contendere, in primitiva Ecclesia, Græca præsertim, sacris ministris permissas esse uxores; quod argumentum fusè inter cæteros prosequutus est Georgius Calixtus prolixo Tractatu cui titulum fecit, *De conjugio Clericorum*. Francofurti edito ann. 1653. Non, inquam, id moror: caput enim erroris Novatorum in eo versatur potissimùm, tum quòd ecclesiasticam legem de perpetua majorum Clericorum continentia, velut injustam, tyrannicam, verbo Dei ac naturæ ipsi contrariam protervè & inverecundè redarguant; tum quòd etiam post Ordinationem, ministris sacris uxores ducere licitum esse contendant, quod nusquam permisit ecclesiastica Disciplina. An verò fuerit vel non apud Græcos lex aliqua generalis, quæ ministros sacros ab usu & consortio uxorum ante Ordinationem ductarum excluserit, quæstio facti est, ab ipsis orthodoxis Theologis in utramque partem agitata.

Quæ nostra sit de re proposita sententia, sequentibus Conclusionibus aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Solis Diaconis, si in Ordinatione contestarentur non posse se continentiam servare, concessum aliquando fuit uxores post Ordinationem ducere.

Tom. 1. Concil. p. 1467. Probatur ex Conc. Ancyrano an. 314. Can. 9. juxta versionem Dionysii exigui, cujus hæc verba sunt, *Diaconi, quicunque ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quòd eis Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerint, & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt à ministerio cessare debere.*

Diaconi post Ordinationē conjugio copulati, ex Synodo Ancyrana.

Circa quem Canonem hæc observa: 1. Diaconum liberum fieri à servanda continentia, atque post Ordinationem suam uxorem sibi assumere potuisse, si Ordinationis tempore contestatus fuisset velle se conjugio copulari: unde sequitur, nulla, tunc temporis legis necessitate adactos fuisse Diaconos ad continentiam profitendam, sed id eorum libertati relictum, accedente Episcopi licentia. 2. Diaconum, qui in Ordinatione tacuisset, ac continentiam professus fuisset, subjiciendo se impositioni manuum, sibi ademisse

spem

spem omnem conjugii; atque à ministerio suspensum, (aliqui addunt cum Baronio & Binnio, ad laicalem communionem redactum) si postea nuptiis se illigasset. Ex quo duo inferes. Primum, tùm temporis ex usu ac disciplina Ecclesiæ Græcæ, optima quidem, sed tamen libera, à qua dispensare poterat Episcopus, eos qui contestarentur se non posse continere, Diaconos solitos profiteri continentiam : alterum, non irritari à Concilio nec invalidum declarari Matrimonium, quod Diaconus post datam fidem continentiæ, contraxisset; sed una pœna suspensionis à suo ministerio eum castigari. 3. observa, de solis Diaconis loqui Synodum, non de Subdiaconis : quia cùm nondum sacris ministris adscripti essent, nihil de eorum continentia statuere necesse fuit, ad quam inferiores ministri non obligabantur.

Basilius Pontius L. 7. de Matrimonio cap. 23. num. 15. & 24. putat, hoc ipso Canone Ancyrano Presbyteris etiam factam esse licentiam post suam Ordinationem ducendi uxores. Quid enim, si Diaconi illi quibus hæc facultas datur, in Presbyteros promoti, ac interim suis uxoribus, quas in Diaconatu duxerant, orbati fuissent, nonne ob priorem protestationem licuisset ipsis novas celebrare nuptias ? Ita quidem videtur existimasse jam citatus Pontius : at cùm de solis Diaconis loquatur Canon, non videtur hæc licentia ad Presbyteros extendenda, quod ex professo ostendemus in secunda Conclusione.

Baronius ad an. Christi 314. num. 88. Binnius in notis ad citatum Canonem Ancyranum, & alii non pauci contendunt, Synodum loqui de iis qui inviti ac reluctantes ordinabantur : verùm ne verbum quidem habetur in citato Canone de tali violentia.

Consultiùs respondet Arcudius Lib. 6. cap. 37. *Patres illius Concilii eo tempore cum nonnullis Diaconis dispensasse, quòd hoc non sit de jure divino : idque vel propter penuriam ministrorum, vel propter laxiorem indulgentiam*. Exiguus scilicet Catholicorum Christianorum numerus, Ecclesiæ necessitas, ac præclaræ dotes ad obeunda Ecclesiæ ministeria, quæ in aliquibus juvenibus uxoratis eminebant, postulabant, ut illi ad sacra ministeria vocarentur, relicta facultate utendi suis uxoribus, aut de novo eas ducendi, si Ordinationis tempore contestarentur velle se conjugio copulari. *p. 578. col. 2. C.* *p. 772.*

Monet hìc lectorem Balsamon, ne Canonem hunc Ancyranum sequatur, qui à Synodo Quinisexta fuit abrogatus. At Synodus illa Quinisexta septimo duntaxat sæculo celebrata fuit an. 692. ipse verò Balsamon duodecimo scribebat sæculo : Synodus autem Ancyrana an. 314. celebrata fuit, quibus temporibus diversa fuit disciplina.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nusquam licitum fuit in Ecclesia Græca Episcopis & Presbyteris uxores ducere post Ordinationem.

Probatur I. ex L. 6. Constitutionum S. Clementis c. 17. *Post Ordinationem*, inquit, *si uxores non habent, præcipimus ut non liceat amplius ducere; aut si antea duxerint, non alias in Matrimonium accipere, sed potius ea quam haberent cùm ad Ordinationem venerunt, contentos esse*. *Tom. 1. Conc. p. 392. E.*

II. ex Can. 1. Conc. Neocæsariensis an. 314. *Presbyter*, inquit, *si uxorem acceperit, ab Ordine deponatur*. Non irritatur Matrimonium; Ordo igitur non erat his temporibus impedimentum dirimens. *Ibid. p. 1484. D.*

III. ex historia Paphnutii quam narrat Socrates L. 1. Hist. c. 11. cùm enim ille intercessisset ne Patres Nicæni legem ferrent qua sacri ministri ab usu uxorum quas laici duxerant removerentur, dixit *satis esse, ut qui in Clerum* p. 40. A *fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent*. De hac historia erit dicendi locus postea.

IV. Referri huc potest factum Leontii Episcopi Ariani, qui referente Tom. 1. p. 335. n. 26. S. Athanasio in Apologia de fuga sua versùs finem, seipsum execuit, ut liberiùs sine ulla suspicione, quam tamen non declinavit, cum aliqua puella, cui nomen Eustoliam, conversari posset. At si uxorem ducere Episcopis licitum fuisset, non ita in seipsum durus ac crudelis fuisset Leontius; quin potius puellam hanc pleno jure uxorem sibi conjungere potuisset.

V. Extat Justiniani Imperatoris Novella 123. c. 14. (Juris Orient. Tom. 1. p. 493.) quæ sic decernit. *Qui expertem matrimoniis ordinat, interroget eum, an absque legitima uxore vitam castam agere possit. Si hoc facturum se testetur, hominem ordinet. Qui Diacono permittit, ut post Ordinationem ducat uxorem, Episcopatu pellitur. Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, qui post Ordinationem contrahit nuptias, è cætu Cleri ejiciatur. Clericis est permissum ut legitimas habeant uxores. Cantores & Lectores nuptias legitimas contrahere possunt: at Subdiaconi & Diaconi & Presbyteri omnino id facere prohibentur*. Ita Justinianus.

VI. Synodus Quinisexta seu Trullana an. 692. Can. 6. revocat & abrogat licentiam datam Diaconis à Synodo Ancyrana ducendi uxorem post Ordi- Tom. 6. Conc. p. 1144. D. nationem. *Deinceps*, inquit, *nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui Ordinationem contrahere liceat. Si quis autem eorum, qui in Clerum accedunt, velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat*.

Juris Orient. p. 493. Balsamon ad Canonem 6. Trull. & 10. Ancyr. VII. Cùm tempore Leonis Imperatoris cognomento Sapientis ann. 886. abusus irrepsisset, ut qui Matrimonio conjungi volebant, Sacerdotes priùs ordinarentur, & deinde biennium haberent intra quod uxorem sibi deligere possent, abusum repressit Imperator Novella sua tertia. *Neque enim dignum est*, ait, *ut qui spirituali adscensu supra corporis abjectionem & sordes evecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur, sed è diverso, ut divinum ministerium ex corporis sordibus tanquam in altum aliquem gradum conscendat, convenientius fuerit*.

Denique, fatentur Balsamon & Zonaras ad Can. 26. eorum qui Apostolici dicuntur, solis Lectoribus & Cantoribus licitum fuisse post Ordinationem uxores ducere.

Si verò causas rogaveris cur Græci potius Presbyteris permiserint uxores antea ductas retinere, quàm post Ordinationem ducere, qua in re constare sibi non videntur, quandoquidem illis non prohibetur Matrimonium propter actum ipsum contrahendi & ducendi uxorem, qui bonus est ac sacramentalis; sed propter usum Matrimonii qui viros sacros decere non videtur: si, inquam, rationes illas & causas rogaveris, hæ videntur fuisse, 1. quòd difficilius sit abstinere ab usu uxoris jam ductæ, quàm de novo eam ducere. 2. quia necessitas Ecclesiæ ac ministrorum paucitas efficiebat, ut uxorati ad ministerium vocarentur, qui non passi fuissent se ab uxoribus abstrahi; qui verò cœlibes ad Clerum accessissent, ii eo ipso continentiam pro recepta disciplina professi, eam servare tenebantur. 3. quia gravitate sacerdotali indignum videbatur puellæ nuptias ambire, quod juvenilis est ardoris & impetus: unde Concilium Agathense cap. 39. statuit *ut Presbyteri*,

Dia-

Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam aliarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur. Repetitur hæc prohibitio in Concilio Venetico Can. 11. Tom. 4. Conc. p. 1389. E. Ibid. pag. 1056.

TERTIA CONCLUSIO.

Ex usu ac laudabili disciplina sacri ministri ab uxoribus ante Ordinationem ductis antiquitus abstinuerunt apud Græcos, quamquam nulla legis universalis necessitate ad id adstricti videantur.

Duæ sunt Conclusionis partes sigillatim probandæ.

Prima pars probatur

I. ex citato, Conclusione prima, Can. 9. Ancyrano, ubi Diaconi, qui nulla præmissa protestatione manus impositionem perceperunt, continentiam professi, eam servare compelluntur. Erat igitur tunc temporis annexa Diaconatui professio continentiæ, quamquam liberè: si enim contestatus fuisset Diaconus velle se conjugio copulari, permittebatur ipsi, ut vidimus.

II. ex Origene Hom. 23. in Numeros. *Certum est*, inquit, *impediri sacrificium indesinens iis, qui conjugalibus necessitatibus inserviunt: unde videtur mihi illius solius esse offerre sacrificium, qui indesinenti & perpetuæ se devoverit castitati.* Part. 1. p. 163. C.

III. ex Eusebio L. 1. Demonstrationis Evangelicæ cap. 9. *Eos*, inquit, *qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps à commercio uxoris decet.* Decentiam, non legis necessitatem adducit hic Eusebius. P. 33. D.

IV. ex S. Cyrillo Jerosolymitano Catechesi 12. *Ex David igitur*, inquit, *processit Virgo sancta. Decebat sanè purissimum puritatis doctorem, ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Jesum benè fungitur sacerdotio, abstinet à muliere, ipse Jesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset?* Audis Sacerdotes qui benè suo funguntur officio, ab uxoribus abstinere. P. 116. B.

V. ex S. Epiphanio ad hæresim 48. quæ est Cataphrygarum n. 9. Postquam dixit in Ecclesia Catholica virginitatem ac cœlibem vitam prædicari ac castimoniam; & viduitatem coli & approbari, sicut & honestas nuptias, atque Deum delectari quidem cùm quis virginitatem & continentiam servat, sic pergit: *Singulares porro nuptias commendat, cùm sacerdotalia munera & ornamenta cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit: id quod Apostoli deinde Ecclesiastica Sacerdotii regula honestè ac religiosè decreverunt.* Verùm locum hunc propiùs inspicienti videbitur loqui S. Doctorem de secundis dumtaxat nuptiis, quas Apostolico mandato Sacerdotibus illicitas ac prohibitas esse contendit, non verò de usu uxoris ante Ordinationem ductæ. *Quòd si quis*, addit post relata verba, *post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minimè id quidem veritatis regula prohibet, in eo dumtaxat qui Sacerdos non fuerit.* To. 1. p. 410. C. Ibid. D.

Longè disertiùs rem nostram attingit ad hæresim 59. quæ est Catharorum num. 4. his verbis: *Quin eum insuper, qui adhuc in Matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit; sed eum dumtaxat, qui ab* Ibid. pag. 496. B.

unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus. Quod in illis locis præcipuè fit, ubi ecclesiastici Canones accurratè servantur. Deinde sibi objectio-

Ibid. C. nem proponit: *At enim* (inquies;) *nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo, non illud ex Canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac connivere solet, ob nimiam populi multitudinem: cùm scilicet qui ad eas se functiones applicent, facilè non reperiuntur.*

Ex quo S. Doctoris testimonio hæc habes. 1. ipsius ætate, quarto scilicet Ecclesiæ sæculo, non tantùm Diaconos, Presbyteros & Episcopos, sed etiam Subdiaconos à commercio & usu uxorum exclusos fuisse, iis in locis in quibus ecclesiastici vigebant Canones. Per illos verò Canones, non lex quædam universalis intelligenda est, (neque enim ulla hujusmodi proferri potest, quæ ipsos etiam Subdiaconos ad continentiam servandam adegerit) sed disciplina usu recepta, non quidem ubique, sed aliquibus in locis, maximè in Ecclesia Salamina cui præerat S. Epiphanius. 2. Testatur sanctus Doctor contrarium nonnullis in locis usum invaluisse, tùm propter ignaviam hominum, tùm propter paucitatem ministrorum, non ex auctoritate Canonis seu disciplinæ ecclesiasticæ, quæ continentiam hanc in ministris sacris maximè exoptabat, & quantùm fieri poterat exigebat: cujus sanctissimæ disciplinæ rationem ac convenientiam ibidem exponit sanctus Doctor, nempe ne ministri ab oratione & sacro ministerio rebus terrenis

Ibid. occupati avocarentur. *Quoad ipsam*, inquit; *Ecclesiam attinet, ut potè à sancto Spiritu benè ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimùm instituit, ut quæ divino numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur; utique spiritalia omnia officia quàm optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc igitur dico propter subitas functiones atque officia convenire, ut Presbyter ac Diaconus & Episcopus Deo penitus*

1. Cor. 7. v. 5. *vacet. Nam si illis etiam, qui è populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit, ut ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præscribit? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur, quo in spiritualibus secundùm Deum negotiis, in ipso usu Sacerdotii & administratione ferietur.* Hæc S. Epiphanius.

Ibid. pag. 1103. D. Rursus in Expositione fidei n. 21. de ritibus Ecclesiæ agens, *Horum omnium*, inquit, *velut fastigium, & ut ita dicam, matris, ac genitricis locum sanctum sibi sacerdotium vindicat; quod ex virginum ordine præcipuè constat; aut si minùs è virginibus, certè ex Monachis; aut nisi ex Monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei cooptari possint, ex his creari Sacerdotes solent, qui à suis se uxoribus continent, aut secundùm unas nuptias in viduitate versantur. Secundis verò nuptiis implicitus in Ecclesia ad sacerdotium non admittitur, tametsi sese ab uxore contineat, aut sit viduus; ejusmodi, inquam, ab Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi gradu rejicitur. Secundùm hos gradus Lectorum Ordo ex omnibus ordinibus eligi potest; hoc est, è virginibus, Monachis, continentibus, viduis, & iis qui honestis matrimoniis illigantur; imò, si necessitas tulerit, ex illis etiam, qui post uxoris obitum cum altera sese copularunt.* Ita sanctus Epiphanius.

Edit. Comm. p. 1570. VI. ex S. Joanne Chrysostomo Hom. 10. in priorem ad Timoth. cap. 3. Explicans ista verba, *Unius uxoris virum. Si igitur*, inquit, *qui uxorem duxit, sollicitus est quæ sunt mundi; Episcopum autem hujusmodi sollicitudine tangi minimè convenit, quomodo superiùs dixit, unius uxoris virum?* Quem nodum sic solvit sanctus Doctor, *Quia qui uxorem habet, quasi non habentem esse oportet.*

Et Libro 3. de Sacerdotio n. 4. *Idcirco*, inquit, *sacerdotium obeuntem ita*

purum

purum esse decet, ac si in Cœlis inter potestates illas collocatus esset. Et Libro 6. num. 2. ait, quòd si illi qui eremum incolunt, & perpetua portus tranquillitate perfruuntur, ut possint tamen ad Deum accedere puros se ipsos custodiunt; multò magis Sacerdos variis implicatus oneribus, debet animum ab omni fæditate purum habere, ut & ipse ad Deum accedere possit. *Edit. recent. T. 1. p. 382. C. Ibid. p. 422. B.*

VII. ex S. Gregorio Nazianzeno Oratione 40. in S. Baptisma, ubi refellens eorum prætextus qui ad finem vitæ Baptismum differebant, inducit aliquem sic loquentem: *Baptizet me Episcopus.... aut si Presbyter, saltem qui cœlebs sit, qui continentiæ laude atque angelica vivendi ratione floreat*. Erant igitur tunc temporis Sacerdotes continentiæ laude conspicui: quamquam & alios fuisse non cœlibes, non obscurè hoc ipso testimonio innuitur; si quidem volebat ille, quem inducit loquentem sanctus Doctor, à Sacerdote cœlibe ac continente baptizari, hac spe ductus, (quod refellit S. Gregorius) majorem ab ipso gratiam se percepturum. *Verba refert Arcudius L. 7. c. 41. p. 597. T. 1. pag 656. A. B.*

VIII. ex S. Isidoro Pelusiota Lib. 3. Epistola 75. *Si castitas*, inquit, *& pudicitia subditos Sacerdotes creat libido procul dubio ac lascivia Sacerdotibus dignitatem abrogat. Atque hoc quidem leges & Ecclesiastica instituta sanciunt: verùm haud admodum tamen istud fit*. Huc facit exemplum Synesii, qui ut Episcopatum fugeret, ad quem rapiebatur, contestabatur nolle se à sua uxore separari. *Quare*, inquiebat Epist. 105. *hoc omnibus prædico & testor, neque me ab uxore prorsus sejungi velle; neque adulteri instar cum ea clanculum habitare: alterum enim nequaquam pium est, alterum illicitum*. Inde habemus, persuasum tunc temporis (initio quinti sæculi) fuisse, non approbare Ecclesiam ut Episcopi cum suis uxoribus commisceantur; aliàs tanquam legitimum impedimentum suis Ordinatoribus non objecisset Synesius, velle se cum uxore sua cohabitare: qua tamen non obstante protestatione ordinatus fuit, quòd nempe pro ea qua erat pietate & in disciplinam Ecclesiæ observantia, hæc non seriò dicere, (ut & alterum, se nempe non credere futuram corporum resurrectionem) sed ex humili Episcopatus fuga crederetur, legibus Ecclesiæ facilè postea obtemperaturus. *P. 254. C. P. 248. D.*

Denique testem disciplinæ Græcorum hic appellabimus S. Hieronymum inter Græcos diu versatum. Libro adversùs Vigilantium, *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut, si uxores habuerint, mariti esse desistunt?* *T. 4. p. 2. p. 281.*

Dices: Scriptores qui secundo floruere Ecclesiæ sæculo, Justinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, Irenæus, nullibi commemorant hanc Ecclesiæ disciplinam, de qua nos hactenus, cùm tamen idoneum ac pro re nata sæpius locum habuerint. Calumnia scilicet onerabantur illis temporibus Christiani, quòd noctu convenientes eversis lucernis promiscuè congrederentur: eam verò diluit S. Justinus Apologia ad Antoninum Pium, ubi certè locus fuisset ostendere Clericos omni veneri etiam legitimæ renuntiare; tantum abesse ut promiscuam admittant.

Resp. nullius esse ponderis negativum argumentum in re facti, cujus tot positivi aliunde testes producuntur. Neque verò institutum Scriptorum qui laudati sunt, postulabat, ut ministrorum sacrorum continentiam ab uxoribus apud Paganos ventitarent; habebant enim refellendam calumniam effusæ libidinis qua pulsabantur omnes Christiani, hanc verò egregiè refellunt, pudicos ac castos Christianorum mores exponendo, qui tam alieni erant ab illi-

illicita voluptate, ut nequidem secundas nuptias suaderent, ob eam incontinentiæ speciem quam præseferebant.

Secunda pars Conclusionis, nempe nulla legis universalis necessitate adstrictos fuisse in Ecclesia Græca sacros ministros ut ab uxoribus ante Ordinationem ductis abstinerent.

Probatur 1. ex Historia Paphnutii quam refert Socrates L. 1. Hist. cap. 11. Ille scilicet dissuasit Patribus Nicænis ne legem ferrent, qua Episcopos, Presbyteros ac Diaconos compellerent ab uxoribus antea ductis abstinere; sed obtinuit ut unicuique libertas ea in re relinqueretur. Audiatur Socrates loc. cit.

P. 39. D.

Visum erat, inquit, *Episcopis novam legem in Ecclesiam inducere, ut quicunque in sacrum Ordinem allecti essent, idest Episcopi, Presbyteri & Diaconi, ab uxorum, quas cùm Laici essent, matrimonii jure sibi sociaverant, concubitu abstinerent. Cùmque hac re in medium proposita singulorum sententiæ rogarentur, surgens in medio Episcoporum consessu Paphnutius, vehementer vociferatus est, non esse imponendum Clericis & Sacerdotibus grave hoc jugum: honorabiles nuptias & torum immaculatum esse dicens; ne ex nimia severitate damnum potius inferrent Ecclesiæ. Neque enim omnes ferre posse tam districtæ continentiæ disciplinam; ac forsitan inde eventurum esse, ut cujusque uxoris castitas minimè custodiretur. Castitatem autem vocabat congressum viri cum uxore legitima. Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent: non tamen quemquam sejungendum ab ea, quam antehac tunc cùm esset Laicus, legitimè duxisset. Atque hæc dixit, ipse non modò conjugii, sed muliebris congressus penitus expers; quippe qui à puero in Monasterio educatus fuisset, & ob singularem castimoniam ab omnibus celebratus. Cæterùm universus Sacerdotum cœtus Paphnutii sermonibus assensus est. Proinde omissa ejus rei disceptatione, singulorum arbitrio permiserunt, ut ab uxorum consuetudine abstinerent si vellent.* Hactenus Socrates, ex cujus narratione intelligis 1. ante Nicænum Concilium nullam extitisse legem quæ sacros ministros obligaret ad perpetuam continentiam ab uxoribus ante Ordinationem ductis. 2. deliberasse Patres Nicænos de tali lege ferenda, quam utilem & idoneam putabant. 3. ab ea ferenda nihilominus deterritos fuisse intercessione ac gravi oratione Paphnutii; atque unicuique factam esse libertatem aut abstinendi ab uxore ante Ordinationem ducta, vel ea utendi. Eamdem historiam refert Sozomenus L. 1. cap. 23. narrationi Socratis ipsos etiam Subdiaconos adjungens, quos ait eidem legi continentiæ voluisse Nicænum Concilium addicere. *Verùm*, pergit, *nullam ea de re legem tulit; sed in cujusque arbitrio, non autem ex necessitate id esse voluit*. Idem quoque referunt Cassiodorus in Historia tripartita L. 2. cap. 14. Nicephorus L. 8. cap. 19. Gelasius Cyzicenus, de quo mentionem facit Photius codice 15. recensens Acta Concilii Nicæni, quæ è Vaticana Bibliotheca prodierunt, & latinè conversa sunt ab Alfonso Pisano Societatis Jesu Theologo, & à Roberto Balforeo Scoto. Testatur pariter Claudius Spenceus L. 1. de continentia cap. 4. non parum ante medium, in Græco codice Concilii Nicæni nondum typis excuso se hanc historiam inter Acta Concilii legisse.

Sozom. p. 417. D. Turrianus in L. de 6. 7. & 8. Synodo p. 60. Baron. ad ann. 58. num. 21. Bellar. L. 1. de cler. c. 20. Arcud. L. 7. cap. 38. pag. 581. Valesius in notis ad caput

Cùm hanc historiam in erroris sui patrocinium laudasset Calvinus, miro zelo exarsere inter Catholicos Turrianus, Cardinales Baronius & Bellarminus, Arcudius, Valesius, Thomassinus & alii recentiores non pauci, ut totam hanc Socratis narrationem falsi postularent, his potissimùm ducti argumentis. 1. quia de illa siluit Eusebius, siluere & Theodoretus & Rufinus.

2. quia

2. quia inter subscriptiones Concilii Nicæni non legitur Paphnutii nomen. 3. quia Socrates Novatianus fuit, & in multis contra veritatem historiæ peccasse convincitur: v. gr. cùm scripsit L. 5. cap. 21. licuisse etiam suo tempore unicuique celebrare Pascha quando vellet, nec ullam ea de re ab Ecclesia sancitam legem fuisse; quod tamen falsum esse nemo nescit. Pariter cùm scripsit in Romana Ecclesia trium duntaxat hebdomadum jejunium ante festum Paschatis observari, cùm ex S. Leone certum sit solidis diebus quadraginta jejunium Romæ fuisse observatum. Historiam pariter Sozomeni ab Ecclesia Romana non recipi testatur S. Gregorius L. 7. Epistolarum Indictione 15. Epistola 34. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum data. 4. Narrationi Socratis repugnat Canon 3. Concilii Nicæni, qui à consortio sacrorum ministrorum excludit uxores. Repugnant pariter SS. Epiphanius & Hieronymus, qui testantur locis hìc adductis legem ac consuetudinem fuisse apud Græcos, ut qui ad ministerium uxorati accederent, à suis abstinerent uxoribus. En exceptiones quæ adversùs historiam Paphnutii à Socrate & Sozomeno relatam vulgò proferuntur.

11. L. 1. Hist. Socratis, Thom. de disciplina p. 1. L. 2. c. 60. n. 15.

Exceptiones contra historia Paphnutii.

To. 6. p. 883. A.

Verùm hæc aliis parum ad persuadendum momenti ac ponderis habere videntur. Esto ea Paphnutii historia abusus fuerit Calvinus, an idcircò falsi insimulanda? Contendit Hæresiarcha, licitum esse sacris ministris etiam post Ordinationem conjugio copulari: at tota reclamat antiquitas, & hæc ipsamet Paphnutii historia, quæ testatur antiquam esse Ecclesiæ traditionem, ut qui cœlibes ad ministerium veniunt, cœlibes semper permaneant. Turpiter igitur & inverecundè in confirmationem sui erroris trahit Calvinus hanc Paphnutii historiam: quæ verò proposita in contrarium sunt momenta non urgent.

Non primum: Non enim omnes Historici omnia referunt, sed aliqua interdum omittunt, sive ex incuria, sive meditato consilio. Ita Eusebius nihil scripsit de Synodo Nicæna & damnatione hæresis Arianæ; an illico expungenda tota ipsis historia?

Non secundum: Constat enim non satis accuratè referri nomina Episcoporum qui Nicæno Concilio subscripsere; nec benè infertur Paphnutium huic non interfuisse, quòd ejus non legatur subscriptio: testatur enim disertè Rufinus, eum inter Patres sedisse. *Fuit*, inquit L. 1. Hist. cap. 4. *in Nicæno Concilio Paphnutius homo Dei, Episcopus ex Ægypti partibus, Confessor ex illis, quos Maximinus dextris oculis effossis & sinistro poplite succiso ad metalla damnaverat ∴ quem Constantinus in tanta veneratione & affectu habuit, ut sæpiùs eum intra Palatium evocatum complecteretur, & eum oculum, qui in confessione fidei fuerat evulsus, exoscularetur*. Hæc Rufinus.

Non tertium: Esto enim fuerit Socrates Novatianus, quid hoc commune habet cum historia Paphnutii? Arianus fuit Eusebius: an idcircò in suspicionem falsi adducenda tota ab ipso scripta Historia? Non puto. Esto pariter in aliquibus capitibus aberraverit Socrates, sive ex negligentia, sive ex mala fide, num in omnibus ipsi fides detrahenda? Si ita esset, vix ulla nobis superessent historiarum monumenta quibus credere tutò possemus; vix enim ulla est historia, (si sacros ac divinitùs inspiratos exceperis Historicos) cui falsi aliquid aut minùs certi non irrepserit. Historiæ Sozomeni veritatem non in omnibus planè elevat S. Gregorius, sed in iis tantùm quæ Eudoxii Constantinopolitanæ Ecclesiæ invasoris, & Theodoti Mopsuesteni res gestas spectant, sicut patebit integrum S. Pontificis locum legenti.

Non

Non quartum, quod posteà ex professo expendemus.

Probatur 2. Ex Epistola S. Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Pynitum Gnossiorum Episcopum, apud Eusebium Lib.4. c.23. in qua illum admonet, ne, quam meditabatur, perpetuæ continentiæ legem ac necessitatem suis fra-

Pagina 144. C. tribus imponeret. *In eodem volumine*, ait Eusebius, *continetur etiam Epistola ad Gnossios, in qua Pinytum Ecclesiæ illius Episcopum monet, ne grave onus castitatis fratrum cervicibus tamquam necessarium imponat; sed ejus, quæ in plerisque hominibus inest, infirmitatis rationem habeat. Cui Epistolæ respondens posteà Pinytus*, pergit Historicus, *admiratione quidem ac laudibus effert imprimis Dionysium: sed tamen hortatur, ut solidiorem cibum tandem impertiat &c.*

Porrò si tunc temporis publica & communi lege necessariò continentiam servare compulsi fuissent sacri ministri, quomodo hanc ignorasset Dionysius? Quomodo hanc non opposuisset Pinytus ipse; & qua ratione ad sui defensionem non potius Apostolicam sanctionem, quàm illum suum solidiorem cibum & perfectiorem doctrinam protulisset? De ministris autem sacris ad continentiam cogendis cogitasse Pinytum, non verò de omnibus indiscriminatim Fidelibus, (ut aliqui sibi persuadent) certò certius nobis videtur: major enim erat ipsius rerum divinarum peritia, teste eodem Eusebio, quàm ut consilium tam altè supra communes Christianorum vires positum, susciperet, dicente Apostolo, ut *unusquisque propter fornicationem suam uxorem habeat*. 1. Corinth. 7. v. 2.

Probatur 3. Ex Concilio Gangrensi circa ann. Domini 324. Referunt ac damnant hujus Concilii Patres errores Eustathii quos in præfatione his ver-

Tom. 2. Conc. pag. 414. bis exponunt: *Nullus in conjugali positus gradu spem habet apud Deum .... Traditiones ecclesiasticæ & eæ quæ in Ecclesiis aguntur, debent contemni .... Communibus vestibus spretis novi & insoliti habitus assumi possunt, & à mulieribus virilis vestis indui .... Jejunia contemnenda sunt. Cibi carnium tamquam illiciti rejiciendi .... In domibus conjugatorum nec orationes quidem celebrandæ sunt; & oblationibus, quæ in domibus factæ fuerint, non communicandum .... Presbyteri qui matrimonia contraxerunt spernendi sunt, nec Sacramenta quæ ab eis conficiuntur attingi &c.*

Canone verò 4. juxta versionem Isidori Mercatoris, quam sequuntur Burchardus Lib.3. cap.75. & Gratianus dist. 28. Can.25. sic pronuntiant:

Ibid. pag. 415. C. *Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tamquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo se abstinet; anathema sit.* Habemus eo in Canone aliquos Presbyteros conjugatos quos aversabantur Eustathiani, qui idcircò à Synodo anathemate damnantur. Existimat Bellarmi-

Lib. 1. de Clericis cap. 21. nus, Eustathianos ab hujusmodi Presbyteris se separasse, propter uxores quas habuerant, non propter illas quas haberent, etiamsi cum illis non commiscerentur. Ratio ipsi est, tum quia existimabant illi Hæretici Matrimonium esse per se malum; tum quia juxta versionem Dionysii exigui & Gentiani Herveti sic legi debet Canon, *Quicumque discernit*, (aut se separat) *à Presbytero qui uxorem habuit*, non verò *qui uxorem habet*. Verùm vox græca γεγαμηκὼς generatim significat uxoratum seu conjugatum, sive uxorem habuerit, sive adhuc habeat; quo sensu ea utitur Apostolus 1. Cor.7. v.10. cùm ait: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt*, (græcè γεγαμηκόσι) *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere*. Et certè Eustathiani damnabant nuptias propter actum seu usum conjugii; idcircò igitur rejiciebant Presbyteros conjugatos, quòd suis uterentur uxoribus.

P. 338. E. Probatur 4. Ex S. Clemente Alexandrino L.3. Stromatum. *Quin*, inquit,

& unius

& unius quoque uxoris virum utique admittit (Apostolus,) *seu sit Presbyter, seu Diaconus, seu Laicus utens Matrimonio citra reprehensionem: servabitur autem per filiorum procreationem*. Agnoscit hic S.Doctor, sub finem secundi sæculi Presbyteros & Diaconos sine reprehensione Matrimonio utentes: non erat igitur lex aliqua generalis quæ tunc temporis perpetuam continentiam majoribus Clericis necessariò imponeret; aliàs non sine reprehensione Matrimonio usi illi fuissent.

Probatur 5. ex citatis antea SS. Epiphanio, Gregorio Nazianzeno, Isidoro Pelusiota & Eusebio. Iste enim non ad legis necessitatem, sed ad decentiam dumtaxat provocat, cùm de continentia sacrorum ministrorum loquitur: S. verò Epiphanius & alii non dissimulant aliquibus in locis Clericos cum suis uxoribus convivere & liberis operam dare; & huic consuetudini connivere Ecclesiam, propter ministrorum penuriam ac populorum multitudinem: unde concludimus, si quæ fuit in contrarium lex aut disciplina, eam particularem fuisse, non generalem.

Confirmatur testimonio Socratis L.5. Hist. c.22. ubi varios Ecclesiarum ritus enumerans, testatur in Thessalia non licuisse quidem Clerico cum sua uxore ante Ordinationē ducta dormire; in Oriente verò Presbyteros, imò & Episcopos, nulla lege coactos fuisse ad perpetuam continentiam servandam, sed non paucos etiam in Episcopatu liberos ex uxore legitima suscepisse. En verba Historici: *Aliam quoque consuetudinem in Thessalia esse cognovi. Clericus ibi promotus, si post Clericatum dormierit cum uxore quam ante Clericatum legitimo matrimonio sibi copulaverat, abdicatur: cùm in Oriente sua sponte, etiam Episcopi ab uxoribus abstineant, nulla tamen lege aut necessitate constricti id faciant. Multi enim illorum, Episcopatus etiam sui tempore liberos ex legitimo conjugio susceperunt. Hujus porrò in Thessalia consuetudinis auctor fuit Heliodorus, Tricæ, quæ ejus regionis Urbs est, Episcopus: cujus nomine circumferuntur amatorii Libri quos ille dum juvenis esset, composuit, & Æthiopicos inscripsit. Eadem consuetudo Thessalonicæ, & in Macedonia atque Achaja observatur*. Hæc Socrates, quibus nihil potuit disertius & expressius proferre in probationem nostræ Conclusionis. P. 287. C.

His verò ita suppositis, non esset quòd obstupesceres & quasi ad grande crimen reclamares, si tibi vetera monumenta percurrenti nonnulli occurrerent Episcopi, sanctitatis fama aliunde conspicui, qui ex legitima uxore prolem suscepissent: neque propterea velut infractores legis, quæ continentiam juberet, traducendi forent ac damnandi, sed potius apud te reputandum, vel nullam extitisse legem hujusmodi in iis quibus præerant Ecclesiis; vel usu & consuetudine contraria fuisse abrogatam: vel denique arbitrio & libertati uniuscujusque permissam fuisse.

Atque ea ratione nonnulli admittunt & explicant exemplum S.Gregorii Senioris, qui (ut ipsis videtur) post adeptum Episcopatum, filium suum Gregorium, posteà Episcopum Nazianzenum, suscepit ex legitima uxore quam antea duxerat: sic enim in carmine de vita sua refert ipsemet Gregorius Nazianzenus, ubi Patrem suum ad seipsum sic loquentem inducit.

Nondum tot anni vitæ totius tuæ,
Quot in sacris mihi sunt peracti victimis.

Seu, ut alii ad litteram vertunt,

Nondum tantam emensus es vitam
Quantum præteriit mihi sacrificiorum tempus.

Exercuit illorum versuum interpretatio viros litteratos: inde nonnulli inferunt Gregorium genuisse filium cùm sacris victimis operam daret, hoc est

Pre-

Presbyteri & Episcopi functiones obiret. Ita exemplum istud exponi posse, non diffitetur ipse Thomassinus, de Disciplina p. 1. L. 2. c. 60. n. 19.

Verùm repugnat, nec immeritò, multò major Theologorum pars, qui exemplum hoc sanctissimi Episcopi Hæreticis continentiæ infensis eripere nituntur.

Baronius imprimis ad an. Christi 371. nu. 103. ne cogatur fateri S. Gregorium tam ignominiosè leges ecclesiasticas circa Clericorum continentiam proculcasse, contendit eum hyperbolicè loquutum fuisse; ac revera natum Gregorium Nazianzenum ex patre nondum Episcopo, imò nondum baptizato: quod quidem subducta temporum ratione ibidem demonstrat.

Tom. 4. p. 306.

Ibid. A. *Revocemus itaque orationem*, inquit, *ad ipsius Gregorii junioris ætatis annos; ut ex his, ratione numeri rectè subducta, intelligere valeamus, ipsum non solùm ante parentis Episcopatum natum esse, sed etiam antequam ille fieret Christianus. Testatur namque ipse de se, cùm Athenis esset unà cum Basilio, se fuisse ætatis annorum triginta, ait enim,*

Nam tempus ingens fluxerat jam in Litteris,
Triginta & annos penè tunc exegeram.

Erat autem id tempus, quando Julianus apostata (ut idem Gregorius tradit) Athenas se contulit, nempe Consulibus Constantio septimum, & Gallo tertium: est is annus Domini trecentesimus quinquagesimus quartus ∴ Quòd si tunc erat Gregorius annos triginta natus, fateri oportet, natalem ejus contigisse anno Domini trecentesimo vigesimo quarto, nempe anno ante Concilium Nicænum, quo tempore Gregorius parens adhuc erat ethnicus, quem baptizatum fuisse idem Gregorius minor scribit eo tempore, quo celebratum est Concilium Nicænum, nempe anno trecentesimo vigesimo quinto. Quanto autem tempore vixerit laicus, antequam initiaretur sacris Ordinibus, vel posteà eligeretur Episcopus, ignoratur: ut planè intelligas, longè abesse, ut parente Episcopo ipse Gregorius nasceretur. Hæc Baronius.

Dicunt alii, S. Gregorium Athenis discessisse ipso trigesimo ætatis suæ anno, qui erat à Christo nato 355. aut 356. unde inferunt S. Doctorem natum fuisse an. 325. aut 326. tribus scilicet aut quatuor annis ante Episcopatum patris sui, & ipso anno quo baptizatus fuit, vel saltem immediatè sequenti. Hyperbolem verò Gregorii patris filium alloquentis pro recepto loquendi more intelligi volunt, non de tempore præcedente nativitatem, sed de prima filii sui infantia, tum cùm vix nati dicuntur infantes, quòd usu rerum & rationis careant. Sensus igitur S. Gregorii patris iste est, O chare fili, vix natus eras, & in prima adhuc versabaris infantia (natus scilicet annos tres vel quatuor) cùm ego ad Episcopatum vocatus sacris operam dabam.

Placet aliis citatos S. Gregorii versus absque hyperbole, sed nativo ac litterali sensu interpretari, non quidem de sacrificiis, quorum minister fuerit ipse Grerorius parens, Sacerdos vel Episcopus factus: neque enim ait, ut falsò supponitur, se sacrificia obtulisse aut perfecisse; sed quorum particeps factus est post acceptum Baptismum. Est igitur hic S. Gregorii senioris filium alloquentis sensus, O dilecte fili, obsecrat tuus pater senex juvenem: nondum tot annos vitæ habes, quot ego sacrificiorum, quorum nempe factus sum particeps, ex quo ad fidem Christianam per Baptismum vocatus sum. Cum hac interpretatione rectè cohæret Baronii sententia, natum scilicet Gregorium filium à patre nondum baptizato: sive enim annus ille trigesimus, quem se attigisse narrat Gregorius filius dum Athenis versaretur, vitæ fuerit, sive studii Athenis peracti, perinde est aut rem nostram; imò si dixeris annos

stu-

ſtudii fuiſſe, (ut non improbabile nonnullis videtur) neceſſe erit natalem Gregorii filii rejicere ad annum octavum aut nonum antequam ejus parens baptizaretur: annos ſcilicet octo vel novem natus Gregorius Athenas ſtudii cauſa miſſus eſt, ubi per annos triginta Litteris operam dedit, ipſumque Julianum apoſtatam cognovit.

Sunt & alia nonnulla exempla Epiſcoporum qui poſt Epiſcopatum filios ex uxoribus legitimis habuiſſe referuntur à Centuriatoribus, & eorum expilatore Calixto; nempè Chæremonis Epiſcopi, de quo Euſebius L.6. c.34. Diaconi cujuſdam qui uxorem habuit, & cujus meminit S.Irenæus L.1. c.9. Philoromi, de quo Euſebius L.8. c.9. Spiridionis, de quo Sozomenus L. 1. cap.11. Gregorii Nyſſeni qui fatetur ſe virginitatis laudem non habere; Syneſii, qui conteſtatus fuit velle ſe cum uxore permanere. S. Athanaſius Epiſtola ad Dracontium Monachum ait, ſe noſſe Epiſcopos filiorum patres.

Verùm exempla hæc adverſarios non juvant, neque ſatis expreſſa & clara videntur. Oſtendunt equidem Epiſcopos nonnullos alioſque ſacros miniſtros ſuas poſt Ordinationem uxores retinuiſſe, quas antè duxerant: at non oſtendunt illis uſos fuiſſe ad opus conjugale; neque enim id aſſerunt auctores mox citati.

S.Athanaſius revera dicit ſe noſſe Epiſcopos filiorum patres: at non ait in Epiſcopatu ſuſceptos filios. Gregorius Nyſſenus cùm fuerit ante Ordinationem Matrimonio conjunctus, non immeritò ait ſe virginitatis laudem non habere; non ait verò ſe poſt Epiſcopatum liberis procreandis vacaſſe. Syneſius, ut fugeret Epiſcopatum, revera conteſtatus eſt nolle ſe ſeparari à ſua uxore; at cum ea carnis conſuetudinem habuiſſe, nullibi apparet.

Nec pariter ſatis firmum videtur nobis argumentum eorum qui colligunt univerſim jure Matrimonii uſos fuiſſe Epiſcopos & Presbyteros conjugatos, eò quòd ſuas ſecum contubernales uxores retinuerint, nec ab illis diſcedere juſſi primis temporibus fuerint; quaſi hæc duo ſtare ſimul ac conciliari non poſſent, conjugatos miniſtros cum uxoribus ante Ordinationem ductis convivere & cohabitare, & continentiam tamen ſervare. Ita certè eſt; uxores tamquam ſorores habebant, iiſque utebantur ad curam rei familiaris & domeſticæ, ad ſolatium & ſocietatem vitæ, non ad carnalem voluptatem. *Quot ſunt*, inquiebat Tertullianus L. 1. ad uxorem c. 6. *qui ſtatim a lavacro carnem ſuam obſignant? Quot qui conſenſu pari inter ſe matrimonii debitum tollunt?* S. item Gregorius Magnus L.1. Regiſtri Epiſt.82. aliàs 50. Indictione 9. *permittit Sacerdotibus qui in Corſica commorantur, habere ſecum matrem, ſororem vel uxorem, quæ caſtè regenda eſt*, inquit. Cohabitatio igitur & contubernium viri & uxoris, non ſemper certum eſt violatæ continentiæ argumentum: quamquam ad omnem ſuſpicionem evitandam, prior diſciplina, quæ cohabitationem hanc permittebat, ſubinde mutata fuit, atque compulſi Clerici conjugati uxores à domo ſua amandare & ſeparatim ab iis habitare, ut patet ex Concilio Toletano poſteà referendo.

P. 164. D.

To. 2. p. 546. C.

Probatur denique noſtra Concluſio teſtimonio Balſamonis & Zonaræ, qui Commentariis in Can. 5. eorum qui Apoſtolici dicuntur, teſtantur licitum fuiſſe Epiſcopis ante Trullanam Synodum, quæ licentiam hanc ſuſtulit, habere uxores, etiam poſt dignitatem Epiſcopalem. Ante Canonem Trullanum revera Juſtinianus Novella ſua 123. prohibuerat ne ordinarentur Epiſcopi qui uxores & liberos haberent; ſed obſervat Balſamon ad Can. 48. Trullanum, exoleviſſe Conſtitutionem hanc, & per Novellam ſecundam Leo-

Leonis Philosophi abrogatam fuisse, qua nimirum permittit in Episcopos assumi qui digni fuerint, etsi uxores & liberos haberent.

Dices 1. Can. 3. Concilii Nicæni generalis primi omninò prohibet ne Clerici secum uxores habeant, legem itaque perpetuæ continentiæ ipsis injunxit. En verba Canonis: *Interdicit per omnia magna Synodus, non* T.2.Conc. p.40. B. *Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero est, licere sibi suam introductam habere mulierem; nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas quæ suspicionem effugiunt.*

Resp. nego antec. Ad probationem, ex ipso Canonis citati textu patet Concilium à contubernio Clericorum excludere tantùm subintroductas, seu externas mulieres, quæ suspectæ esse possunt: at uxores legitimæ nusquam subintroductæ aut externæ dictæ sunt, aut pro suspectis habitæ. Voluit scilicet Synodus reprimere abusum Clericorum, qui cùm legitimas non haberent uxores, externas, focarias, ac dilectas subintroducebant in domum suam, unde veniebant in suspicionem gravissimam fornicationis. Hunc esse Canonis sensum, patet 1. ex Conciliis Nicæno posterioribus, quæ ejusmodi subintroductas mulieres à consortio Clericorum excludunt, ut Carthaginense I. Can. 3. alterum Carthaginense sub Aurelio Can. 17. Carthaginense IV. Can.46. Arvernense Can.16. Agathense Can.10. Turonense I. Can.3. Turonense II. Can. 10. & alia benè multa.

Patet 2. ex Epistola synodica Concilii Antiocheni adversùs Paulum T.1.Conc. p.896.A Edit.vet. Samosatenum, ubi ipsi exprobrant Patres, *quòd subintroductas haberet mulieres;* unde plurimum nascebatur scandalum.

Tom.2. p. 985. Patet 3. ex S. Basilio in Epistola ad Paregorium Presbyterum, qui jubet ut mulierem subintroductam, quam habebat in obsequiis, è domo ejiceret, & ad evitandam omnem offensionem, virorum ministerio uteretur.

Patet 4. ex S. Epiphanio hæresi 67. ubi de Hieracithis nuptias damnantibus Tom.1. p. 716. C. hæc habet: *Cæterùm ridiculi vel maximè Hieracithæ sunt, ob adscititias illas & introductas feminas, quas cùm apud sese habeant, ad quotidianum dumtaxat mi-* Ibidem p. 521. C. *nisterium eas se adhibere gloriantur.* Et hæresi 63. de Origenianis, postquam narravit detestanda eorum scelera, ait ipsos accusare Catholicos, *qui Dilectas, quas vocant, & Conturbernales feminas adsciscunt.*

Patet 5. ex S. Hieronymo Epistola 18. aliàs 22. ad Eustochium ubi has Agapetas, quas Nicæni Patres subintroductas mulieres vocarunt, idest in locum matrum, sororum aut filiarum ascitas & quasi adoptatas, disertè ab uxori- To.4. p.2. pag. 33. bus distinguit. *Unde,* inquit, *in Ecclesia Agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imò unde novum concubinarum genus? Plùs inferam, Unde meretrices univiræ? Eadem domo, uno cubiculo, sæpè uno tenentur & lectulo; & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimamus.*

Patet 6. quia Canon jubet à Clericis separari mulieres subintroductas: atqui ea ætate nulla lege tenebantur Clerici conjugati à suis separari ac T.1.Conc. p.26. D. domicilio sejungi uxoribus. Imò Can. 5. Apostolicus eum *ab officio segregat Episcopum aut Presbyterum, qui obtentu Religionis uxorem propriam abjecerit.* T.4.Conc. p.1011.D Et Can. 3. Concil. II. Arelatensis permittit Clericis *in solatio habere mu-* T.5.Conc. p.855.C. *lierem aviam, matrem, sororem, filiam, neptem vel conversam uxorem.* Et Concilium Turonense II. Can.12. *Episcopus,* inquit, *conjugem ut sororem habeat, & ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam ecclesiasticam, quàm propriam, ut nulla de eo suspicio consurgat.*

Patet denique, quia citatus Canon prohibet omnibus & singulis Clericis

etiam

etiam inferioribus, *Omni qui in Clero est*, ait, ne subintroductas habeant mulieres: at uxores legitimæ per introductas mulieres nequaquam possunt intelligi, nusquam enim inferioribus Clericis prohibitum fuit uxores habere.

At, inquies, si Synodus uxores non exclusas voluit, quare eas non appellavit matrem, sororem, amitam?

Resp. Quia necesse non erat; eo enim ipso quòd uxores non sunt subintroductæ mulieres, neque suspectæ, necesse non fuit eas distinctè appellari.

Dices 2. SS. Epiphanius & Hieronymus antea citati, agnoscunt Canone seu lege publica sacris ministris injunctam fuisse perpetuam continentiam.

Resp. 1. S. Epiphanii testimonium plùs æquo probare, nempè Subdiaconos ipsos legi perpetuæ continentiæ addictos tunc universim fuisse, quod certè ab Historiæ veritate videtur alienum.

II. Per Canonem seu legem apud S. Epiphanium non intelligenda est lex universalis, sed disciplina, quæ multis in locis obtineret, non ex necessitate, sed animo pietatis, nulla enim proferri potest lex hujuscemodi universalis.

III. Cùm SS. Epiphanius & Hieronymus octoginta circiter annis à Concilio Nicæno remoti sint, quo temporis intervallo mutari potuit disciplina, ex eorum testimoniis certè colligi non potest, sacrorum ministrorum continentiam aliquo Canone fuisse præceptam in Ecclesia universa, sed tantùm eorum ætate in usu plurimùm fuisse, in iis præsertim locis ubi degebant.

Dices 3. Qua ratione Synesius antea laudatus, ut Episcopatus pondus effugeret, contestatus fuisset nolle se à sua uxore separari, nisi lex fuisset Ecclesiæ ut Episcopi abstinerent ab uxoribus ante Ordinationem ductis?

Resp. Inde dumtaxat colligi posse, viguisse in Ecclesia Cyrenensi, cui præfectus fuit Synesius, disciplinam quæ ab Episcopis continentiam exigebat; non verò illius generalem fuisse in Ecclesia Catholica legem ac necessitatem.

QUARTA CONCLUSIO.

Post statutum Concilii Quinisexti an. 692. Græcis Episcopis licitum non est uxores ante Ordinationem ductas retinere, cum iis cohabitare aut habere consuetudinem.

Probatur 1. Ex Can. 12. Concilii jam citati, cujus hæc verba sunt: *Ad nostram cognitionem pervenit, quòd in Africa & Lybia & aliis locis, quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Præsules cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit Ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum offerentes. Cùm itaque studium nostrum in eo magnopere laboret ut omnia ad gregis in manus nostras traditi nobisque commissi utilitatem fiant, nobis visum est, ut nihil ejusmodi deinceps ullo modo fiat. Hoc autem dicimus, non ad ea abolenda & evertenda quæ apostolicè antea constituta sunt, sed populorum salutis & ad meliora progressionis curam gerentes, & ne status Ecclesiasticus ullo probro afficiatur.... Si quis autem tale quid agere deprehensus fuerit, deponatur.* Tom. 6. Conc. p. 1148. A.

Tria continet hic Canon. 1. Supponit, in Africa & Lybia Episcopos cum suis uxoribus ante Ordinationem ductis cohabitasse ac conjunctos fuisse; quod certè de Africanis Episcopis difficile est affirmare, cùm tot essent in contrarium editi à Conciliis Africanis Canones. 2. Legem sancit, & quidē optimam, ne imposterum Episcopi contubernales habeant suas uxores. 3. Insinuat aliter antea apostolicè statutum fuisse: *Non hoc dicimus*, ajunt Patres, *ad ea abolenda aut evertenda*

tenda quæ apostolicè antea constituta sunt; quasi lex fuerit apostolica qua jussi fuerint Episcopi cum suis uxoribus cohabitare, qualis certè nusquam extitit.

Ibid. pag. 1165. Rursus Can. 48. sic statuitur: *Uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu priùs separata, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus (seu Diaconissæ) dignitatem evehatur.* Per Novellam Isaaci Angeli Imperatoris confirmatus fuit iste Canon, ac uxores eorum qui in Episcopos assumuntur tonderi ac Monasterio includi jussæ sunt.

Juris Orientalis pag. 175.

Jam antea Justinianus Imperator indemnitati rerum Ecclesiasticarum consultum cupiens, Episcopum & uxore, & liberis carere voluit Novella 123. *Jubemus*, inquit, *ut si Episcopus ordinandus sit, conveniant Clerici, & in illa civitate primi, ut super tribus personis decreta faciant, & unusquisque manu sua subscribat, quòd neque pretio, neque pollicitatione, neque amicitia aut gratia, aut alio quovis affectu inducti sint, sed compertum habeant ipsos rectæ & Catholicæ fidei, vitæque inculpatæ, & jam trigesimum annum supergressos esse; scireque se quòd neque uxorem neque liberos habeant, neque pellicem aut liberos naturales; sed si quis ex ipsis priùs uxorem habuit, eam unicam fuisse, eamque nec viduam, neque à viro dimissam.* Hæc Justinianus longè ante Canonem Trullanum. Quamdiu viguerit illa lex, incertum. Balsamon ad Can. 48. Trullanum, ait eam jamdiu exolevisse; è contra obtinuisse Constitutionem Leonis Sapientis, qui permittit ordinari in Episcopos eos qui digni fuerint, etsi uxores & liberos haberent, modò tamen, juxta Canonem Trullanum, separati viverent ab uxoribus. A tempore igitur Synodi Trullanæ nemo à Græcis ad Episcopatum assumitur, qui uxorem habeat; sed Religiosus tantùm castitatem professus, vel qui castitatem perpetuam servat: quod quidem accuratè observari, testatur Vasquez se cùm Romæ esset à Græcis fide dignis accepisse: in 3. part. disput. 248. cap. 1.

Juris Oriental. Tom. 2. p. 93.

QUINTA CONCLUSIO.

Lege per Concilium Quinisextum confirmata licitum est apud Græcos, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis retinere uxores legitimas ante Ordinationem ductas, & omni jure conjugali uti.

Tom. 6. Conc pag. 1148. B. C. Probatur ex Can. 13. Trullano. *Quoniam*, inquiunt Patres, *Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum, vel Presbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos; nos antiquum Canonem apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se à legitima uxore consuetudine abstenturum; ne ex eo à Deo constitutas & sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, Evangelica voce exclamante, Quæ Deus conjunxit, homo non separet: & Apostolo docente, honorabiles nuptias & torum immaculatum: &, Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem.* Deinde jubent, ut quo tempore offerre debent Sacerdotes, & alii ministri altari inservire, abstineant ab uxoribus.

Matt. 19. Hebr. 13. 1. Cor. 7.

Eo Ca-

Eo Canone, qui apud Græcos etiamnum viget, agnoſcunt, & improbant Patres Trullani legem Romanæ Eccleſiæ de perpetua majorum Clericorum continentia, & ipſi contrariam ferunt; iiſque malè providi confirmant Scripturæ teſtimoniis quæ adversùs continentiam Epiſcoporum ab ipſiſmet can. 12. imperatam, retorqueri facilè poſſunt, ſicut attendenti patebit.

Hæc autem excogitari poteſt ratio diſcriminis quod inter Epiſcopos alioſque ſacros miniſtros, quoad continentiam, Græci ſtatuunt, quòd nempè cùm apud illos Epiſcopi fere ſoli Sacra perficiant, Presbyteri autem rarò, æquum ipſis viſum eſt Epiſcopos ad perpetuam obſtringere continentiam, non verò Presbyteros, niſi quo tempore Sacris operam dare volunt: ſed quidquid ſit de hac hujus diſcriminis cauſa & ratione.

Quæres, an Græci Presbyteri licitè ac tuta conſcientia legitimis uxoribus ante Ordinationem ductis utantur.

Reſp. affimativè. Cùm enim lex illa continentiæ Eccleſiaſtica dumtaxat ſit, ea non tenetur, qui non reclamante Eccleſia univerſa, eam non acceptarunt, nec ipſi ſeſe ſubjecerunt: ſic autem rem eſſe apud Græcos declarant SS. Pontifices.

Stephanus III. Can. *Aliter* diſt. 31. *Aliter*, inquit, *ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum; aliter hujus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi matrimonio copulantur; iſtius autem Eccleſiæ vel Occidentalium, nullus Sacerdotum à Subdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi.* Decret. Grat. p. 154.

Innocentius III. cap. *Cùm olim. De Clericis conjugatis*. Achierontio Archiepiſcopo quærenti an filius Sacerdotis Græci ad Epiſcopatum Anglorienſem promoveri poſſet, ad quem fuerat ab Anglorienſibus Canonicis electus, ſic reſpondit: *Nos igitur attendentes quòd Orientalis Eccleſia votum continentiæ non admiſit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in ſuperioribus utuntur Matrimonio jam contracto: mandamus, quatenus, niſi pro eo quod Græci hujuſmodi inter Latinos converſantur, regionis conſuetudo repugnet, & ſi aliud (canonicum) non obſiſtat, ad confirmationem & conſecrationem ejuſdem ſine dubitatione procedas.* Decret. p. 1012. n. 28.

S. Antoninus in Summa hiſtorica titulo 9. c. 7. ait, Siricium S. P. continentiam quidem perpetuam injunxiſſe ſacris miniſtris in Eccleſia Occidentali; *verùm Orientales legem hanc non recipiſſe.*

Atque inde eſt quòd cùm unio & pax inita eſt Latinam inter ac Græcam Eccleſiam in Concil. Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino ſub Eugenio IV. nuſquam damnati ſint Græci, quòd ſuis Presbyteris uſum Matrimonii ante Ordinationem contracti permitterent: nuſquam hæc ab ipſis poſtulata conditio pacis, ut Presbyteros à conſortio conjugum removerent. Conſultus quidem Nicolaus I. à Bulgaris, utrum Presbyterum habentem uxorem tolerare & honorare deberent, reſpondit, valdè quidem reprehenſibiles eſſe Græcos, nihilominus tolerandos. At in duobus maximè reprehenſibiles illi erant. 1. Quòd legem continentiæ quam ſuis imponit Romana Eccleſia, liberiùs carperent ac redarguerent. 2. Quòd ſolerent ordinandos priùs interrogare, utrum uxores haberent, an non: qui ſi reſpondiſſent ſe non habere, cogerentur priùs eas aſſumere, quàm ordinarentur; quem abuſum ipſis exprobrat Umbertus Cardinalis Legatus Leonis IX. in Epiſt. adversùs calumnias Michaelis Patriarchæ.

Atque hæc dicenda nobis erant de continentia ſacrorum miniſtrorum apud Græcos, nunc de Latinis agendum.

ARTICULUS II.

De lege & disciplina perpetuæ continentiæ sacrorum ministrorum in Ecclesia Latina.

Lex celibatus ac perpetuæ continentiæ sacrorum ministrorum longè severiùs & accuratiùs observata fuit in Latina Ecclesia, quàm in Græca; nusquam enim permisit Occidentalis Ecclesia suis majoribus Clericis, aut ducere uxores post Ordinationem, aut uti antea ductis. Loquimur verò de illis ministris qui omnium judicio sacri semper habiti sunt, Episcopis nempè, Presbyteris & Diaconis: de Subdiaconis enim alia ratio fuit, sicut & de cæteris inferioribus Clericis, quod hìc sigillatim demonstrare conabimur.

Narrat Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini Germanos sæpius à Patribus Tridentini postulasse ut Presbyteris uxores permitterent; atque Imperatorem Carolum in Libello, qui dicebatur *Interim*, eas reipsa ipsis idcircò permisisse, quòd speraret faciliùs ad concordiam revocandos esse Lutheranos: Concilium tamen numquam Germanorum votis annuit. Lege Pallavicinum lib. 10. Hist. Conc. Trid. c. 17. & lib. 11. c. 2. & lib. 12. c. 8. His præmissis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Subdiaconi nec semper, nec universè lege continentiæ adstricti fuere; sed varia fuit circa ipsos in Occidente Ecclesiarum praxis ac disciplina.

In Ecclesia Hispanica Concilium Eliberitanum an. 305. can. 33. Subdiaconis, perinde ac Episcopis, Presbyteris ac Diaconis, jubet ut continentiam servent ab uxoribus. *Placuit*, ajunt Patres, *in totum probiberi Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus Clericis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios: quicumquè verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* (Tom. 1. Conc. p. 974. C.)

Concil. Gerundense an. 517. can. 6. idem statuit his verbis: *De conversatione vitæ id statuere placuit, à Pontifice usque ad Subdiaconum post suscepti honoris officium, si qui ex conjugatis fuerint ordinati, ut sine conjuge habitent.* (Gironne en Catalogne.)

Hæc nihilominus disciplina interrupta videtur aliquando apud Hispanos: Namque Conc. Toletanum I. ante Gerundense celebratum, an. scilicet 400. capitulo 1. nulla de Subdiaconis facta mentione, solos Presbyteros ac Diaconos jubet ab uxoribus abstinere. Idem pariter colligitur ex Conc. Toletano III. an. 589. capitulo 5. ubi reprimitur licentia nonnullorum Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum; de Subdiaconis verò altum silentium. *Compertum est*, ajunt Patres, *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cætero fiat, hoc præcipitur, quod & prioribus Canonibus terminatur, ut non liceat eis vivere libidinosa societate; & manente inter eos fide conjugali, communem utilitatem habeant, & non sub uno conclavi maneant.* (Tom. 4. Conc. p. 1568. D. — Tom. 2. Conc. p. 1223. — Tom. 5. Conc. p. 1010.)

Prior tamen disciplina revocata fuit à subsequentibus Conc. Toletanis. Ab octavo an. 653. can. 5. ubi generatim perstringit Sacerdotes ac ministros qui spretis veteribus institutis, uxorum & aliarum feminarum immunda societate inquinabantur. Et can. 6. Eos reprimit Subdiaconos, (Tom. 6. Conc. p. 405.)

qui

qui post Ordinationem, uxores sibi assumere eo prætextu ausi fuerant, quòd in Ordinatione sua Episcopi benedictionem se percepisse ignorarent. Et can. 7. eadem continentiæ lege constringit eos, qui se invitos sacram Ordinationem suscepisse contestabantur.

A nono an. 655. can. 10. ubi non dissimulant Patres, legem continentiæ ab omnibus Clericis non ita sedulò & accuratè servatam esse, nec nisi iteratis & statutis & pœnis ægrè obtinuisse. *Cùm multæ*, ait Canon, *super incontinentiam Ordinis Clericorum usque hactenus emanaverint sententiæ Patrum, & nullatenus ipsorum formari quiverit correctio morum, usque adeo sententiam judicantium protraxere commissa culparum, ut non tantùm ferretur ultio in auctores scelerum, verùm & in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab Episcopo, usque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio, in honore constituti filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica Censura damnentur; proles autem tali pollutione nata, non solùm hæreditatem parentum numquam accipiat; sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt*. Imò & in Concilio Toletano II. an. 531. c. 1. volunt Hispani Episcopi, ut qui Subdiaconus ordinatur, profiteatur se castitatem & continentiam servaturum. Atque hæc fuit apud Hispanos disciplinæ variatio circa continentiam Subdiaconorum. Ibid. p. 455. Tom. 4. Conc. p. 1733.

In Ecclesia pariter Africana diversam quoad Subdiaconos consuetudinem extitisse ostendit Concilium Carthaginense V. an. 398. capitulo 3. cujus hæc verba sunt: *Cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundùm priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quòd nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*. Idem constat ex Conc. Carthaginensi II. an. 390. c. 2. ubi quoque tres tantùm numerantur Ordinum gradus quibus imponitur lex continentiæ, Episcoporum scilicet, Presbyterorum ac Diaconorum. Tom. 2. Conc. p. 1215. Ibid. p. 1052. D.

In Gallia pariter eamdem varietatem fuisse constat ex Concilio Arelatensi II. an. 452. can. 2. & 3. ubi non alii lege continentiæ obstringuntur, quàm Sacerdotes ac Diaconi: nulla de Subdiaconis mentio. Ita quoque in Conc. Turonensi I. an. 461. can. 1. & Agathensi an. 506. can. 9. & 16. & Lugdunensi III. an. 583. can. 1. Tom. 4. Conc. p. 1011. 1050. 1384. 1386.

Nihilominus in Conc. Aurelianensi III. an. 538. can. 2. Subdiaconi prohibentur suis uxoribus commisceri. *Nullus Clericorum*, ait Canon, *à Subdiacono & supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriæ, si fortè jam habeat, misceatur uxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, juxta priorum Canonum statuta, ab officio deponatur*. Idem vetat Conc. Turon. II. an. 567. can. 19. In Conc. autem Venetico an. 465. can. 11. prohibentur Subdiaconi, perinde ac Presbyteri & Diaconi, uxores ducere; *Presbyteri*, inquit, *Diaconi atque Subdiaconi, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia*. Nicolaus I. S. P. maximè improbat Adonem Viennensem Archiepiscopum, quòd alicui Subdiacono potestatem fecisset uxorem ducendi, *eo quòd*, inquit S. P. *nulli umquam, exceptis illis quibus Ecclesiastica regula habere permittit, uxorem ducendi licentiam damus*. Tom. 5. Conc. p. 974. Ibid. p. 296. A. Tom. 5. Conc. p. 857. Tom. 4. Conc. p. 1056. B. C.

In Sicilia nonnihil pariter mutationis contigit. Cùm enim Pelagius II. S. P. Subdiaconus continentiæ jugo subjicere voluisset, juxta leges Ecclesiæ Tom. 8. Conc. p. 515. A.

Romanæ, duriorem existimans hanc Constitutionem S. Gregorius, hanc temperavit. Audiatur S. Pontifex Epist. 44. aliàs 42. lib. 1. quæ est ad Petrum Subdiaconum Siciliæ. *Ante triennium*, inquit, *Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ suis uxoribus nullatenus miscerentur: quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem antè promisit, compellatur à sua uxore separari; atque per hoc, quod absit, in deteriùs cadat. Unde videtur mihi, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit; quatenus & præterita quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur.*

Tom. 2. p. 538. B.

In Ecclesia denique Romana diversa fuit quoad Subdiaconos disciplina.

Nec Siricius, nec Innocentius I. in suis pro continentia Clericorum Decretalibus, Subdiaconos appellant.

Nec Hieronymus ipse in sua Apologia pro Libris adversùs Jovinianum scriptis, ubi Romanæ Ecclesiæ legem pro continentia Clericorum refert, Subdiaconorum meminit.

Omnium primus Subdiaconis continentiæ jugum imposuit S. Leo, ut patet ex ejus Epist. 12. aliàs 84. ad Anastasium Thessalonicensem c. 4. *Nec Subdiaconis quidem*, inquit, *connubium carnale conceditur: ut & qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares*. Non videtur tamen hocce Leonis Decretum accuratè ubique servatum, ne in Sicilia quidem Romæ vicina; quandoquidem post exactum ab ætate S. hujus Pontificis integrum sæculum & amplius, & Pelagius II. & Gregorius I. Subdiaconos Siciliæ adegerunt ad servandam continentiam. Imò neque Gregorii statutum firmum videtur fuisse in Ecclesia ipsa Romana, Concil. enim Romanum quod an. 721. habitum est sub Gregorio II. can. 1. 2. & 3. damnat uxores Presbyterorum ac Diaconorum; quæ sese terrenis nuptiis implicant; de uxoribus verò Subdiaconorum silet omninò. De iisdem pariter silet aliud Conc. Romanum sub Zacharia an. 743. quamvis non semel continentiæ Presbyterorum ac Diaconorum mentionem faciat. Adde in Canonum compilatione quam idem S. P. Zacharias misit ad Gallos an. 744. solos Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos perpetuæ continentiæ subjici; cæteros verò Clericos suo proprio permitti arbitrio, juxta Can. 11. Conc. Carthaginensis V.

Tom. 1. p. 441. Tom. 6. Conc. p. 455. n. 6. Ibid. p. 1548.

In Apulia. In Conc. Melfitano quod sub Urbano II. celebratum fuit an. 1089. can. 12. omninò prohibentur Subdiaconi cum suis uxoribus consuetudinem habere. *Eos*, inquiunt Patres, *qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro Ordine removemus, officio atque Beneficio Ecclesiæ carere decernimus*. Idem statutum in Conc. Claromontano an. 1095. in Remensi an. 1148. *Qui*, inquit can. 3. *in Ordine Subdiaconatus, & suprà, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio atque Ecclesiastico Beneficio careant*. Observat Thomassinus, de Disciplina p. 1. lib. 2. c. 65. hìc jacta esse fundamenta ejus disciplinæ, quæ exinde conjugatos omnes à spe dejicit Beneficiorum.

Tom. 10. Conc. p. 477. Ibid. p. 507. Ibid. p. 1109.

SECUNDA CONCLUSIO.

Usu tam antiquo ac constanti recepta fuit & probata in Ecclesia Latina majorum Clericorum continentia, ut nec Episcopis, nec Presbyteris, nec Diaconis, aut uxores ducere post Ordinationem, aut antè ductis uti licitum unquam fuerit.

Insi-

Infiniti essemus si hujusce disciplinæ varia monumenta per ætates singulas digesta referre hic animus esset: consule Coccium in Thesaurum, ubi de Ordine; Bellarminum de Clericis Lib. 1. c. 19. Thomassinum de Disciplina parte 1. L. 2. à c. 60. usque ad 66. inclusivè. Sufficiet nobis hic strictim appellasse illustriores Occidentis Ecclesias, in quibus lex, quæ majores Clericos ad perpetuam continentiam obstringit, semper obtinuit.

Ecclesiæ Romanæ testes ac præsides appellamus

Sylvestrum S. P. (si tamen veri sunt ac genuini, qui sub ejus nomine circumferuntur, Canones, de quibus viri eruditi dubitant) Inter eos octavus in Synodo Romana an. 324. sic habet: *Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliqua prævaricatione præsumpserit.* Tom. 1. Conc. p. 1551. A. Tom. 2. Conc. p. 1019.

Siricium, qui in Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum data an. 395. legem continentiæ majorum ac sacrorum ministrorum renovat, & confirmat, non omnium primum inducit. Cap. 7. refert 1. plurimos Sacerdotes ac Levitas post longa suæ consecrationis tempora filios ex propriis uxoribus suscepisse; eoque prætextu crimen suum excusasse, quòd Sacerdotibus ac ministris veteris Testamenti generandi facultas concessa fuisset: quem prætextum postquam evertit S. Pontifex, ait voluisse Christum ut Ecclesia sua castitatis splendore radiaret, *Quarum*, inquit, *sanctionum Sacerdotes omnes atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die Ordinationis nostræ, sobrietati & pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora.* Ib. pag. 1020. B. Agnoscit his verbis S. P. jam ante se latam sanctionem quæ insolubili lege Sacerdotes ac Levitas ad perpetuam obstringeret continentiam: tum jubet indulgendum esse Episcopis, de quibus initio locutus fuit, atque in eo ipso gradu sine ullo honoris argumento esse relinquendos in quo dejecti sunt, quòd nempè se ex ignorantia lapsos esse non sine gemitu faterentur; alios verò qui *illiciti privilegii* excusatione nituntur, omni gradu ecclesiastico privandos esse. Deinde in futurum prospiciens S. P. ita statuit: *Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter atque Diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam nunc sibi omnis indulgentiæ per nos aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.* Ibid. D.

Innocentium I. qui tum Epistola 2. ad Victricium Rothomag. Episcopum c. 9. tum in Epistola 3. ad Exuperium Episcopum Tolosanum c. 1. Siricii Decretum iisdem ferè verbis repetit & confirmat. Tom. 2. Conc. p. 1251. & 1254.

S. Leonem Epistola ad Anastasium Thessalonicensem, antea citata Conclusione prima; & in Epistola 2. aliàs 92. ad Rusticum Narbonensem, ubi ad inquisitionem tertiam sic respondet: *Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris, qui cùm essent Laici, sive Lectores, licitè & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos pervenerint gradus, cæpit eis non licere, quod licuit: unde, ut de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, & quasi non habeant, sic habere: quo & salva sit charitas conjugiorum, & cessent opera nuptiarum.* To. 1. p. 407. Observa hic obiter, non jubere S. Leonem ut qui ex ministris sacris uxores haberent, eas è domo sua ejicerent; imò potius permisit ut eas retinerent, servata nihilominus continentia.

S. Gregorium Magnum Epistola jam citata ad Petrum Subdiaconum Siciliæ.

Pro eadem Romana Ecclesia testabitur S. Hieronymus in Epistola 30. aliàs

To. 4. p. 50. quæ est ipsius Apologia adversùs Jovinianum : *Apostoli*, inquit, *vel*
2. p. 242. *virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.*

Ibid. p. 235. Ibidem jam dixerat ; *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi noverint se hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali.*

Ibid. p. 175. Libro 1. Adversùs Jovinianum c. 19. *Certe*, inquit alloquens Jovinianum, *confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat : alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur*. Hanc igitur legem Ecclesiæ pro Episcopis agnoscebat vel ipse Jovinianus.

In Libro adversùs Vigilantium, sic hæresiarcham & pravos sectatorum ipsius mores insectatur : *Proh nefas*, inquit, *Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes ; si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi priùs uxores duxerint : nulli cælibi credentes pudicitiam, imò ostendentes quàm sanctè vivant qui malè de omnibus suspicantur ; & nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt.* (Ibid. p. 201.)

Ecclesiæ Africanæ testes sunt

Tom. 2 Conc. p. 1159. D. Patres Conc. Carthaginensis II. an. 390. can. 2. *Cùm*, inquiunt, *in prætérito Concil. de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes annexi sunt. Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

Patres Concilii V. Carth. an. 398. capitulo 3. idem quoque testantur : verba laudavimus hìc Conclusione prima.

S. Augustinus ejusdem disciplinæ testis est in lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. ultimo, ubi eos qui dimissis uxoribus alias ducere volebant, quòd sibi impossibilem dicerent continentiam, Clericorum exemplo urget ac refellit. *Solemus* inquit, *eis proponere etiam continentiam Clericorum,*
Tom. 6. p. 418. C. *qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.*

Ecclesiæ Mediolanensis testis est locupletissimus S. Ambrosius lib. 1.
Tom. 2. Officiorum cap. ultimo, ubi sic loquitur : *Inoffensum autem exhibendum,*
p. 66. C. *& immaculatum ministerium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integri corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis ? Quod eo non præterii, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt ; & id tanquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur ; & tamen castificabatur etiam populus per biduum vel per triduum, ut ad sacrificium purus accederet.* Non dissimulat sanctus Doctor, aliquibus in locis obscurioribus nonnullos Sacerdotes ex uxoribus filios suscepisse, quos improbat S. Ambrosius.

Non longè à Mediolanensi distat Taurinensis civitas, in ea celebratum Conc. an. 395. can. 8. sic decernit : *Hi autem qui contra interdictum*
Tom. 2. Conc. p. 1157. *sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus Ordinum permittantur, Synodi decrevit auctoritas.*

Ecclesiæ Hispanicæ testes habemus

Conc. Eliberitanum can. 33. Gerundense can. 6. quorum verba Conclu-

sione

sione prima hic descripsimus ; Conc. Toletanum I. an. 400. can. 1. *Placuit*, inquit, *ut Diacones, si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi uxores habeant, in ministerio constituantur; ita tamen ut, si qui etiam ante interdictum quod per Episcopos Lusitanos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Si quis verò ex Presbyteris ante interdictum, filios susceperit, de Presbyterio ad Episcopatum non admittatur.* Non tantùm hìc pro Hispanica, sed etiam Lusitana Ecclesia testimonium ferunt Patres Toletani Conc. Toletanum III. an. 589. capitulo 5. incontinentes Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos pariter reprimit, quos jubet separatos à suis uxoribus manere. Ita & Conc. Tolet. VIII. an. 653. & IX. an. 655. quæ paulo antè à nobis laudata sunt.

Tom. 2. Conc. p. 1223. D.

Tom. 5. Conc. p. 1010.

Ecclesiæ Germanicæ testes sunt

Concilium Aquisgranense an. 816. capite 6. *Placuit Patribus*, (Subdiaconos) *quia sacra mysteria contrectant, castos & continentes esse debere ab uxoribus.*

Tom. 7. Conc. p. 1315. D.

Conc. VVormatiense an. 868. c. 9. *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus, & non generent filios.*

Tom. 8. Conc. p. 948.

Concilium Moguntinum an. 888. can. 10. *Quamvis*, inquit, *sacri Canones quasdam personas feminarum simul cum Clericis in una domo habitare permittant: tamen, quod multùm dolendum est, sæpè audivimus, per illam concessionem plurima scelera esse commissa ..... Et idcircò constituit hæc sancta Synodus, ut nullus Presbyter ullam feminam secum in domo propria permittat, quatenus occasio malæ suspicionis vel facti iniqui penitus auferatur.*

Tom. 9. Conc. p. 407.

Conc. denique Augustanum ann. 952. capitulo 11. *Episcopus*, inquit, *Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina mysteria contrectant, ab uxoribus abstineant.*

Ib. p. 637.

In Anglia Concilium Vintoniense an. 1076. sub Archiepiscopo Lanfranco, Presbyteros conjugatos lacessere abstinuit, ac prohibuit tantùm, ne in posterum ad has sordes deficerent Parochi. Anselmus tamen Cantuariensis Episcopus, quo erat infracto animi vigore, Decretis Conciliorum hæc conjugia sustulit ; sed Rege auxiliatricem Conciliis dexteram non commodante, præclarissima spes evanuit.

Concil. Anglica.

Tom. 2. p. 1. 13. 36.

In Suecia tam impunè grassabatur nonnullorum incontinentia, ut palam jactarent Presbyteri se à Sede Apostolica privilegium accepisse ducendi uxores: de qua re consultus Innocentius III. respondit se tale ignorare privilegium. Et verò an. 1248. Concilium Seheningense in Suecia his omnibus Presbyteris conjuges & concubinas abstraxerat.

Tom. 11. Conc. p. 695. C.

Ecclesiæ denique nostræ Gallicanæ testes sunt

Concilium Arausicanum I. an. 441. can. 12. *Deinceps*, inquit, *non ordinentur Diacones conjugati, nisi qui priùs conversionis proposito professi fuerint castitatem.* Idem rursus Can. 23. & 24.

Tom. 3. Conc. p. 1450. E.

Concilium Arelatense II. an. 452. can. 2. prohibet *assumi aliquem ad sacerdotium in conjugii vinculo constitutum, nisi fuerit præmissa conversio.* Et rursus can. 3. antea citato.

Tom. 4. Conc. p. 1011. D.

Concilium Turonense I. ann. 461. can. 1. & 2. *Decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiscentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantùm ut à communione non efficiantur alieni.*

Ibid. p. 1051. A.

Concilium Veneticum anno 463. Can. 11. *Presbyteri*, inquit, *Diaconi*

Ibid. p. *atque Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alie-*
1056. B. *narum nuptiarum evitent convivia,*
C. Concilium Agathense anno 506. Can.3. *Placuit ut si Diaconi aut Presby-*
Ib. pag. *teri conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentii ordina-*
1385. D. *tio, & Siricii Episcopi auctoritas, quæ est his Canonibus inserta, conservetur.*
Ib. pag. 1805. Idem habet Concilium Arvernense anno 535. Can.13.
Tom. 5. Concilium Aurelianense III. anno 538. Can.2. Aurelianense IV. anno
Conc. p. 541. Can.17. quo jubet uxores abstrahi à domicilio & contubernio Pre-
296. 384. 392. sbyterorum. Aurelianense V. anno 549. Can.4.
Ib. p 855. Concilium Turonense II. anno 567. Can.12. *Episcopus*, inquit, *conju-*
C. D. *gem ut sororem habeat, & ita sancta conversatione gubernet domum omnem tam ec-*
Ib. pag. 858. A. *clesiasticam quàm propriam, ut nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat.* Et Can.19. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua presbytera, aut Diaconus cum sua diaconissa, aut Subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio clericali, inter Laicos se observare cognoscat.*

Concilium Antisiodorense anno 578. Can.21. Matisconense I. an.581. Can.11.
Ib. p. 959. 969. 974. Lugdunense III. an.583. Can.1. His & multis aliis constat manifestè, in Galliis semper viguisse legem quæ sacros ministros perpetuæ addicit continentiæ.

Ex his omnibus colliges, omninò suppostititium fuisse Concilium illud Triburiense, cujus auctoritate incontinentiam suam nonnulli Laudensis Ecclesiæ Clerici sæculo undecimo tuebantur, teste ac impugnatore Petro Damiano Opusculo 18. c.3.

Ad hæc verò omnia momenta accedant Conciliorum Oecumenicorum Statuta.

Tom. 10. Concilium Lateranense I. Oecumenicum sub Callixto II. S.P. Can. 3.
Conc. p. 868. C. sic decernit: *Presbyteris, Diaconibus vel Subdiaconibus, concubinarum & uxorum contubernia penitus interdicimus, & aliarum mulierum cohabitationem, præter quas Synodos Nicæna .... permisit.*

Ib. pag. Lateranense II. Oecumenicum sub Innocentio II. an.1139. Can. 6. *De-*
1003. D. *cernimus ut ii qui in Ordine Subdiaconatus, & suprà, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque ecclesiastico Beneficio careant.* Et Can.7. *Ad hæc prædecessorum nostrorum Gregorii VII. Urbani, & Paschalis Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, præcipimus ut nullus Missas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis & sacris Ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & Monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur; hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant.*

Ib. pag. Lateranense III. sub Alexandro III. an.1176. Can.11. *Clerici*, inquit, *in*
1515. A. B. *sacris Ordinibus constituti, qui mulierculas in domibus suis incontinentiæ nota tenuerint, aut abjiciant eas, & continenter vivant, aut ab Officio & Beneficio ecclesiastico fiant alieni.*

Concilium denique Tridentinum Seff.24. Can.9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse*
Tom. 14. *Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege*
Conc. p. 875. C. *ecclesiastica, vel voto; & oppositum nihil aliud esse quàm damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis,*

etsi

etsi eam voverint, habere donum, anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. De usu Matrimonii antea contracti siluit Conc. propter inveteratam in Ecclesia Græca à tempore Synodi Trullanæ consuetudinem: Sessione tamen 23. c. 13. dixerat; *Subdiaconos & Diaconos esse ordinandos eos qui bonum habent testimonium .... quique sperent, Deo auctore, se continere posse.* *Ibid. p. 879. B.*

Quæres an Matrimonium post sacros Ordines contractum semper in Ecclesia fuerit invalidum, & consequenter an Ordo sacer fuerit semper impedimentum dirimens.

Resp. Negativè. Patet 1. Ex Conc. Ancyrano, conclusione prima, ubi de disciplina Ecclesiæ Græcæ, hic laudato. Permittit quippè Diaconis post Ordinationem uxores ducere, si tempore Ordinationis contestati fuissent se non posse continere. Patet 2. Ex omnibus testimoniis per decem priora sæcula passim hic appellatis; nullum enim extat quo declaretur invalidum ac nullum Matrimonium contractum ab homine in sacris constituto. Privatur ille quidem gradu suo, Officio & Beneficio, ab uxore separatur, excommunicatur; at non declaratur liber & solutus à vinculo conjugali. Ordo sacer non semper fuit impedimentum dirimens Matrimoniū.

Igitur non ante Constitutionem Concil. Lateranensis III. an. 1139. hic relatam, quam descripsit & confirmavit Conc. Remense an. 1148. Præside Eugenio Papa III. Ordo sacer fuit impedimentum dirimens Matrimonium. Idem impedimentum confirmant Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. an. 1176. Cùm ait hujusmodi conjunctionem (Clericorum majorum) non Matrimonium, sed contubernium potius esse nuncupandum; & Conc. Trid. sess. 24. can. 9. mox citato. *Appendix Conc. Later. tit. de Cleric. Matr. c. 6. p. 1635.*

Dices 1. Extant benè multa exempla Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum qui uxores ante Ordinationem ductas domi retinuerunt, & cum ipsis consuetudinem habuerunt, non contradicente Latina Ecclesia.

Tertullianus Africanæ Ecclesiæ Presbyter uxorem secum habuit, quam adhortatus est ut post suum obitum continentiam servaret: inutilis porrò ac frustra fuisset hæc adhortatio, si jam tum ob dignitatem sacerdotalem sui mariti ab usu Matrimonii abstinere coacta fuisset.

Novatus pariter Carthaginensis Presbyter uxorem habuit. Narrat quippè de eo S. Cyprianus Epist. 49. ad Cornelium, quòd calce uterum uxoris gravidæ percusserit, & abortum sic procuraverit. Damnat quidem in Novato S. Episcopus crudelem hanc violentiam; at nullatenus innuit illicitum ipsi fuisse ex uxore prolem suscipere. Neque juvat reponere, id contigisse antequam Novatus fuisset ordinatus Presbyter: namque si ita esset, nusquam ob tale facinus ad sacros Ordines admissus ille fuisset.

S. Cypriano uxorem fuisse narrat Pontius Diaconus in ejus vita; & ipse S. Cyprianus Epist. 19. meminit Felicis Presbyteri & uxoris ejus Victoriæ.

S. Ambrosius in Exhortatione ad virginitatem, mentionem facit Agricolæ Diaconi, qui uxorem viduam reliquit.

S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, narrante Fortunato in ejus vita, uxorem habuit & liberos.

S. Paulinus Nolanus Episcopus uxorem quam habuit, nomine Therasiam, numquam à se segregavit, sed itinerum comitem vitæque sociam retinuit & secum habuit semper. Ita colligimus ex Ausonii ad Paulinum, & hujus vicissim ad Ausonium Epistolis. Et ipse Paulinus in Epistola 27. refert Aprum Presbyterum cum sua convixisse ac cohabitasse uxore.

S. Prosper Rhegiensis Episcopus uxorem pariter habuit, quam versibus, qui sub finem Libri Epigrammatum ejus leguntur, sic alloquitur:

Age jam precor mearum
Comes irremota rerum.
Trepidam brevemque vitam
Domino Deo dicemus.

Denique Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus, teste Gregorio Turonensi Historiæ Francorum lib. 2. c. 21. uxoratus fuit.

Resp. Ex istis exemplis nihil consequi posse Novatores adversùs Conclusionem nostram.

Primò: Distortum omninò est ac obliquum istud ratiocinium, Tertullianus uxorem suam adhortatur ut post obitum suum continentiam servet; ergo eam vivente Tertulliano non observabat. Præclara verò consecutio! Quasi quæ incontinentiam, vivente suo viro, consenserat, eo mortuo se ad illam cum altero conjuge perpetuò conservandam obstrinxisset?

Non ita certè. Hortatur ergo quantùm potest Tertullianus uxorem, ut in suscepto se vivente continentiæ proposito firmiter post suam mortem perseveret, repudiatis à se secundis nuptiis.

Adde, planè incertum esse an Tertullianus ad sacerdotium promotus fuisset, cùm scripsit Libros ad uxorem; illos enim non scripsit morti proximus, sed persecutione sæviente, ut ipse significat c. 5. & c. 4. juvenem adhuc & formosam fuisse suam uxorem innuit. Incertum igitur est an Sacerdos fuerit Tertullianus, cùm uxorem suam sic exhortabatur: quamobrem omninò inutile evadit adversariis nostris exemplum istud.

Secundò: Verisimile est istud Novati facinus ante Ordinationem ipsius perpetratum fuisse, quod cùm ignotum esset, ejus Ordinationi moras & impedimentum non injecit. Et certè verisimile non videtur, Ecclesiam Africanam, quæ tam severè prohibebat ne Sacerdotes sese negotiis sæcularibus implicarent, quæ noluit pro requie Geminii Victoris sacrificium offerri, eo quòd Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominasset, ut patet ex Epist. 66. S. Cypriani, verisimile, inquam, non videtur, Ecclesiam hanc tolerasse ministros sacros cum suis uxoribus consuetudinem habentes, ac rei uxoriæ vacantes. *p. 109.*

Tertiò: Quorsum hìc Novatores tanto studio colligunt exempla conjugatorum, qui ad Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum assumpti sunt? Quid ex illis extundi potest quod nobis noceat? nihil profectò. Non enim id negamus; imò nec negamus licitum illis aliquando fuisse suas domi retinere uxores, cum iis convivere ac cohabitare: hoc ipse fatetur S. Leo Epistola antea citata, *Ut nempè*, inquit, *salva sit charitas conjugiorum*. At si quid efficere vellent adversarii, probandum ipsis foret, ejusmodi sacris ministris licitum fuisse non tantùm contubernales habere uxores, ante Ordinationem ductas, sed etiam ejusdem tori participes, quod certè nusquam ostendent ex iis quæ hìc proferuntur exemplis. Idem enim S. Leo qui dixit, non debere *dimitti hujusmodi uxores, ut salva sit charitas conjugiorum*; dixit pariter, *cessare tunc debere opera nuptiarum*. Et Concilium Turonense II. ea lege ac conditione permittit remanere uxorem cum Episcopo, *ut*, inquit Can. 11. *eam ut sororem habeat; & ita sancta conversatione gubernet domum omnem tam Ecclesiasticam quàm propriam, ut nulla de eo su-* *Tom. 1. p. 407.* *Ibid*

eo suspicio consurgat. Hac conditione retinuit S. Paulinus suam Therasiam, teste ipsomet S. Augustino Epistola 27. aliàs 32. ad Paulinum, ubi de ipsius conjuge sic loquitur: *Ibi excitatur conjux, non dux ad mollitiem viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui: quam in tuam unitatem redactam & redditam, & spiritualibus tibi tantò firmioribus, quantò castioribus nexibus copulatam, officiis vestræ sanctitati debitis in te uno ore salutamus*. Castum itaque ac spirituale erat Paulini cum uxore commercium & contubernium. Ipse Paulinus Epistola 24. ad Severum n.9. continentiam & castitatem profitetur: *ut enerves cupiditatibus*, inquit, *quibus virtus fidei subnervatur, confirmemus animam castitate*. Et in carmine ad uxorem, eam ad idem piæ vitæ genus secum amplectendum adhortatur. T.2.p.44. D. P.156.

Tu modò fida comes, mecum isti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita, elatum cohibe, solare dolentem;
Exemplum vitæ simus uterque piæ.
Custos esto tui custodis, mutua redde;
Erige labentem, surge levantis ope.
Append. I. p.24.

Aper ille Presbyter, quem testatur S. Paulinus cum sua cohabitasse uxore, continentiam servabat, ipso teste S. Paulino Epistola 39. *Officia & eloquia Litterarum vestrarum*, inquit, *quæ nobis largiter annuo commeatu penditis, indicant quàm ampla possessio nobis, & quàm fertilis Deo terra sitis: jam trigesimum fructum de vestra inter vos continentia proferentes, & quotidianis fidei communis augmentis sexagesimo propinquantes, & de prole virginea centesimum pollicentes*. Cùm igitur idem Paulinus Epistola 29. Apri uxori prolis abundantiam optat, de spirituali loquitur bonorum operum fructu, non autem de carnali filiorum propagatione. P.239.

Sidonius pariter Apollinaris à domo quidem sua non amoverat uxorem: verùm ea fuit ejus & castitas & castitatis fama, quam nec maledicentissimi arrodere auderent; ea virtus & pietas, quæ omnium in se oculos & admirationem converteret; ea maximè erga pauperes liberalitas, quam his verbis commendavit Gregorius Turonensis L.2. Hist. Franc. c.22. *Cùm esset*, inquit, *magnificæ sanctitatis, atque ex Senatoribus primis, plerumque nesciente conjuge, vasa argentea auferebat à domo, & pauperibus erogabat*. P.73. C.

Fatendum nihilominus, priorem disciplinam fuisse immutatam, ac necesse fuisse, cùm aliquis conjugatus ad sacros Ordines assumebatur, ut separaretur ab uxore, quæ vel in Monasterio velum accipere ac continentiam profiteri tenebatur; vel si in sæculo remaneret, à suo viro separata castitatem coleret, ac se totam pietatis operibus traderet. Narrat mox citatus Gregorius Turonensis Hist. Lib. v. cap. 39. S. Austremonium Episcopum Arvernensem *uxorem quidem habuisse, sed quæ juxta consuetudinem ecclesiasticam remota à consortio Sacerdotis vivebat*. Multi ex citatis antea Canonibus cavent, ne in eodem domo eodemque conclavi remaneant sacri ministri cum suis uxoribus, si quas ante Ordinationem duxissent: quibus adde Concilium Aurelianense IV. ann. 541. Can. 17. ubi statuit *ut Sacerdotes sive Diaconi, cum conjugibus suis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii Religio maculetur. Quod qui fecerint, juxta priscos Canones, ab Officio degradentur*. Lugdunense III. ann. 583. Can. 1. *Placuit, ut si quicunque uxoribus juncti ad Diaconatus, aut Presbyteratus Ordinem quoquomodo pervenerint, non solum lecto, sed etiam frequentatione quotidiana de-* P.29. D. T.5. Conc. p.384. C. Ib. pag. 974. B.

De conversione conjugat. c. 5. & 6.

na debeant de uxoribus suis sequestrari. Ipse tandem Alexander III. Constitutionem edidit his verbis conceptam: *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Item. *Prohibemus ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor priùs professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.*

Dices 2. Lex illa cœlibatus ubique nec recepta fuit, nec viguit: Siricius enim S. P. in sua Decretali testatur ea hosthabita multos è sacris ministris liberos in ministerio suscepisse. Innocentius I. ait Episcopos etiam connivere, atque id permittere. S. pariter Ambrosius non dissimulat multis in locis usum invaluisse, quod de Græcis quoque dixerat S. Epiphanius. Quid plura? vel ipso anno 1450. Æneas Sylvius postea Pius II. S. Pontifex, Epistola 307. ad Joannem Frunt data sic scribit: *Credimus te uti non insulso consilio, si, cùm nequeas continere, conjugium quæris; quamvis id priùs cogitandum fuerat, antequam initiareris sacris Ordinibus: sed non sumus dii omnes, qui futura prospicere videamus. Quando huc ventum est, ut legi carnis resistere nequeas, melius est nubere, quam uri.* Non existimabat igitur Æneas Sylvius, tunc temporis ita confirmatam esse ac usu præceptam cœlibatus legem, quin posset, & quidem prudenti consilio, ille ad quem scribit, uxorem ducere.

p. 809.

Resp. nullius hæc esse ponderis, quasi lex nec justa nec probata aut recepta dici queat, quòd à nonnullis violetur; quacunque profectò humana providentia ac sanctissimis legibus superior semper erit aliquorum malitia & improbitas: quòd si eam non dixeris justam & optimam legem, quæ à multis conculcatur, nullam admittas necesse est. Extitere, quidem identidem Clerici, qui continentiæ jugum excussere; sed eos nusquam toleravit Ecclesia, imò coercuit semper multis ac sæpius repetitis Canonibus ac constitutionibus. Consilium Æneæ Sylvii, viri tunc privati, non satis cautum fuit nec probandum: observat tamen ibidem, S. tunc temporis Pontificem longè alienum fuisse ab ulla concedenda dispensatione. *Non tamen,* inquit, *hæc Pontificis sententia, ut dispensandum censeat. Stat in sua severitate, nec putat uni concedendum, quod multos in noxium vertat malum, & unum pati pro multis non inconveniens arbitratur.* Et Epistola 130. contra Taboritas sic loquitur idem Æneas Sylvius: *Secundùm tempora leges variantur humanæ: neque enim quod semel utile fuit decretum, semper utile perseverat. Non erravit Ecclesia primitiva, quæ Sacerdotibus permisit uxores; nec errat moderna, quæ subtrahit &c. nec nos ad omnia tenemur, quæ patres in primitiva Ecclesia egerunt. Illis uxores fuerunt, nobis desunt, & magis meremur. Quid vos Bohemos sub norma Latina nutritos, in communione calicis græcari compellit? Cur non conjugio copulamini, quasi id cum Græca possetis, quod cum Ecclesia Latina facere non decet?*

Hæc Ænas Sylvius, qui certò fallitur, qui putat, Ecclesiam Latinam primitivam Sacerdotibus uxores, hoc est usum uxorum permisisse, quod abundè ex adductis suprà testimoniis falsum esse demonstravimus.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Minores Clerici lege perpetuæ continentiæ non adstringuntur: nonnulla tamen fuit circa ipsos ea in re disciplinæ varietas.

Probatur 1. ex Conc. Carthag. V. an. 398. cap.3. ubi postquam de sacris ministris ad continentiam cogendis pronuntiavit, de cæteris Clericis hæc addit: *Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundùm uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* T.2.Conc. p.1216.A.

Concilium Carthaginense III. ann.397. Can.19. *Placuit ut Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.* Patet ex hoc Canone, liberum quidem fuisse Lectoribus uxores ducere: at si eas noluissent ducere, ad continentiam profitendam compulsos illos fuisse. Ib.p.1170. B.

Conc. Chalcedonense generale ann.451. Can.14. testatur non unam & eamdem fuisse Ecclesiarum disciplinam circa continentiam inferiorum ministrorum. *Quoniam*, inquit, *in quibusdam Provinciis concessum est Lectoribus & Psalmistis uxores ducere, statuit sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectæ alterius uxorem.* T.4.Conc. p.775.E.

Sunt qui ex Can.33. Concilii Eliberitani, & 11. Concilii Venetici inferunt, his in Ecclesiis Clericos minores ab uxoribus abstinere pariter debuisse. Canon enim Eliberitanus loquitur non tantùm de Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, sed etiam *de omnibus Clericis in ministerio positis*, sicut constat ex verbis hic citatis Conclusione prima; Canon verò Concilii Venetici ait: *Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est.* Quos designet vocabulum illud *deinceps*, an Monachos, an inferiores omnes Clericos, non satis est compertum. T.1.Conc. p.974. T.4 Conc. p.1056.

Benedictus VIII. S. P. unaque cum eo Ticinense Concilium an.1020. omnes prorsus Clericos, ne minoribus quidem exceptis, eadem continentiæ lege adstringunt. *Si*, inquiunt, *Sacerdotes legis Mosaicæ ad tempus abstinebant, qui ad tempus Templo deserviebant, cur Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus qui sunt in Clero, jugiter non est abstinendum, quibus juge & verum est sacrificium?* T.4.Conc. p.821.B.

Ex ultima tandem ac præsenti Ecclesiæ Latinæ disciplina, inferiores ministri possunt, si voluerint, uxores ducere; verùm si duxerint, ab officio & Beneficio excluduntur. Ita statuere SS.PP. Alexander III. Innocentius III. *De Clericis conjugatis*. Cap.1. *Si qui Clericorum*, ait Alexander III. *infra Subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda Beneficia ecclesiastica compellatis.* Item c.3. *Clericos infra Subdiaconatus Ordinem constitutos, qui continere carnis devicti vitio non valentes, uxores accipiunt, ecclesiasticis Beneficiis privandos esse.* Innocentius verò III. ait cap. 7. *Clericum uxoratum non posse gaudere privilegio clericali.* Decret. p. 1008.n.20. P.1009. nu.20. P. 1013. n.20.

His accedat S. Th. in 4. dist.37. q.1. a.1. ad 4. *Illi*, inquit, *qui sunt in minoribus Ordinibus constituti, ex vi Ordinis non prohibentur Matrimonium contrahere; quia quamvis Ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediatè habent accessum ad tractanda sacra, sicut illi qui sunt in sacris Ordinibus: sed secundùm statutum Occidentalis Ecclesiæ Matrimonii usus exequutionem Ordinis non sacri impedit, propter servandam majorem honestatem in Officiis Ecclesiæ;* T. 10. p. 552.col.1. D.

clesiæ; & quia aliquis ex Beneficio ecclesiastico tenetur ad executionem Ordinis, & ex hoc ipso privilegio clericali gaudet, ideo hæc apud Latinos Clericis uxoratis auferuntur.

ARTICULUS III.

De origine legis quæ sacros ministros perpetua continentia obstringit: an sit divina, an apostolica, vel dumtaxat ecclesiastica.

Continentiæ perpetuæ legem qua sacri tenentur ministri, divinam esse simpliciter & absolutè docuit Franciscus Turrianus in Libro de sexta Synodo, in expositione tertii Canonis. Observat Spencæus Lib. 1. de continentia cap.3. inter Scholasticos notos, solum Turrianum in hanc abiisse sententiam.

Jodocus Clictovæus Tractatu de continentia, sententiam hanc temperat. Vult quidem jure divino arceri sacros ministros ab uxoribus post Ordinationem ducendis, non autem ab usu uxorum quæ ante Ordinationem ductæ sunt. Hausit haud dubiè distinctionem hanc ex Majore qui in 4. dist.24. q.2. refert majorem partem Theologorum Parisiensium in hanc opinionem inclinasse. Verùm non immeritò observant Theologi posteriores, non satis secum cohærere hanc doctrinam: etenim conjugium per se ac ratione contractus, qui bonus est, laudabilis ac sacramentalis, non prohibetur Clericis, sed ratione usus & carnalis conjunctionis, quæ viros rebus sacris tractandis destinatos prorsus dedecet. Si igitur jure divino prohibentur sacri homines ab ineundo post Ordinationem conjugio, eodem jure ab usu conjugii antea contracti arcentur.

Communis Theologorum, quos longo ordine appellat Vasquez in 3. partem disp. 248. c.3. opinio existimat lege dumtaxat ecclesiastica injunctam esse majoribus Clericis perpetuam continentiam. Observa autem inter le-
P. 633. ges quæ apostolicæ dicuntur, alias esse quas Apostoli à Christo jussi tulerunt, quæ propriè loquendo divinæ sunt, ac necessitatem imponunt ut observentur; alias verò, quas Apostoli ut Ecclesiarum duces ac rectores, non ut divinas, sed ut ecclesiasticas proposuere ad disciplinam, & optimam Ecclesiæ administrandæ rationem, quæ cùm ecclesiastica dumtaxat nitantur auctoritate, vim obligandi non habent nisi ex præcepto Ecclesiæ unde mutationi obnoxiæ sunt; atque hoc dumtaxat sensu apostolicæ dici possunt, quòd ab Apostolis inductæ fuerint, & vel ab ipso eorum ævo observatæ, quamquam relictæ Ecclesiæ arbitrio. His præmissis

PRIMA CONCLUSIO.

Lex cœlibatus seu perpetuæ continentiæ sacris ministris imposita, nec divina est, nec propriè loquendo apostolica, sed dumtaxat ecclesiastica.

Probatur momentis jam adductis.

I. Concilium Ancyranum Can.9. superiùs à nobis citato Conclusione prima, ubi de disciplina Ecclesiæ Græcæ, permittit Diaconis uxores ducere, si tempore suæ Ordinationis contestati fuissent non posse se continere.

II. Intercedente Paphnutio abstinuit Synodus Nicæna à ferenda lege qua sacros

sacros ministros removeret à consortio & usu uxorum ante Ordinationem doctarum.

III. Idem Paphnutius, non renunentibus Patribus Nicænis, plenis Comitiis asseruit satis esse, si juxta veterem Ecclesiæ Traditionem, qui in Clerum fuissent adscripti, non amplius uxores ducerent. Traditionem hìc Ecclesiæ appellat, non Dei vel Apostolorum legem.

IV. Græci in Concilio Trullano suis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis licentiam dederunt, quæ etiamnum perseverat, retinendi uxores quas ante Ordinationem duxissent.

V. quoties unio & concordia facta est Græcorum cum Latinis, nusquam ipsis vitio datum quòd suis cohabitarent ac conjungerentur uxoribus, nusquam hæc ipsis imposita lex, ut ab uxoribus separarentur: at nunquam hæc profectò tolerasset Ecclesia, si divino vel apostolico præcepto vetita esse intellexisset; nusquam permisisset sic impunè violari ac proculcari legem divinam vel apostolicam.

VI. S. Epiphanius antea citatus hæresi 59. ait, continentiam Clericorum observari, ubi vigent ecclesiastici Canones: hanc ab Ecclesia constitutam, ut quæ maximè deceat sacros ministros, ibidem asseverat; aliquibus tamen in locis connivere ait Episcopos, ut ministri cum suis misceantur uxoribus. At hęc omnia demonstrant persuasum fuisse S. Doctori, legem continentiæ ecclesiasticam esse dumtaxat, non divinam, non propriè apostolicam. T. I. p. 496. num. 4.

Ipse pariter S. Isidorus Pelusiota Lib. 3. Epistola 75. apertè idem profitetur. *Castitas*, inquit, *& pudicitia subditos Sacerdotes creat, libido procul dubio ac lascivia Sacerdotibus dignitatem abrogat. Atque hęc quidem leges & ecclesiastica instituta sanciunt, verùm haud admodum istud fit.* P. 282. C.

VII. Si lex perpetuæ continentiæ à Christo vel ab Apostolis fuisset sacris ministris imposita, semper isti castitatem, saltem tacitè, professi fuissent cùm ad Ordines sacros admittebantur: atqui tamen S. Basilius Epistola 2. canonica ab Amphilochium Can. 19. non alios agnoscit castitatem profitentes, quàm Monachos. *Virorum autem professiones*, inquit, *non novimus, præterquam si qui seipsos Monachorum ordini addixerint, qui tacitè videntur cælibatum admittere: sed in illis quoque illud existimo præcedere oportere, ut ipsi interrogentur, & evidens ipsorum accipiatur professio, ut postquam ad libidinosam & voluptariam vitam se converterint, eorum qui fornicantur, punitioni subjiciantur.* Edit. vet. T. I. pag. 768. A.

Dices 1. Apostolus ad Titum cap. 1. v. 8. *Oportet*, inquit, *Episcopum sobrium esse, justum, sanctum, continentem.* Et 1. ad Timoth. 4. v. 12. *Exemplum esto fidelium .... in charitate, in fide, in castitate.* Et cap. 5. v. 22. *Te ipsum castum custodi.* Et 2. ad eumdem Epistolæ cap. 2. v. 4. *Nemo*, inquit, *militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Nuptias autem ad negotia sæcularia pertinere, per se clarum est; quot enim curas secum trahunt, ut uxoris sustentationi ab liberorum fortunæ consulatur? Igitur lex continentiæ qua sacris ministri coarctantur, apostolica est, cujus tam expressum mandatum dedit Apostolus.

Resp. Ex his testimoniis colligeretur, non modò apostolicam esse, sed verè divinam legem hanc continentiæ, quam debeant sub pœna damnationis æternæ religiosè custodire sacri ministri. Quid ita? quia eam recenset Apostolus inter dotes quibus illi carere non possunt sine salutis dispendio, ut patet exto-

Ad Titum 1. v 8. ex toto Apostoli contextu. Ait enim: *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, continentem.* Nonne quæso dotes illæ Episcoporum, quas tam districtè Apostolus præcipit, jure ac præcepto divino in illis sunt necessariæ? ita certè; ergo & ipsa continentia ab uxoribus. Atqui tamen id communiter negant Theologi; continentia ergo quam hìc commendat Apostolus, non est continentia ab uxoribus aut ducendis aut ductis, sed est continentia ab omni illicita voluptate. *Hæc est vera continentia;* ait S. Chrysostomus, *nulli vitio subjici.* Quo sensu S. Petrus Epistolæ 2. c.1. v.6. jubet omnes Fideles continentiæ operam dare; non quòd velit omnes ab uxoribus abstinere, sed ab illicitis desideriis & voluptatibus.

Eodem modo exponi potest castitas quam Timotheo commendat: in legitimo enim conjugio castitas servari potest, ac reipsa servari debet. Quamquam verò nuptiæ ad negotia sæcularia utcumque pertineant, jure tamen divino ab hujusmodi negotiis non arcentur sacri ministri; neque enim illa duo aut ex propria natura, aut ex divina institutione pugnant inter se, nempe ministrum sacris altaribus ea qua par est reverentia & diligentia inservire, & uxoris ac liberorum curam habere. Nonne Apostolus 1. ad Timoth. cap.3. v.4. Episcopi dotes recensens, inter cætera Episcopum exhibet *habentem filios subditos cum omni castitate, qui domui suæ benè præesse noverit?* non ergo hæc absolutè sunt incompossibilia, aut jure divino dissocianda. Cùm tamen difficile admodum sit, rebus sacris pertractandis liberum & expeditum esse ut oportet ministrum rei uxoriæ sollicitudine distractum, idcirco sapientissimè voluit Ecclesia, ministros suos uxoribus carere, ac perpetuam profiteri continentiam.

Tom. 1. p. 410. D. Dices 1. S. Epiphanius hæresi 40. n.7. ait legem continentiæ ab Apostolis *honestè ac religiosè* institutam fuisse.

Tom. 2. Conc. p. 1159. F. Patres Concilii Carthaginensis II. c.2. de eadem ajunt: *Quam Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas.*

T.4. p.2. p.242. S. Hieronymus Apol. adversùs Jovinianum, ait *idcirco aut virgines aut in æternum pudicos ad sacerdotium promoveri, quia Apostoli aut virgines fuere, aut continentes.*

Tom. 2. Conc. p. 1019. & seq. Siricius S. Pontifex in Epistola ad Himerium cap. 7. refert in divinam legem, quòd Sacerdotes ac Levitæ à die Ordinis sui ab uxoribus abstineant. Unde dicit 1. voluisse Christum ut Ecclesia castitatis splendore radiaret. 2. allata lege qua Sacerdotes veteris Testamenti vicis suæ tempore tenebantur ab uxoribus separari, ait Christum non venisse solvere legem, sed adimplere. 3. Sacerdotes nostros indissolubili lege adstringi ad continentiam. Illis igitur Veteribus persuasum fuit, continentiæ legem ab Apostolis derivatam esse.

Resp. dist. consequens: illis persuasum fuit continentiæ legem ab Apostolis derivatam esse, tanquam legem ecclesiasticam, concedo: tanquam legem divinam, nego. Patet solutio ex prænotatis initio hujus Articuli. Ad Siricium verò, resp. agere in ea Epistola S. P. adversùs eos Sacerdotes qui, ut ait initio, tam de conjugibus propriis, quàm de turpi coitu sobolem procreaverant, quique suum hoc facinus exemplo Sacerdotum veteris Legis defendebant; quibus meritò reponit S. Pontifex 1. in veteri Lege sacris ministris laxata non esse luxuriæ frena. 2. majoris perfectionis

nis

nis esse novam legem, adeoque nostros ministros ad majorem & arctiorem continentiam teneri. Meritò etiam affirmavit Siricius, voluisse Christum ut Ecclesia castitatis splendore radiaret, prout castitas illicitæ carnis voluptati opponitur: quo sensu divinam esse legem castitatis agnoscimus, non verò prout castitas excludit usum uxoris legitimæ; habet enim torus conjugalis suam castitatem. Atque hoc ipso etiam sensu dixit, Christum non venisse ut solveret, sed ut impleret legem, ac nostros Sacerdotes insolubili lege adstringi ad castitatem, hoc est ad pudicitiam & sobrietatem, non ad continentiam ab uxoribus, nisi velis loqui S. Pontificem de indissolubili lege ecclesiastica, quam fatemur ac defendimus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Lex perpetuæ continentiæ quam sacris ministris imposuit Ecclesia, æquissima est atque sanctissima, optimis nixa rationibus, quas irrito conatu convellere tentant Novatores.

Æquissimam ac sanctissimam esse hanc Ecclesiæ legem ostendunt rationes quibus innititur, & quas exponunt passim SS. Patres.

Prima petitur ex sanctitate ac puritate nostrorum mysteriorum, quæ nonnisi à puris ac mundis ministris contrectari debent.

Secunda, à numero & magnitudine officiorum quæ à sacris ministris impleri debent; totum enim hæc sibi vindicant hominem, non curis secularibus distractum & occupatum; unde Apostolus Timotheum admonens Epistolæ 2. c.2. ut laboret sicut bonus miles Christi Jesu, subjungit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Tertia, quia si monente S. Paulo 1. Corinth.7. tenentur Fideles conjugati ad tempus abstinere, ut vacare possint orationi, nonne oportet sacros ministros qui perpetuò orationi vacare debent, & incruento sacrificio operam dare, perpetuò continentes esse? Si enim Sacerdotes veteris Testamenti tempore vicis suæ (per vices enim in Templo ministrabant) tenebantur ab uxoribus suis abstinere, quantò magis Sacerdotes novę Legis, qui non per vices, sed semper altari sacro inserviunt, decet alienos esse ab omni rei uxoriæ commercio?

Quarta, quia cùm ex virgine matre natus sit Christus, decet maximè ut ab iis in sacrosancto Eucharistiæ sacrificio contrectetur, qui aut virgines sunt, aut perpetuò continentes. Has & similes rationes passim in adductis supra testimoniis deprehendere facile erit legenti: unum hic, ut infinita omittam, proferam S. Hieronymi testimonium ex Commentario ipsius in caput 1. Epistolæ ad Titum, En verba: *Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas; Relegamus Regum Libros, & inveniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare David & pueris ejus, nisi interrogaret, utrum mundi essent pueri à muliere; non utique aliena, sed conjuge. Et nisi eos audisset ab heri & nudiustertius vacasse ab opere conjugali, nequaquam panes, quos priùs negaverat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantùm inter umbram & corpora; inter imaginem & veritatem; inter exemplaria futurorum, & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque* T.4. p.1. p.418.

mar-

mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque & benignitas, præcipuè esse debent in Episcopo, & inter cunctos laicos eminentia: sic & castitas propria, & (ut ita dixerim) pudicitia sacerdotalis ut non solùm ab opere se immundo abstineant, sed etiam à jactu oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera .... Sit quoque Episcopus & abstinens, non tantùm (ut quidam putant) à libidine & ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus: ne ad iracundiam concitetur; ne illum tristitia dejiciat; ne terror exagitet, nec lætitia immoderata sustollat. Hæc S. Hieronymus.

Dices 1. Lex continentiæ adversatur mandato Apostoli, tum generali, tum speciali. Generali quidem: namque 1. Corinth. 7. v. 2. generatim pronuntiat, *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*. Et v. 9. *Si se non contineant, nubant; melius enim est nubere, quàm uri.*

Repugnat etiam speciali mandato quod Episcopos spectat; siquidem 1. ad Timoth. 3. v. 2. & ad Titum 1. v. 6. inter dotes quas in Episcopo desiderat Apostolus, hæc una est, *ut sit unius uxoris vir ..... filios habens subditos cum omni castitate ..... qui domui suæ benè præesse noverit.*

Resp. ad primum: 1. Apostolum loqui de conjugatis, qui cùm in Paganismo uxores duxissent, post conversionem ad fidem dubitabant an deberent uxoribus uti; quibus meritò dixit Apostolus, ut *unusquisque uxorem suam retineat*, ac conjugale debitum invicem reddant. Quòd autem absolutè non præcipiat omnibus & singulis Apostolus ut uxores ducant, patet ex v. 8. *Dico autem non nuptis*, inquit, *& viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego*. Et v. 27. *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.*

Non itaque iis qui vel ex voto, vel ex statu seu conditione vitæ ad continentiam sese alligarunt, hæc verba direxit Apostolus, *unusquisque uxorem habeat*; sed vel ad conjugatos, vel ad eos, quibus, cùm nullo sint voto obstricti nec possint continere, expedit nubere: *melius enim est nubere, quàm uri*. Ita interpretantur SS. Patres, Epiphanius hæresi 61. Chrysostomus L. de Virginitate c. 39. Hieronymus Lib. 1. contra Jovinianum c. 6. 7. & 8. Augustinus Lib. de bono viduitatis cap. 8. & Lib. 1. de conjugiis adulterinis cap. 15. Et verò ipsemet Apostolus 1. ad Timot. 5. v. 12. expressè damnat illas viduas, quæ post fidem promissionis Christo factæ, seu pactum cum Christo initum continentiæ deinceps servandæ, volunt nubere, *Habentes*, inquit, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Improbat igitur in ejusmodi viduis, post continentiæ votum nuptias, nedum eas ipsis imperat.

Resp. ad secundum: Nego, Apostolum hic absolutè jubere, ut Episcopus uxorem habeat, vel si habeat, ea utatur: ipse siquidem Paulus uxorem non habuit, nec habuit Timotheus aut Titus. *Non igitur*, ait hic S. Chrysostomus, *hoc veluti mandans dixit Apostolus, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed modum definiens*, hoc est exposuit qualis esse debeat uxor Episcopi, si eam habeat. (Edit. Comm. p. 1569.)

Duobus verò modis id exponunt interpretes.

I. ut Episcopus, Judæorum more, non plures simul habeat uxores, nec una repudiata eaque vivente aliam ducat. Ita S. Hieronymus scribens ad Oceanum: (T. 3. p. 2. p. 649.) *Ex Judæis*, inquit, *erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquiis congregabatur. Sciebat Lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Moysis; familiare populo noverat, in multis uxoribus liberos spargere: ipsis quoque*

que

que Sacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo ne eamdem licentiam Ecclesiæ sibi vindicent Sacerdotes: ne bina & trina pariter conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant. Hæc S. Hieronymus.

II. ut Episcopus non sit bigamus, id est unicam habuerit uxorem, non duas, nequidem successivè: unde Ecclesia vel ab initio bigamos tanquam irregulares à sacris exclusit Ordinibus. Utramque interpretationem adducit S. Chrysostomus Commentario in citatum Apostoli locum. *Non hoc*, inquit, *veluti sanciens dicit, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Judæis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio jungi, & itidem duas simul habere uxores .... Quidam verò hoc ita intelligunt, ut ad Episcopatum is assumatur, qui unius fuerit uxoris vir.* Edit.Com. p.1569.

Observat præterea S. Ambrosius Epist.63. ad Vercellensem Ecclesiam, Apostolum dixisse eligendum esse Episcopum *habentem filios, non facientem* id est, posse quidem in Episcopum eligi eum qui filios habeat, modò in posterum ab aliis procreandis abstineat. T.2.pag. 1037.A.

Dices 2. Hebr.13. v.4. Apostolus absolutè pronuntiat *honorabile esse connubium in omnibus*, ἐν πᾶσι, *& torum immaculatum*. Atqui quod est in omnibus honorabile nemini debet interdici. Et 1. ad Timoth.4. v.2. ait esse *spiritum erroris & doctrinam dæmoniorum, prohibere nuptias.*

Resp. ad primum: nego minorem. Si enim nemini interdici debet connubium, eo quòd in se bonum sit & honorabile, poterit igitur frater cum sorore, filius cum matre, conjugio copulari. An id ferrent Novatores? non puto. Quemadmodum igitur illegitimum & nullum est inter certas personas conjugium, ita & meritò Ecclesia voluit suos sacros ministros eo carere. Neque cuiquam propterea vim infert, aut laqueum injicit: neminem enim ad Clericatum invitum ac nolentem compellit; sed lege lata de continentia in Clericatu observanda, ei se liberè & ultro subjicere censendus est, qui ad Clerum sponte accedit: qui si non probatis priùs ac tentatis suis viribus, imprudens obtrudat sese, neque valeat subinde continere, sibi suam imputet culpam, atque jugis orationibus & lacrymis donum illud à Deo postulet qui misericors est, *ac rectè petentibus illud non denegat, nec patitur tentari nos supra id quod possumus*, ait Conc. Trid. Sess.24. Can.9. Tom.14. Conc. p. 875.D.

Resp. 2. plures esse horumce verborum, *honorabile in omnibus*, interpretationes, que Hæreticis minimè faveant.

Alii enim, ut Oecumenius, istud *in omnibus*, idem esse ajunt, ac *omni ex parte*; seu in omnibus quę sunt Matrimonii propria, sive Sacramentum spectetur, sive fides, sive proles: hæc quippe tria sunt conjugii bona; atque directè impugnat his verbis Apostolus Hæreticos qui nuptiarum honestatem ac sanctitatem negant. Tom.2.p. 430.A.

Alii, ut S. Fulgentius L. de fide ad Petrum cap.3. *in omnibus* interpretantur *apud omnes*. Et sensus est, Nemo debet conjugium reprehendere, etiamsi virginitatem ille profiteatur. P. 520.

Alii, ut Theophilactus in hunc locum, sic explicant *in omnibus honorabile connubium*; nempe in omnibus legitimè conjunctis, sive juvenes sint, sive senes, sive nobiles, sive plebęi, sive Græci, sive Judæi. P. 1022.

Alii denique, ut S. Chrysostomus, sic explicandum existimant, ut pręcipuè istud *in omnibus* referatur ad personas, ita ut iste sit Apostoli sensus: conjugium sit omnibus vobis honorabile, & torus immaculatus; id est, Præcipio ut omnes, qui in conjugio estis, servetis honorem Edit.com. p.1966.

conju-

conjugii, & torum sine macula: id verò fiet, si nec violetur conjugii fides per adulterium, nec quidquam ab ipsis conjugibus inter se committatur, quo tori conjugalis pudicitia & castitas maculetur.

Atque hæc postrema explicatio videtur maximè litteralis & scopo Apostoli congrua: tum quia in hoc capite tradit præcepta ad mores pertinentia, quibus admonet quid *fieri debeat*; tum quia hanc præcepti sui rationem tradit, eodem versu, *Fornicatores autem & adulteros judicabit Dominus*.

Resp. 3. ad secundum testimonium ex c.4. 1. Epistolæ ad Timoth. distinguo: est spiritus erroris & doctrina dæmoniorum prohibere nuptias, tanquam per se malas & à Diabolo inventas, ut senserunt aliqui Hæretici, quos exoriendos fore monet ibid. v.2. Apostolus, *Novissimis*, inquit, *temporibus discedent quidam à fide ..... prohibentes nubere*, concedo, est spiritus erroris & doctrina dæmoniorum prohibere nuptias, studio dumtaxat majoris perfectionis, & iis tantùm qui scientes & liberi eam vitæ conditionem amplectuntur, cui annexa est continentiæ perpetuæ professio, nego. Hoc autem posteriori modo prohiberi ab Ecclesia nuptias sacris ministris, negare non possunt Novatores, nisi frontem omnem posuerint.

Dices 3. Matrimonium est de jure divino, Gen.1. v. 28. *Crescite & multiplicamini*. Est etiam de jure naturæ, ut patet ex naturali hominum inclinatione & appetitu: atqui juri divino & naturali aliqua lege humana derogari non potest.

Resp. 1. ex istis Scripturæ verbis colligi dumtaxat posse, & institutionem Matrimonii in officium naturæ, & virtutem multiplicandi quam Deus homini concessit, non autem obligationem & absolutum præceptum multiplicandi: alioquin & eamdem legem brutis dedisset animantibus, quibus pariter dixit, *Crescite & multiplicamini*, quæ tamen præcepti sunt incapaces; & virginitatem damnasset, quam tamen ipse coluit Christus, quam impensè commendat Apostolus, *Dico*, inquit, *non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant. Qui virginem suam Matrimonio conjungit, benè facit qui non conjungit, meliùs facit*. 1. Corinth.7. v.38. Deinde observant SS. Hieronymus & Augustinus, addidisse Deum, *& replete terram*: ut nimirum intelligatur, hoc præceptum, si quod fuit, spectasse tantùm initium mundi quo terra erat vacua.

Resp. 2. inclinationem naturalem unicuique inditam ostendere quidem licitum esse omnibus uxores ducere, sed non probare sub præcepto omnibus injunctum esse ut uxores ducant: atque, ut jam observavimus, neminem invitum ad continentiam cogit Ecclesia, cùm neminem invitum compellat ad Ordines sacros percipiendos; sed si eam vitæ rationem quis liberè amplexus fuerit, cui Ecclesia sapienter annexam esse voluit continentiam, hunc ad illam servandam severè adstringit: & certè in aliis vitæ civilis officiis ac muneribus, tenetur quilibet ad ea vocatus & sponte accedens, ea implere omnia quæ his officiis ac vitæ instituto annexa voluit esse Rex aut Respublica.

Unde ad minorem in forma sic responderi potest: juri divino & naturali, quod est præcepti, derogari non potest, concedo: juri divino ac naturali, quod est permissionis & voluntatis, nego.

Instabis 1. Non potest Ecclesia id prohibere, quod omnibus Deus libe-

liberum reliquit, dicente ipso Christo Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Atqui Deus omnibus liberum reliquit Matrimonium; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si Deus Ecclesiæ suæ non dederit potestatem condendi novas aliquas leges quæ spectent disciplinam, concedo: secus, nego. At potestatem hanc Ecclesiæ dedit Christus, cùm dixit: *Qui vos audit, me audit. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Obedite præpositis vestris &c.* Lex aûtem continentiæ spectat disciplinam. Citata Christi verba non sunt ad rem præsentem: negant quippe solvendum esse conjugale vinculum quod per libellum repudii solvebant Judæi; sed non imperant ut omnes eo se vinculo adstringant.

Instabis 2. Dura est, imò injusta, lex quæ tot juvenibus ministris laqueum injicit, ac tot nefandis voluptatibus aperit aditum & occasionem subministrat.

Resp. 1. legem hanc non injicere laqueum iis qui ut oportet præparati, ac post vires suas probatas seriumque ac diuturnum examen, liberè amplectuntur Clericalis vitæ institutionem, cui sciunt annexam esse perpetuam continentiam: qui aliter sacris se immiscent ministeriis, sibi ipsis laqueum injiciunt, nec aliud remedium ipsis in promptu est, quàm ut lacrymis scelus eluant, ac continentiæ donum suppliciter à Deo postulent.

Resp. 2. omnino esse per accidens, & contra mentem legis, quòd aliquibus incommodis & malis occasionem aperiat: non lex ipsa, quæ sancta est, sed humana perversitas incusanda est. Quòd si lex tanquam injusta damnanda sit, eo quòd ejus occasione nonnulli injustè agant, expungenda forent ac de medio tollenda Sacramenta, quæ sacrilegorum profanationi quotidie patent.

Dices denique: 1. ad Corinth. 9. v. 5. testatur Apostolus se potestatem habuisse ducendi uxorem: *Numquid*, inquit, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* At, quod licitum fuit Apostolis, quare Presbyteris & Diaconis prohibetur?

Resp. 1. Si locus iste de veris uxoribus intelligatur, nihil adversùs causam Ecclesiæ probat, nisi certum ex eo sit Apostolos iis suis uxoribus usos fuisse: ut enim antea observavimus, prohibitum primis temporibus non fuit Episcopis & Presbyteris domi retinere uxores quas ante Ordinationem suam duxissent, quamquam eas ut sorores haberent, *ad charitatem conjugiorum servandam*, ait S.Leo, *non ad opera nuptiarum*. At non tantùm ex hoc loco non potest demonstrari Apostolos suis uxoribus usos fuisse, sed nec etiam eas domi secum retinuisse: *Ecce nos reliquimus omnia*, dicebat S. Petrus ad Christum Matth.19. v.29. *& secuti sumus te*. Christus autem explicans ibidem quid sit relinquere omnia, ait: *Omnis qui reliquit patrem, & matrem, & uxorem*. Igitur Apostoli, si quas habuerunt uxores, eas, ut Christum sequerentur, dereliquerunt: quamquam communiter censeant SS. Patres, solum inter Apostolos S.Petrum conjugatum fuisse. Ita S. Hieronymus, ut alios taceam, Lib.1. adversùs Jovinianum, *Quamquam*, inquit, *excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd uxores habuerint; & cùm de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet.*

To.1. p. 407.

T.4. p.2. p.167.

Resp.

Resp. 2. per mulieres illas intelligi aliquas pias mulieres, quæ ex singulari in Apostolos & Evangelium affectu eos sequebantur ad ministerium & victum parandum, non ad voluptatem. *Non quòd*, ait S. Isidorus Pelusiota L. 3. Epistola 176. *ii qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent: quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, si ipsimet in voluptatum cœno volutantes deprehensi essent?* Non erant igitur mulieres illæ uxores Apostolorum, unde ruit, quod ex hoc textu deducunt argumentum Novatores.

P. 327. A.

Atque hæc dicta sint de Sacramento Ordinis, in quo exponendo si quid nobis incautis minùs sanum & rectum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX AD SACRAMENTUM ORDINIS.

De Censuris.

DUabus Quæstionibus omnem de Censuris tractationem complectemur. Prima de Censuris in genere, secunda de Censuris in particulari.

QUÆSTIO PRIMA.

De Censuris in genere.

CIrca Censuras generatim sumptas hæc quæruntur.
I. Quid sit Censura.
II. An Ecclesia potestatem habeat ferendi Censuras.
III. A quibus Censuræ ferri possint.
IV. In quos ferri possint Censuræ.
V. Quæ sint observandæ formalitates in ferendis Censuris.
VI. Ob quam causam seu culpam ferri possint aut debeant Censuræ.
VII. Quæ causæ à Censura excusent.
VIII. De absolutione à Censuris.
IX. Denique, quomodo dividatur Censura.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Censura.

CEnsura vulgò definitur, *Pœna ecclesiastica & medicinalis, per quam homo baptizatus, delinquens & contumax privatur usu quorumdam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1. *pœna ecclesiastica* seu spiritualis, id est punitio & vindicta criminis, quam soli Ecclesiæ Prælati infligere possunt: solius enim ecclesiasticæ potestatis est privare subditos bonis spiritualibus. Hæc verò particula, *pœna ecclesiastica*, genus est proximum Censuræ, quod illi commune est cum aliis pœnis ecclesiasticis, v. g. depositione, degradatione &c. qua ex parte differt ac distinguitur tum à cessatione à divinis, quæ non tam pœna est, quàm signum luctus ac tristitiæ, tum ab irregularitate, quæ ex sua ratione generica non est pœna: omnis quippe pœna supponit peccatum, porro plures irregularitates non supponunt peccatum, sed oriuntur ex solo defectu, puta corporis vel animi.

Dicitur 2. *medicinalis*, id est inflicta ut reus emendetur & resipiscat, Nam ut patet ex Jure canonico, præsertim ex cap. *Medicinalis*. *De sent. excommunicationis*. in Sexto, Ecclesia primariò ac principaliter in votis habet resipiscentiam peccatoris contumacis per Censuræ castigationem; atque

idcirco de ratione Censuræ est, ut sit vinculum dissolubile, quod per absolutionem solvitur statim atque peccator fuerit emendatus: qua ex parte Censura differt ac distinguitur à puris pœnis, quæ infliguntur ad punitionem delinquentis, v.g. à depositione degradatione, irregularitate ex delicto, quæ pœnæ ordinariè remanent etiam post emendationem peccatoris.

Dicitur 3. *per quam homo baptizatus, delinquens ac contumax*: ut exprimantur conditiones illius, in quem ferri possunt Censuræ. Cùm enim Censura sit actus jurisdictionis ecclesiasticæ. 1. supponit in homine subjecto Censuræ, ut sit baptizatus; Ecclesia quippe jurisdictionem suam in extraneos, seu non baptizatos exercere non potest. 2. cùm sit pœna, supponit culpam. 3. cùm sit medicinalis, supponit delictum præteritum non esse, sed peccatorem animo contumaci in eo persistere: è contra depositionis & degradationis pœna ferri potest etiam propter peccatum præteritum, quamquam emendatum, ut jam dictum est.

Dicitur 4. *qua privatur usu quorumdam bonorum spiritualium*, scilicet sacrificii, Sacramentorum, suffragiorum Ecclesiæ, spiritualis jurisdictionis, Beneficiorum, aliorumque hujusmodi bonorum, quorum dispensatio Ecclesiæ commissa est; atque ita distinguitur Censura à pœnis merè temporalibus, quas Judices sæculares in delinquentes decernunt.

Dicitur autem privari *usu quorumdam bonorum spiritualium*, non *omnium*, sed eorum dumtaxat quæ sunt in potestate Ecclesiæ, v.g. sacrificii, Sacramentorum &c. alia etenim sunt communia & interiora bona, quibus Ecclesia privare non potest, v.g. donis gratiæ, virtutibus infusis fidei, spei & charitatis.

Dicitur præterea, privari *usu*, non autem ipsa facultate seu potestate, v.g. titulo Beneficii. Censura quippe suspendit ac impedit usum seu exercitium potestatis, donec delinquens à contumacia recedat, non ipsam verò tollit potestatem; in quo iterum differt Censura à depositione & degradatione, quæ in perpetuum privant usu & exercitio sacrarum functionum, imo &, quantùm est ex se, tollunt facultatem eas exercendi.

Dicitur denique, *bonorum spiritualium*, non verò temporalium; nisi saltem indirectè ac secundario, quatenus bonum temporale ad spirituale refertur, qualis est v.g. convictus & societas cum Fidelibus qua privantur, qui excommunicati sunt.

ARTICULUS II.

An Ecclesia potestatem habeat ferendi Censuras.

NEgant Novatores Lutherani & Calvinistæ, qui aliquam dumtaxat excommunicationis speciem ac larvam admittunt, ad conservationem morum & disciplinæ. Non ignorant enim, dissoluto semel arctioris disciplinæ nervo, projectam laxari ad omne facinorum genus licentiam: quapropter non ausi sunt omnem penitus excommunicationis pœnam & jugum excutere; verùm excommunicatio illa, in eorum mente, purè externa est, nec intus ligat. *Excommunicationes*, ajebat Lutherus articulo 18. inter eos quos Leo X. S. P. damnavit an. 1522. *sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus*. Illusoriæ igitur sunt,

& ad

& ad evanidum mulierculαrum & indoctæ plebis terrorem efficta. Fluit error ille, tamquam ex fonte, ex alio duplici errore. 1. Ecclesiæ Prælatos seu Superiores non habere potestatem ferendi leges quæ conscientiam obstringant. 2. Omnem clavium potestatem in fonte ac radice, seu ut ajunt, *in proprietate*, sedem habere seu residere in ipsa Ecclesiæ totius, prout populum ipsum etiam complectitur communitate; usum verò ac ministerium seu exercitium hujus potestatis esse penes Superiores ecclesiasticos, tamquam à communitate delegatos, qui, ut ait Quenellius, *neminem possunt excommunicare, nisi de consensu præsumpto totius populi*. Eò reduci videtur sententia, quam recentiores aliqui Quenellii patroni non obscurè tuentur, non esse scilicet in Ecclesia monarchicam & absolutam auctoritatem spiritualem condendi leges, sed totum ejus ministerium, humilitatis esse, mansuetudinis, charitatis; non imperii, non dominationis, juxta istud Christi, *Reges gentium dominantur eorum.... vos autem non sic*. Verùm in Luc. 22. turpi æquivocatione hærent illi ac laborant: quasi ista duo pugnarent v. 25. inter se, quæ tam amicè conciliantur, nimirùm, esse in Ecclesia absolutam & monarchicam potestatem in spiritualibus ad regimen animarum, earumque æternam salutem unicè pertinentibus, quæ non cum fastu, superbia, tyrannide, ac impotenti dominationis studio conjuncta sit, sed cum humilitate, mansuetudine, charitate. Ecclesiastica quippe auctoritas in destructionem esse non potest, Deo ita providente, sed in ædificationem; neque enim fieri unquam potest, ut Ecclesia, cui semper præsens adest Spiritus sanctus, sua, in detrimentum animarum abutatur auctoritate. Quòd si aliquis privatus ea præposterè abusus fuerit, arguendus ille est, non ipsa culpanda auctoritas Ecclesiæ, quæ quidem severitate utitur in suis Censuris, non ut perdat, sed salvet; sævit, ut parcat faciliùs; castigat, ut emendet. Itaque sit

CONCLUSIO.

Ecclesia potestatem habet ferendi Censuras.

Probatur 1. ex Scripturis. Matth. 16. v. 19. Christus alloquens S. Petrum hanc ipsi potestatem promisit ac tradidit: *Tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Ignorat nemo, nomine *clavium*, hic auctoritatem intelligi. Quod Petro nominatim, ob dignitatem primatus, promittit Christus, cæteris etiam Apostolis concessit Matt. 18. v. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo*. Hìc verò sermonem esse de potestate ferendi Censuras, manifestum est ex iis quæ præcedunt, ubi v. 15. & seq. de correptione fraterna Christus ait: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & eum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*. Per ista autem verba, *dic Ecclesiæ*, Superiores ecclesiastici designantur: istorum verò, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, sensus est, separetur ut indignus ecclesiastica communione ejusque fructu.

Hac sibi à Christo tradita potestate usi sunt Apostoli. 2. Cor. 10. v. 6. *In promptu habentes*, ait S. Paulus, *ulcisci omnem inobedientiam*. & 1. Cor. 4. v. 21. *Quid vultis*, inquit, *in virga veniam ad vos, an in charitate & in spiritu mansuetudinis?* Cap. verò 5. v. 3. de incestuoso ait: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*. Denique 1. ad Timot. 1. v. 20. *Ex quibus*, ait, *est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare*.

Probatur 2. quia potestatem hanc exigit benè ordinata Ecclesiæ constitutio, in qua *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclasiam Dei*. Ad optimum quippe societatis cujuslibet, quantò magis ecclesiasticæ, regimen necesse est Superiores esse qui legum severitate malos coerceant, ad cæterorum exemplum, ut qui scilicet recti amore non ducuntur, saltem pœnarum metu sese in officio contineant.

Probatur denique usu & constanti Ecclesiæ praxi in ferendis Censuris, ac puniendis malis pœnis ecclesiasticis inflictis, cujus quidem disciplinæ tot extant argumenta, quot ferè Statuta Conciliorum. Egregiè Tertull. Apologet. c. 39. de conventibus Christianorum dicebat, inter alia multa:
P. 32. *Ibidem exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & judicatur cum magno pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegetur*.

ARTICULUS III.

A quibus ferri possunt Censuræ.

CONCLUSIO.

Censuræ ferri possunt ab omni & solo Prælato ecclesiastico, vel ejus delegato, id est à Clerico jurisdictionem ordinariam vel delegatam habente in foro externo.

Ratio manifesta est, quia potestas ecclesiastica fori externi tota ordinatur ad servandam morum disciplinam per leges ac præcepta: atqui otiosa prorsus illa foret ac illusoria, nisi propositis pœnis ac censuris, veluti quodam fræno, rebelles ac contumaces continere & ad obedientiam cogere posset. Ita ex omnium Theologorum sententia, ac ipso Jure canonico cer-
Decret. p. 209. tum & exploratum est, maximè ex toto titulo, *De officio judicis ordinarii*.

Nomine autem Prælati ecclesiastici intelligitur omnis Clericus habens jurisdictionem in foro externo; quales sunt 1. S. Pontifex in tota Ecclesia. 2. Episcopi in suis Diœcesibus, eorumque Vicarii generales & Officiales. 3. Capitulum Ecclesiæ cathedralis Sede vacante. 4. Prælati etiam regulares respectu suorum subditorum. Non ita est de Parochis, qui sub titulo & appellatione Prælatorum non continentur, nec ulla saltem perfecta fruuntur in foro exteriori jurisdictione.

Ut

Ut autem potestas ferendi Censuras validè exerceatur, requiritur 1. ut sit libera, non ligata nec impedita per censuram excommunicationis vel suspensionis. Cap. *Audivimus*. Causa 24. qu. 1. 2. ut auctor Censuræ liberè agat, & sui sit compos. 3. ut Censura in subditum feratur. Cap. *A nobis*. *De sent. excommun.* *Decret. Grat. p. 1890.*

Dixi in Conclusione, Censuras ferri posse ab omni & solo Prælato, *vel Clerico ab illo delegato*. Cap. *Præterea*. *De officio judicis delegati*. Excluduntur ergo Laici omnes, item & feminæ, quibus clavium potestas concessa non fuit; imò & ipsæ Abbatissæ, licèt aliqua fruantur jurisdictione. Cap. *Dilecta*. *De majoritate & obedientia*. ubi dicitur quòd Abbatissa, Moniales & Clericos suæ jurisdictioni subjectos excommunicare non possit; sed Prælatus Ordinis, vel Episcopus. Nec refert quod ibidem dicitur, pertinere *ad Abbatissam dictas personas, propter inobedientias & culpas, officio Beneficioque suspendere*. Namque ut rectè observat Suarez, nomen suspensionis hic propriè & in rigore non sumitur pro Censura ecclesiastica, quàm qui violat, irregularitatem contrahit; sed lato ac improprio sensu, nempe pro præcepto seu sententia, per quam Abbatissa Clerico v.g. jurisdictioni suæ per accidens subjecto ratione alicujus Capellæ ad ipsam pleno jure ex privilegio vel præscriptione pertinentis, prohibet celebrationem Missarum, donec satisfecerit, atque interea eidem honorarium subtrahit. *Decret. p. 1890.* *Ibid. Pag. 330.* *Ibid. pag. 431.*

ARTICULUS IV.

In quos ferri possint Censuræ.

CONCLUSIO.

Censuræ ferri possunt in omnes & solos homines baptizatos, viatores, rationis & doli capaces, ac subditos.

I. Solus homo subjectum capax esse potest censuræ: unde cùm audis locustas v.g. aliaque hujusmodi nociva animalia interdum excommunicari, vel anathematizari, cave intelligas veram excommunicationem, quæ censura est; est enim solummodo quædam adjuratio & oratio facta pro ipsorum interitu vel expulsione.

II. Homo *baptizatus*, quia Ecclesia nullum jurisdictionem habet in non baptizatos, etiam catechumenos. *Quid enim mihi de his qui foris sunt, judicare?* ait Apostolus 1. Cor. 5. v. 12. Habet tamen jurisdictionem in Hæreticos, Apostatas, aliosque hujusmodi baptizatos.

III. Homo *viator*; *Quodcunque solveris super terram*: mortui scilicet nec amplius subsunt Ecclesiæ, nec contumaces esse possunt aut emendari; ac proinde propriè ac directè censura ligari non possunt. Quando igitur in Jure canonico legimus mortuos excommunicari intelligi debet vel de quadam execratione ac detestatione, vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerant, & in qua mortui sunt; vel de excommunicatione indirecta, qua Ecclesia prohibet ne pro ipsis sacrificium offeratur, ac preces consuetæ fundantur. Sic egit Innocentius I. S. P. adversùs Arsacium pseudoepiscopum post ejus mortem. *Arsatium*, inquit scribens ad Arca-

Niceph. l. 15. hist. cap. 34. Tom. 2. p. 420. dium Imperatorem, *quem pro magno Joanne Chrysostomo in torum episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, unà cùm omnibus, qui consultò cum eo communicaverunt Episcopis; cujus etiam nomen sacro Episcoporum albo non inscribatur.*

Qua ratione mortuum excommunicare potest Ecclesia, ita & ab excommunicatione absolvere, sive permittendo ut pro illo sacrificium & preces offerantur; sive declarando latam fuisse excommunicationem in eum, qui revera criminis, cujus accusabatur, reus non erat; sive quia, etiam supposita criminis veritate, sinceram de illo egerat pœnitentiam. Hæc porro absolutio juridica non est sententia, sed vel simplex declaratio status in quo ille defunctus est, vel restitutio in honore ac fama.

IV. Homo *rationis ac doli capax*: quia scilicet infantes vel perpetuò amentes incapaces sunt peccati, ac proinde præcepti ac Censuræ. Quo ad pueros, consentiunt Doctores posse impuberes doli capaces incidere in Censuram à jure latam. Patet ex cap. 1. & finali *De sent. excommun.* Negant aliqui de Censura ab homine. Ætatis impuberis nomine intelligitur ea, quæ nondum attigit annum duodecimum quartum in masculis, & annum duodecimum in puellis.

V. Homo *subditus*: Censura enim est actus jurisdictionis, quæ non potest exerceri, nisi à Superiore in subditos.

Quæres 1. an extranei, advenæ, peregrini obstringantur Censuris eorum locorum per quæ transeunt sine animo hìc permanendi.

Duplex hìc distinguenda Censuræ species, una quæ à jure, seu statuto & lege communi; altera verò quæ ab homine seu judicis sententia lata est.

Resp. igitur 1. communiter sentire Theologos, extraneos, advenas & peregrinos ligari posse Censuris à jure suo statuto communi latis: unde peregrinus, qui homicidium patraret in aliqua Diœcesi, in qua sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibitum est, hujusmodi excommunicatione ligaretur. Ratio est quia ex cap. *Licet. De foro competenti.* ratione delicti quis forum sortitur, & fit quodammodo subditus; ergo ubi peccavit extraneus, ibi & plecti potest: statutum quippe seu lex publica & communis, *immediatè afficit territorium*, ut quotquot in eo degunt, rectè ac convenienter vitæ suæ rationem componant ad publicum bonum, pacem & tranquillitatem totius regionis. Est autem regula juris 55. in Sexto, ut qui sentit commodum, sentiat & incommodum seu onus: atqui peregrini & advenæ gaudent commodis eorum locorum in quibus versantur; ergo &c. (Decret. p. 559.)

Resp. 2. extraneos & peregrinos non ligari Censura quæ est *ab homine*, id est sententia judicis pro peccatis futuris, si tempore latæ sententiæ nondum illius territorium ingressi fuerant. Ratio est, quia sententia refertur ad tempus quo pronuntiatur, & tunc vim omnem suam exerit in eos in quos fertur; ergo ad illos non extenditur, qui tempore latæ sententiæ subditi non erant: quæ quidem responsio vera est, sive extraneus sit in aliena Diœcesi animo ibi commorandi, vel non.

Resp. 3. extraneum ligari aliquando posse Censura per statutum, tametsi tempore latæ sententiæ nondum ingressus sit Diœcesim. (Decret. p. 1890.)

Probatur ex conditione statuti seu legis quæ futura considerat, ex Glossa in caput *A nobis nonnisi subditi. De sent. excomm.* estque perpetua *sive perpetuò loquitur*, ex lege *Ariani*. cap. *Cunctis*. codice *De Hæreticis*. Ergo futuros (Cod. l. 1. tit. 5. p. 991.)

ros subditos obligat; adeoque potest extraneus ligari Censura lata per statutum, antequam Diœcesim ingrederetur.

Ista porrò sententia stat ac viget, non tantùm pro illo qui versatur in aliena Diœcesi animo commorandi per aliquod tempus, sed etiam de hominibus peregrinantibus. Ratio Suaris disp. 5. Sect. 5. nu. 14. hæc est, quia eo ipso quo statutum fertur *pro territorio*, subjectio ad illud oritur ex actuali existentia & conversatione in tali territorio, propter obligationem quasi naturalem, quæ inde procedit. quòd singuli teneantur mores & statuta illius regionis sequi, in qua versantur; ex quo sequitur, errantes & vagos ligari posse Censuris per statuta latis in locis in quibus obiter reperiuntur; quod quidem eò verius est de illis, qui cùm nullum peculiare domicilium habeant, tenentur legibus Episcopi hujus loci in quo sunt.

Quæres 2. an Diœcesani Censuris sui Episcopi ligari possint extra Diœcesim existentes.

Resp. ex communi sententia non ligari Censuris per statutum latis, si extra Diœcesim existentes crimen commiserint; quia statutum non obligat extra territorium. cap. *Ut animarum. De Constitut.* in Sexto. Addendum nihilominus, subditos, quamvis extra Diœcesim existentes, aliquando censeri delinquere in propria Diœcesi, seu ibi consummare peccatum sub Censura prohibitum, ideòque etiam Censuram incurrere. V. gr. Ecclesiastici ubicunque sint, cogi possunt per Censuras ad residentiam, vel ut veniant ad Synodum; tunc enim propriè omissio eo in loco consummatur, in quo hæc fieri debent; incurrunt etiam Censuram, si lata fuerit sub conditione, sed cum ordine seu respectu ad delictum præteritum, vel debitum contractum tempore prioris domicilii, ut si v. g. dicatur: Nisi qui furatus est, restituerit; vel, Nisi qui delicti auctorem novit, revelaverit; vel, Nisi qui debet, satisfecerit intra mensem, sit excommunicatus; tunc si ante mensem expletum mutet domicilium, elapso mense incidet in Censuram, quia manet adhuc subjectio in ordine ad talem causam utpote cœptam. cap. *Proposuisti. De foro competenti.*

Respondeo 2. Diœcesanos extra Diœcesim existentes ligari Censuris ab homine latis: quia Censura ab homine immediatè & per se afficit eos quibus hæret, quocumque secesserint.

Quæres 3. an qui Censura jam ligatus est, possit adhuc alia ligari, non tantùm diversæ, sed ejusdem rationis.

Resp. nihil obstare. Nonne potest homo pluribus vel diversis peccatis mortalibus gratiam sanctificantem deperdere? Qui ergo successivè plures Clericos percuteret, aut eumdem pluries cum morali interruptione, ille pluries repetitam excommunicationem contraheret. At, inquies, unica dumtaxat communione privatur. Fateor; at multiplici titulo illa privatur.

Quæres 4. an Episcopus extra propriam Diœcesim existens suum subditum ligare possit.

Resp. non posse, quia ex Clementina, *Quamvis. De foro competenti.* sacris Canonibus cautum est ne quis Episcopus jurisdictionem exerceat in Diœcesi aliena: porrò Censuram ferre, actus est jurisdictionis.

Dices: Potest Superior existens in Diœcesi aliena subditum absolvere in foro conscientiæ: quidni: & Censura eum ligare?

Resp. disparem esse causam; siquidem in absolutione exercetur jurisdictio

voluntaria, in Censuris verò ferendis, contentiosa. In priori nullus est judicialis strepitus, nullum alteri damnum seu præjudicium infertur; non ita verò in jurisdictione contentiosa.

ARTICULUS V.

Quæ observandæ sint formalitates in ferendis censuris.

OBserva duplicem esse monitionem: alteram non canonicam, alteram verò canonicam.

Non canonica nihil est præter legem, aut sententiam Superioris aliquid præcipientis aut prohibentis sub pœna Censuræ.

Canonica ea est per quam Superioris auctoritate per sententiam admonetur reus personaliter, saltem indeterminatè, ut à culpa resipiscat, vel satisfaciat, nisi velit Censuram incurrere. Hoc supposito sit

CONCLUSIO.

Requiritur prævia monitio canonica ad Censuram, quæ ab homine infligitur pro culpa præterita aut præsenti.

Probatur 1. ex Apostolo ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* 2. ex Jure canonico, cap. *Sacro.* cap. *Romana.* tit. *De sententia excommunicationis.* in Sexto. cap. *Cum speciali.* tit. *De appellatione.* &c. 3. Gregorius X. in Conc. Lugdunensi decernit irritam fore excommunicationem, nisi præcedat monitio. *Judices*, inquit, *sive monitionibus tribus utantur, sive una, pro omnibus observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas ea aliter suaserit moderanda.*

Tom. 11. Concil. p. 993.

Dixi in conclusione, *canonicam monitionem exigi ad censuram quæ ab homine infligenda est pro culpa præterita aut præsente;* in qua reus contumaciter persistit, vel pro ea satisfacere jussus recusat. In omnibus enim Censuris à jure, imò & in Censuris ab homine pro culpis futuris, non requiritur admonitio distincta ab ipsa lege vel prohibitione, quia ipsa lex seu præceptum Superioris continua quædam est ac publica admonitio; & contumax meritò judicatur qui publicatæ legi non paret.

His adde ex cap. *Constitutionem. De sent. excom.* in Sexto, canonicam monitionem ex juris præcepto, ut Censura justa sit, trinam esse debere, interposito aliquorum, saltem duorum vel trium dierum intervallo. Patet ex Can. *Omnes decimæ* 17. qu. 7.

Quòd si criminis aut mali impendentis periculum, factive urgens necessitas interdum aliud postulet, ac dilationem non patiatur, tunc à Judice, unica facta monitione, Censura infligi potest, juxta caput *De illicita*, causa 24. q. 3. & caput *Reprehensibilis. De appellationibus.*

Porrò canonica monitio ad reum personaliter ferri debet, si nihil obstet: quando verò vel ipse malitiosè latitat, satis est monitionem cum comminatione ad ipsius domum fieri; vel si ad ejus domum non patet accessus, ad Ecclesiæ valvas, vel ad alium publicum locum affigi unde ad ipsum notitia pervenire possit, ut ex variis juribus probat Glossa super cap.

Quo-

Quoniam frequenter, parag. *Porrò ut lite non contestata*. Sin autem per contumaciam non comparet, etiam absens excommunicari potest.

Quæres quomodo facienda sit denuntiatio illius qui Censuram contraxit.

Resp. hujusmodi denuntiationem fieri non posse, nisi auctoritate Superioris legitimi, aut ab ipso delegati; idque publicè in Ecclesia, vel scripto affixo ad valvas Ecclesiæ, juxtà morem receptum cujusque Diœcesis fieri debere, ut colligitur ex cap. 1. *De sententia excommunicationis*, in Sexto, & satis constat ex usu & praxi Ecclesiæ.

ARTICULUS SEXTUS.

Ob quam culpam ferri possint Censuræ.

CONCLUSIO.

Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum externum, junctum cum contumacia & inobedientia contra Ecclesiam; illudque, saltem ordinariè, mortale ac consummatum, seu in genere suo completum.

I. Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum; Censura quippe pœna est ecclesiastica spiritualis, & quidem medicinalis, quæ culpam supponit.

II. Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum externum, quia peccatum merè internum Ecclesia non punit per Censuras, ut supponitur cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuis*. *De simonia*. Unde Censuræ adversùs Hæreticos latæ eos non ligant, qui exterius hæresim non produnt.

III. Censuræ feruntur ob peccatum cum inobedientia, & contumacia conjunctum: namque ex communi usu Ecclesiæ, & ex solo titulo *De sent. excom.* in Quinto & Sexto Decretalium, constat Censuras non incurri nisi ab eo, qui Ecclesiæ monitiones spernit, seu qui post Ecclesiæ præceptum sub pœna Censuræ latum non desinit à peccato patrando.

IV. Infliguntur Censuræ ob peccatum ut plurimùm grave ac mortale: quia Censuræ, saltem præcipuæ & totales, præsertim verò major excommunicatio, gravissimæ pœnæ sunt, quæ nonnisi ob gravem causam ferri debent. Quia tamen quædam est species excommunicationis, quæ minor dicitur, ac suspensio ad brevissimum tempus, & ab aliquo dumtaxat officio, quæ gravem non supponunt culpam, aut propriam, aut alienam, idcirco dixi, Censuram *ut plurimùm*, non verò semper ferri propter gravem culpam.

Duo hìc observa: primum; ad excommunicationem majorem, quæ omnium Censurarum gravissima est, propriam ac personalem culpam requiri. Ita statuitur cap. *Romano*, tit. *De sententia excommunic.* in Sexto; ad interdictum verò & suspensionem, alienam sufficere, ut patet ex cap. *Si sententia*, tit. *De sent. excomm.* in Sexto. Hinc sententia excommunicationis ferri non debet in totam aliquam communitatem, sed in privatas personas quæ deliquerint, cap. *Romana Ecclesia*. *De sent. excomm.* in Sexto, ubi Innoc. IV. ait, *In Universitatem vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitùs prohibemus; volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset,* P. 716. *cùm nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri: sed in illos dumtaxat de Collegio vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit; promulgetur.*

getur. Contra verò interdictum vel suspensio decerni potest in totum Collegium, propter gravia quæ in ipso commissa sunt crimina. tit. *De sentent. excommunic.* in Sexto.

Alterum hìc observandum est, nempe multa quidem esse per se loquendo indifferentia, quæ tamen ad commune bonum, vel decentiam status
Ib. p.740. clericalis, vel ad evitanda animarum scandala & damna, sub gravi Censura præcipi vel prohiberi possunt. Cùm autem aliquid à Superiori præceptum aut prohibitum est sub gravi Censura, præsumi semper debet esse grave & magni momenti, quia Judicis est ecclesiastici judicare utrum causa ob quam Censuram infligit, sit gravis.

V. Denique, Censura infligitur ob peccatum opere completum & consummatum: unde non sufficit intentio faciendi peccatum, si effectus non sequatur; imò neque sufficit peccatum inchoatum exteriùs, nisi sit consummatum. Ratio est, quia ubi de Censuris agitur, verba strictè intelligenda sunt, juxta regulam Juris, *Odia restringi convenit.*

ARTICULUS SEPTIMUS.

Quæ causæ excusent à Censuris.

Plurimæ causæ sunt quæ à Censuris excusant. I. non obligat Censura invalida. Censetur autem invalida, vel quæ fertur ab eo qui non est legitimus Superior, vel in qua non servantur formalitates essentiales: si monitio, v. gr. non præcessit excommunicationem. Dico formalitates essentiales, quia si tantùm accidentales prætermittantur, v. g. una ex monitionibus, vel feratur sine scripto, nec in ea exprimatur causa, ut præscribit Concilium Lugdunense, refertur que cap. *Cùm medicinalis*, tit. *De sentent. excomm.* in Sexto; tunc enim illa Censura dici quidem potest injusta, & contra juris ordinem, non tamen invalida, nec proinde reus ab illa excusari potest. De ejusmodi Censura intelligendus est S. Greg. Hom. 6. in Evang. ubi ait, *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta sit, timenda est.*

II. Censura non obligat, si persona contra quam fertur sit omnino innocens ac culpæ expers: quia, ut dicitur cap. 1. *De sent. & re judicata*, in Sexto, tribunal æterni Judicis illum reum non habet, quem injustè judex condemnat.

Quæres 1. quomodo se gerere debeat qui cùm sit innocens, à Superiori tamen Censuris ligatus est.

Resp. ejusmodi innocentem, tametsi coram Deo nullatenus Censura illigatus sit, teneri tamen coram illis, qui Censuram norunt, non autem innocentiam, abstinere ab usu bonorum spiritualium, quibus privatus videtur per Censuram; donec vel absolvatur, vel innocentiam probet: si verò se non abstineret, peccaret quidem peccato scandali, sed propriè Censuram non violaret, nec pœnas incurreret decretas adversus eos qui violant Censuram.

Quæres 2. an qui persuasus est se injustè à Superiori suo Censura perstrictum fuisse, possit ab ejus sententia provacare seu appellare ad superiorem Judicem.

Resp. posse, servato juris Ordine: attamen rarò quis proprio judicio

stare

stare debet; sæpius enim in propria causa fallimur, ac semper aliquid scandali occurrit in frivola appellatione: Verùm interim sententia ante appellationem lata stat integra, donec Judex superior eam infirmaverit; certum quippe est, ubi de disciplina & morum correctione agitur, appellationem non habere effectum suspensivum, sed tantùm devolutivum, idest, per appellationem non suspendi sententiam seu Censuram prioris Judicis, sed eam ad judicium alterius confirmandam, vel infirmandam devolvi ac deferri. Vide Conc. Trid. Sess. 13. de reform. cap. 1. Post appellationem verò si prior sententia rescindatur à Judice superiore, non tenetur, qui appellavit, eam observare.

III. Si statutum vel lex Censuram imponens non sint promulgata seu publicata, non obligant, præsertim apud nos Gallos, apud quos hujus publicationis defectu multæ SS. Pontificum Bullæ sub pœna Censuræ ab illis latæ, non obligant.

IV. Excusat à Censura impotentia faciendi quod per illam præcipitur: nemo quippe ad impossibile tenetur; & quæ à peccato, etiam à Censura impotentia excusat.

V. A Censura excusat ignorantia invincibilis: cap. *Ut animarum*. *De Constitutionibus*, in Sexto. *Ut animarum periculis obvietur*, ait Bonifacius VIII. *sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina*. Ratio aperta est, quia quando ignorantia est invincibilis, non adest contumacia contra Ecclesiam: ubi autem non est contumacia, ibi nec Censura est. Loquimur autem hìc cum mox citato Bonifacio VIII. de ignorantia *non crassa & supina*, sed invincibili; si ergo quis culpa sua & negligentia ignoret Censuram, talis ignorantia non excusat à Censura. *Nec ignorantia*, inquit Gregorius IX. *De injuriis*. Cap. *Si culpa*, *excusat*, *si scire debuisti* ∴ *& quam debueras non curasti diligentiam adhibere*.

In Sexto pag. 14.

Decret. p. 1855. num. 10.

Duplex autem hìc distinguenda ignorantia: una juris, altera facti. Ignorantia juris est ea qua præceptum Ecclesiæ ignoratur: v. g. si quis ignorat latam esse Censuram contra percussores Clericorum. Ignorantia facti est ea qua non ignoratur quidem præceptum, sed ignoratur an factum seu actio quæ committitur sit prohibita tali præcepto: v. g. si quis sciens latam esse excommunicationem contra percussores Clericorum, tamen percutiendo Clericum, putat esse Laicum. De utraque ista ignorantia stat quod mox diximus, invincibilem ignorantiam excusare à Censura, non verò eam quæ vinci facilè potest ac dispelli.

VI. Denique, à Censura excusatur, vel qui ex gravi metu cadente in virum constantem, v. g. metu mortis aut mutilationis, ad aliquid agendum cogitur, cui annexa est Censura; dummodò tamen absit contemptus Religionis christianæ, vel ecclesiasticæ potestatis. Ratio est, quia tunc non adest sufficiens ad agendum libertas. Vel qui ex necessitate ad evitandum scandalum aut grave aliquod detrimentum in se vel in proximo, id facit quod sub pœna Censuræ prohibitum est. Sicut enim eo in casu potest ille in lege humana excusari à peccato mortali, ita & à Censura illi annexa; cap. *Excellentissimus* 11. qu. 8. *Qui ex necessitate vel ignorantia* (invincibili) *delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur*; idest absoluti judicentur: quia non incurrerunt Censuram, ut rectè Glossa ibidem exponit. Cæterùm cùm

casus

casus in quibus vis aut grave detrimentum excusat à Censuris, intricatissimi sint, ideò in iis consulendus est Episcopus.

ARTICULUS OCTAVUS.

De absolutione à Censuris.

Ecclesiæ data est potestas non modò ligandi, sed etiam solvendi. Diximus initio hujusce disputationis, Censuras non ferri nisi in contumaces, easque cessare contumacia cessante: attamen necesse est accedat auctoritas Superioris, ut qui ligatus est, à vinculo Censuræ solvatur. Tria igitur hìc expendenda. Primum, an per solam absolutionem tolli possint Censuræ. Secundum, à quo dari possit hæc absolutio. Tertium, quis sit modus absolvendi.

Utrum per solam absolutionem tolli possint Censuræ.

CONCLUSIO.

Censuræ nullo modo tolli possunt, quàm per Judicis absolutionem.

Probatur: quia necesse est ut publica potestate qua contracta est Censura, eadem dissolvatur. Et verò non tollitur 1. per solam cessationem contumaciæ, aut per satisfactionem, ex cap. *Cùm desideres*. *De sent. excom.* & ex Decreto Alexandri VII. ubi damnatur ista propositio, *Quoad conscientiæ forum, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ*. 2. Non tollitur per mortem ferentis; quia pœna per legitimam Judicis sententiam inflicta, transit in rem judicatam, adeoque non finitur morte aut depositione imponentis: multò minùs, quæ à jure imposita pœna est, ab ejus auctore pendet; quemadmodum nec ipsum jus seu statutum. 3. Non tollitur per mortem illius in quem lata est Censura, v. g. excommunicationis; quandoquidem etiam mortuus, Ecclesiæ suffragiis ac sepultura privari potest. Restat igitur, ut per solam legitimam Judicis sententiam Censuræ solvantur.

A quo dari possit absolutio à Censuris.

PRIMA CONCLUSIO.

A Censura *ab homine* per sententiam particularem lata absolvere potest. 1. Qui eam tollit. 2. Ejus Superior, 3. Ejus successor. 4. Judex appellationis, aut eorum delegatus.

I. Tolli posse Censuram ab eo qui eam tulit, res est per se nota: ejusdem scilicet est solvere & ligare: dummodo perseveret in illo jurisdictio, nec extincta sit per depositionem, vel impedita per Censuram excommunicationis, suspensionis &c.

II. Censura tolli potest à Superiori illius qui eam tulit, modò plenam obti-

obtineat jurisdictionem in eos qui Censura ligati sunt. Inde est quòd Archiepiscopus sive Metropolitanus absolvere non possit, nisi per appellationem ad illum causa devoluta fuerit; quia plenam ille jurisdictionem non habet, nisi jure appellationis, cap. *Venerabilibus*. tit. *De sent. excom.* in Sexto; aut dum jure concedente Suffraganei Diœcesim visitat. Ea ipsa de causa Episcopus excommunicatos Regulares à proprio Prælato ex causa pertinente ad regularem disciplinam absolvere non potest; quia correctio Monachi primo loco pertinet ad Abbatem. Quamvis si Regulares exempti non sint, ab injusta sententia Prælati ad Episcopum appellare non prohibeatur.

III. A successore Prælati qui Censuram tulit, dissolvi eam posse, manifestè constat ex cap. unico *De majoritate & obedientia*, in Sexto, ubi dicitur: *Episcopali Sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis quibus posset Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia, sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri.* *In Sexto p. 247.*

IV. Censura tolli etiam potest à Judice superiori ad quem illius cognitio per appellationem deductæ est: appellatio quippe via juris est aperta ad tutelam & præsidium innocentiæ, non criminis, & injustitiæ.

SECUNDA CONCLUSIO.

A Censura juris, vel sententiæ generalis quam auctor sibi reservavit, nemo absolvere potest præter ipsum, ejusve Superiorem, successorem, vel delegatum.

Probatur Conclusio ex cap. *Nuper*, & cap. *Sacro*. tit. *De sent. excomm.* cap. *Ad recipiendum*. tit. *De officio judicis ordinarii*.

Hìc nonnulla sunt observanda.

I. Jure novo Conc. Trid. Sess. 24. c. 6. de refor. permittere Episcopis absolvere à casibus & Censuris summo Pontifici reservatis, modò casus illi sint occulti, nec ad forum contentiosum deducti: neque huic privilegio derogat Bulla *Cœnæ Domini*, præsertim apud nos, ubi promulgata non est, nec viget.

II. Episcopos posse etiam absolvere à Censuris Papæ reservatis, quando rei sunt impuberes, vel senes, vel debiles, vel pauperes; vel quando sui juris non sunt; vel mulieres; vel denique si rei legitimè sint impediti ut adeant S. Pontificem, ut patet ex cap. *De cætero*, & cap. *Mulieres*, & cap. *Ea noscitur*. *De sent. excomm.* Illi tamen absolvi non debent, nisi cum onere (cessante impedimento) sistendi se postea coram S. Pontifice aut ejus Legato; non quidem ut ab ipsis absolvantur, sed ut eorum mandatum accipiant. cap. *De cætero*. cap. *Ea noscitur*, alioquin ipso facto reincidunt in eamdem Censuram. Cap. *Eos qui*. *De sent. excomm.* in Sexto: quod restringendum ad loca ubi disciplina illa viget. Ab hoc onere sistendi se coram S. Pontifice excipiendi sunt, qui propter puerilem ætatem ab Episcopo absolutionem acceperunt: non enim tenentur, cùm adoleverint, summum Pontificem adire, ut expresse definitur, cap. *Pueris*. tit. *De sent. excomm.* *Decret. p. 1883. 1880. 1884.*

III. Denique, observandum, quoslibet Sacerdotes in articulo mortis potestatem habere absolvendi ab omnibus Censuris, etiam reservatis: attamen *Conc. Tr. Sess. 14. c. 7.*

men

men ille qui sic fuit absolutus, elapso periculo, tenetur quam primùm adire Superiorem ad excipiendum ejus mandatum, & ad id tenetur sub pœna reincidentiæ in eamdem Censuram. Cap. *Eos qui*. *De sent. excom.* in Sexto.

In Sexto pag. 746.

TERTIA CONCLUSIO.

Omnis Sacerdos legitimè approbatus potest absolvere ab omnibus Censuris non reservatis.

Decret. p. 1899. num. 20.

Ita cap. *Nuper*. *De sent. excom.* in quo S. Pontifex ait: *Quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*. Hæc est communis Ecclesiæ praxis ac disciplina, qua certum est singulos Confessarios audita confessione Clericorum, solitos esse præmittere absolutionem ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti: qua cautela Ecclesia utitur ad evitandam vel irreverentiam si fortè pœnitens aliqua occulta Censura ligatus sit; vel irregularitatem, si cum simili Censura quis ad sacram Ordinationem accederet. Neque dicas absolutionem à Censuris pertinere ad forum externum, nec proinde illam impendi posse à Confessariis in foro interno conscientiæ. Namque non ex proprio officio, sed ex indulgentia & concessione Ecclesiæ sic absolvunt Confessarii propter causas & rationes mox adductas.

Observa hìc, suspensionem & interdictum, quando ad certum tempus feruntur, & cum aliqua conditione: v. gr. si Sacerdos suspendatur ab officio, donec per mensem spiritualibus exercitiis in Seminario vacaverit; vel interdicitur Ecclesia, donec tectum reparatum fuerit, cessare absque absolutione, conditione, quæ imposita fuerat, adimpleta.

Quæres 1. an Episcopus extra suam Diœcesim possit subditum à Censuris absolvere sibi reservatis.

Resp. posse in foro conscientiæ, non in foro contentioso cum strepitu & solemnitate judiciali; defectu scilicet *territorii*, ut ajunt, seu jurisdictionis in aliena Diœcesi.

Quæres 2. an qui in sua Diœcesi Censura ligatus est, ab illa solvi possit in alia Diœcesi in qua commoratur.

Resp. pariter, absolvi dumtaxat illum posse in foro conscientiæ & interno, non in foro externo, quando Censura est à jure, vel ab homine per sententiam generalem lata. Si verò Censura est ab homine per sententiam particularem, remittendus ille est ad proprium Episcopum, vel ab eo impetranda absolvendi licentia, quia in eo casu valet commune effatum, *Ejusdem est solvere, cujus est ligare*; alioquin ecclesiastica disciplina perturbaretur.

Quæres 3. quid sit absolutio à Censuris *ad cautelam*.

Resp. 1. absolutionem *ad cautelam* eam dici quæ provisionaliter datur, ut reus coram judice purgare se possit, aut aliud aliquid tutò agere, absque metu incurrendæ irregularitatis. De ea absolutione mentio fit variis in locis Juris canonici, cap. *Cùm desideres*. cap. *Per tuas*. cap. *Venerabili*. *De sent. excomm.* Multis in casibus dabatur olim absolutio *ad cautelam*.

I. Cùm à sententia latæ excommunicationis excommunicatus ad Superiorem provocabat, ut capax fieret prosequendi litem in tribunali ecclesiastico,

co, ac purgandi se ab impacta criminis accusatione, in ipso limine litis ab excommunicatione *ad cautelam* absolvebatur.

II. Cùm de validitate latæ Censuræ dubium erat legitimum, quod obtendebat excommunicatus, *ad cautelam* absolvebatur, donec causa ultimò definiretur; quod quidem de sententia dumtaxat ab homine, non autem à jure vel generali statuto lata debet intelligi: namque sententia ab homine, invalida esse potest, aut injusta, defectu scilicet vel jurisdictionis, vel causæ legitimæ; talis verò præsumi non potest sententia à jure, vel generali statuto lata. Non sufficiebat autem, ut qui à Censura provocabat ad judicem superiorem, obtenderet illam injustam; sed nullam contendere debebat: aliàs absolutionem *ad cautelam* vix obtinuisset: quia si injustam tantùm dixisset, eo ipso se illa teneri & obstringi fassus fuisset, quia excommunicatio, tametsi injusta, modò non sit nulla, ligat, quamdiu per absolutionem non solvitur.

III. Absolvebatur excommunicatus *ad cautelam*, quando sine periculo absolutio differri non poterat; cap. *Sacro*; vel quando in mortis articulo constitutus erat. Cap. *Eos qui*. *De sententia excommunicationis*. *Decret. p. 1920. Sext. p. 74.*

IV. Juxta veterem Regni Gallicani usum ac disciplinam, quando, tamquam ab abusu, appellatio interponebatur à sententia latæ excommunicationis, Judices sæculares appellantem remittebant ad Episcopum ut *ad cautelam* ab illo absolveretur. Subinde verò posthabita illa priori disciplina, cùm Judices ecclesiastici difficiliores se præberent in hac absolutione concedenda, Senatus decreto sub pœna privationis temporalis proventus illis injungebatur, ut eam concederent: quem usum improbavit Synodus Trid. Sess. 25. de reform. cap. 3. *Nefas sit*, inquit, *sæculari cuilibet Magistratui prohibere ecclesiastico judici ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet ∴ cùm non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat*.

Quapropter ad querimoniam & expostulationem Cleri Gallicani Henricus III. in Edicto Melodunensi an. 1579. art. 23. prohibuit ne id amplius fieret. Idem postea edixit ac confirmavit Ludovicus XIV. in solemni Edicto circa ecclesiasticam jurisdictionem art. 14. cujus hæc verba sunt: *Lorsque nos Cours, après avoir vu les charges & informations faites contre des Ecclesiastiques, estimeront juste qu'ils soient absous à cautele, elles les renvoyeront aux Archevèques & Evèques qui auront procedè contre eux; & en cas de refus, à leus Superieurs dans l'ordre de l'Eglise, pour en recevoir l'absolution, sans que les dits Ecclesiastiques puissent en consequence faire aucune fonction ecclesiastique, ni en prendre d'autre effet, que d'ester en droit*. Idest, ut litem via juridica prosequi valeant.

Quæres 4. quid sit absolutio à Censura *cum reincidentia*.

Resp. eam esse in qua qui absolutus est, iis non adimpletis quæ injuncta ipsi fuerant, in eamdem excommunicationem reincidit, à qua fuerat absolutus: quod quidem duobus modis fieri potest.

I. Suspendendo per aliquod tempus effectum Censuræ, intra quod temporis spatium, qui reipsa ligatus est, potest Sacramenta percipere, cæterisque Ecclesiæ bonis participare: at illo elapso tempore, ipso facto, & sine nova sententia in eamdem Censuram reincidit.

II. Dando absolutionem sub certis conditionibus, v. gr. satisfaciendi parti læsæ, vel aliqua alia bona opera exercendi intra certum quoddam tem-

temporis intervallum; quæ conditiones si non fuerint observatæ, recurrit eadem Censura.

Hujus absolutionis cum reincidentia frequens occurrit in Decretalibus
Sext. p. 746. mentio, præsertim verò in cap. *Eos qui. De sent. excomm.* in Sexto, ubi Bonifacius VIII. duos casus refert.

I. Est, si quis in articulo mortis, vel aliquo impedimento detentus non potest Superiorem adire, absolutus tamen fuit à Sacerdote, qui extra casum necessitatis potestatem non habebat absolvendi; is, si recuperata sanitate, & impedimento sublato, ad Superiorem non recurrat, in eamdem incidit excommunicationem. *Decernimus*, ait Bonifacius, *ne sic Censuræ illudant ecclesiasticæ, in eamdem sententiam recidere ipso jure.*

II. Casus est, quando quis à S. P. absolutus fuit à Censura ipsi reservata, & ad Ordinarium locorum remissus, cùm primùm commodè poterit, ut ab ipso congruam recipiat pœnitentiam, neglexit Episcopum adire, recurrit eadem excommunicatio.

Soli Episcopi & ab ipsis delegati possunt absolvere à *reincidentia*; quia ad hanc absolutionem necessaria est jurisdictio in foro non tantùm interno, sed externo; qua posteriori privantur simplices Sacerdotes. Qui autem sic absolutus fuit, & non potest certo tempore exequi quæ injuncta sibi fuerant, non reincidit in excommunicationem; quia cum hæc relapsus pœna sit, culpam supponit: at in casu proposito nulla est culpa.

Quæres 5. An necessaria sit Superioris sententia, ut quis eamdem Censuram incurrat per reincidentiam.

Resp. cum distinctione, ut Fidelis in excommunicationem, quantùm ad effectus externos reincidat, necessariam esse novam Superioris sententiam, qua declaret talem ob suam contumaciam & inobedientiam in excommunicationem recidisse, ac jubeat eum tamquam excommunicatum nominatim denuntiari. Quantùm verò ad effectus internos in foro conscientiæ, inutilem esse illam sententiam; quia ille absolutus, non adimpletis iis quæ ipsi fuerant injuncta, ipso jure excommunicationem incurrit. Ita Bonif. VIII. loco mox citato.

Quæres 6. An qui in periculo mortis à Censura reservata fuit à Sacerdote absolutus, nullam extra casum necessitatis habente potestatem absolvendi, in eamdem Censuram, postquam convaluit, incidat, si ad Superiorem, à quo possit absolvi, non recurrat.

Resp. ita sentire Bonifacium VIII. Verùm in Gallia vix istud admittitur; tum quia Constitutio Bonifacii recepta non est apud nos; tum quia revocata videtur per Conc. Trid. cùm docet in articulo mortis nullam omnino esse reservationem.

Quis sit modus absolvendi à Censuris.

Notandum, ad absolutionem à Censuris requiri, 1. ut absolutio verbo vel scripto, aut saltem alio signo externo sufficienter exprimatur: quia cùm fiat inter homines, debet etiam humano ac sensibili modo fieri.

Notandum præterea, quòd etsi nulla determinata verborum forma requiratur ad essentiam & valorem absolutionis, illicitum tamen esset absque necessitate uti alia forma quàm consueta. Hæc autem forma, si absolutio detur extra Sacramentum Pœnitentiæ, maximè in foro externo, præscribitur

tur

tur in Ritualibus cum cærimoniis & precibus requisitis. At verò si absolutio detur in Sacramento Pœnitentiæ, sufficit generalis forma, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantùm possum, & tu indiges*. Quæ verba si cum debita intentione proferantur, continent absolutionem omnium Censurarum à quibus Confessarius potest licitè absolvere.

Notandum 3. Fieri aliquando ut absolutio Censurarum sit tantùm pro foro interno conscientiæ, ita ut non valeat pro foro externo, nisi Superior ecclesiasticus illam velit acceptare. Datur autem absolutio pro foro interno tantùm ad hoc ut homo absolutus maneat coram Deo, salvo tamen jure Superioris, cognoscendi scilicet de hominis delicto in foro externo, & de illo pœnam & satisfactionem exigendi.

Notandum 4. Absolutionem Censurarum ferri posse in absentes per nuntium, litteras, sicut quotidianus Ecclesiæ usus in Rescriptis pontificiis demonstrat.

ARTICULUS IX.

Quomodo dividatur Censura.

Omissis divisionibus quæ ex decursu materiæ facilè colligi possunt, v. g. Censuram aliam esse gravem, aliam levem; aliam reservatam, & aliam non reservatam; aliam justam, aliam verò injustam; aliam validam, aliam invalidam: his, inquam, omissis, tres præ cæteris exponendæ sunt divisiones Censuræ.

Prima divisio est in Censuram à jure, & Censuram ab homine. Censura à jure dicitur, quæ per legem, seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos qui eam legem transgressi fuerint. Censura autem ab homine dicitur, quæ per sententiam judicis, vel mandatum seu præceptum temporaneum & transitorium fertur ordinariè ex causa & facto particulari in particulares personas. Ita colligitur ex cap. *Nuper*. *De sent. excomm.* & cap. *Eos*, in Sexto. Unde multiplex colligitur discrimen inter Censuram à jure & ab homine.

I. Enim Censura à jure semper generalis est, & omnes subditos comprehendit: at verò Censura ab homine particularis est, ac saltem ordinariè fertur in personas determinatas, vel ex causa determinata & particulari; v. g. Petrus excommunicationi subjaceat, nisi intra mensem restituat, vel satisfaciat parti læsæ: vel qui orto incendio quidpiam furtim abstulit, excommunicatus esto, nisi intra triduum restituat; vel qui talem incendiarium non indicaverit, sit excommunicatus.

II. Censura à jure est perpetua, & durat quamdiu lex illam imponens non est abrogata: Censura verò ab homine cessat per mortem, vel amotionem illius qui eam tulit, ita ut deinceps non incurratur. Sermo est hic de Censura contrahenda propter peccatum futurum, non verò de jam contracta ante mortem Superioris propter peccatum præteritum; hæc quippe manet post mortem Superioris, nec tollitur nisi per claves Ecclesiæ.

III. Censura à jure vel ab homine per sententiam generalem non est reservata, nisi expressè habeatur in Canone, sive Statuto, vel in Mandato Superioris: cap. *Nuper*, tit. *De sentent. excommun.* Censura verò ab homine per sententiam specialem, est reservata; nec tolli potest, nisi ab eo qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, vel successore, vel delegato.

Secunda divisio Censuræ est in Censuram latæ, vel ferendæ sententiæ. Prior ea est, quam Prælatus seu Superior per legem actu infligit; seu quæ secum executionem trahit, vel incurritur statim ipso facto seu crimine admisso, & absque alia judicis sententia. Signa autem illius Censuræ latæ sententiæ, sunt 1. particulæ istæ, vel similes; *ipso facto*, *ipso jure*, *eo ipso*, 2. verbum præsentis vel præteriti temporis, vel *sit excommunicatus*, *excommunicatur*; vel *excommunicavimus*, *noverit se excommunicatum*, vel *se excommunicari*; *sententia excommunicationis ducimus innodandum*. Cap. *Excommunicamus*, 1. & 2. *De Hæreticis*. Cap. *Salvator*. *De Præbendis*. Clementina prima *De decimis*. Clementina secunda *De pœnis &c.*

Censura ferendæ sententiæ; quæ etiam dicitur comminatoria, ea est, quam Superior jubet infligi, vel comminatur infligendam; seu quam reus non incurrit ipso facto, quando crimen commisit, sed per judicis sententiam infligi debet. Signa autem ferendæ sententiæ sunt 1. particulæ comminatoriæ, v. g. *Præcipimus sub pœna excommunicationis*, *sub interminatione anathematis* &c. 2. verbum futuri temporis, v. g. *Qui hoc fecerit*, *excommunicabitur*; vel *illico erit excommunicatus* &c.

In dubio autem an Censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, judicandum est esse dumtaxat ferendæ sententiæ, quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, & in mitiorem partem accipienda, juxta effatum omnium Theologorum & Canonistarum.

Tertia Censuræ divisio trita & solemnis est in tres species, excommunicationem nimirum, suspensionem & interdictum. Ita Innocentius III. cap. *Quærenti*, *De significatione verborum*. *Quærenti*, ait, *quid per Censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cùm hujusmodi clausulam in Litteris nostris apponimus: respondemus, quòd per eam non solùm interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi.*

Sotus in 4. dist. 22. qu. 3. art. 1. tribus Censuræ speciebus jam enumeratis duas alias addit, nempe cessationem à divinis, & irregularitatem. Ledesma, De Censuris cap. 2. duabus à Soto additis, addit & ipse alias duas, depositionem scilicet & degradationem. Verùm obtinuit ferè apud omnes divisio ab Innocentio III. adducta, & meritò quidem; cessatio quippe à divinis, sicut & irregularitas, veram non habet Censuræ rationem: Censura etenim pœna est, quæ culpam supponit; at cessatio à divinis, & irregularitas ex defectu v. g. corporis, potest esse absque ulla prævia culpa. Similiter depositio & degradatio veræ Censuræ non sunt, quia Censura est pœna medicinalis ad tempus, quæ tollitur rei emendatione; depositio autem & degradatio sunt ex sese perpetuæ, nec ad emendationem ordinantur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Censuris in particulari.

HUc usque egimus de Censuris generatim, nunc de iisdem dicendum in particulari. Atque

I. De excommunicatione.
II. De suspensione.
III. De interdicto.

Circa hæc plura sunt discutienda distinctis capitibus.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De excommunicatione, quæ prima est Censuræ species.

Quatuor hic expendenda, 1. quid sit excommunicatio, 2. quotuplex sit, 3. qui sint effectus excommunicationis, 4. de Monitoriis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit excommunicatio.

EXcommunicatio, juxta vim nominis, est privatio communionis, seu ejectio extra communionem Ecclesiæ. Ex natura igitur communionis cum Ecclesia, facile est dignoscere, quid sit excommunicatio seu privatio communionis.

Fidei catholicæ caput est, quod in Symbolo quotidie profitemur, esse in Ecclesia Sanctorum communionem: Ecclesia scilicet corpus est seu societas conspicua & visibilis, cujus caput est Christus, ac Fideles, membra. *Multi*, ait Apostolus Rom. 12. *unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Ephes. 1.

Tria porro sunt in Ecclesia bonorum spiritualium & communium genera, quibus quasi totidem vinculis Fideles & cum Christo capite, & secum invicem colligantur, 1. donum gratiæ, virtutum infusarum fidei, spei & charitatis, & alia interna dona quæ à Christo, tamquam à fonte, in singulos Fideles defluunt ac derivantur, 2. sunt dona externa spiritualia, Sacramenta videlicet, sacrificium, suffragia publica, seu preces & orationes, indulgentiæ &c. quorum omnium participes fiunt quotquot ecclesiastica communione fruuntur, 3. sunt aliqua bona spiritualia unicuique Fidelium propria quidem & personalia, v.g. opera bona virtutum, jejunia, pœnales satisfactiones &c. sed quæ Fideles sibi mutuò communicare possunt, tamquam ejusdem sanctæ ac spiritualis societatis membra; quo sensu dicebat David Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Est denique & aliud commune quoddam bonum purè externum ac politicum, quod consistit in convictu, colloquio, commercio Fidelium inter se &c. His porro bonis fruuntur qui cum Ecclesia conjuncti sunt; privantur autem qui ab illa sunt exclusi & præcisi.

Excommunicatio igitur, prout complectitur majorem & minorem rectè definitur, *Censura ecclesiastica privans externa communione, seu usu ac participatione bonorum spiritualium Fidelibus communium, & ex Ecclesiæ voluntate ac dispensatione pendentium, sive ex toto, hoc est omnium bonorum, sive ex parte, id est aliquorum dumtaxat bonorum.*

Dicitur 1. *Pœna ecclesiastica:* quæ verba tenent locum generis, ac pœnam denotant ab ecclesiastica auctoritate inflictam, in vindictam culpæ; quod ipsi commune est cum aliis Censuræ speciebus.

Dicitur 2. *Privans externa communione Fidelium*, id est, *privans communicatione seu participatione & usu bonorum spiritualium quæ Fidelibus communia sunt:* qualia sunt 1. Sacramenta, 2. publica Ecclesiæ suffragia, 3. convictus Fidelium, sive in rebus sacris, puta divinis officiis, sepultura, jurisdictione &c.

ne &c. ſive in rebus civilibus & politicis v. g. negotiis, contractibus & teſtimoniis. Per hunc autem effectum excommunicatio differt à ſuſpenſione & interdicto, quæ non privant participatione illorum omnium bonorum. Quòd ſi aliquando ſuſpenſio & interdictum privant quadam participatione illorum bonorum, privant tantùm, quatenus illa bona ſunt aut miniſterium eccleſiaſticum, aut participatio rerum ſacrarum ut ſic; excommunicatio autem his bonis privat, quatenus ea bona materia ſunt & fundamentum externæ unionis & ſocietatis Fidelium inter ſe, quæ unio intelligitur in Symbolo ſub nomine communionis, ut jam obſervavimus: atque per hoc ultimum excommunicatio etiam differt à ſuſpenſione & interdicto.

Dicitur 3. Privans uſu bonorum communium *quæ ex Eccleſiæ voluntate ac diſpenſatione pendent*. Aliqua etenim bona ſunt ſpiritualia, quibus excommunicatio non privat, quia non ſunt in poteſtate Eccleſiæ, ſed ab uno Chriſto interiùs ea ſubminiſtrante pendent: v. g. auxilia gratiæ, virtutum fidei, ſpei & charitatis infuſio, juſtificatio, meritum; quæ bona purè ſunt interna. Sunt & alia bona quæ pendent à privata Fidelis cujuslibet voluntate ſeu intentione & applicatione, quæ Fideles ſibi invicem communicare poſſunt, qualia ſunt pia virtutum exercitia, eleemoſynarum, jejuniorum & bonorum operum fructus. Eapropter nemo prohibetur pro excommunicatis, etiam non toleratis, privatim Deum orare; & quamvis Sacerdoti non liceat ſacrificium Miſſæ v. g. aut aliud publicum Eccleſiæ ſuffragium pro excommunicatis offerre, poteſt nihilominus pro iiſdem privata ſua intentione preces ſuas ad Deum dirigere, ut ipſis pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ donum benignè largiatur.

Dicitur 4. Privans communione *vel ex toto*, *vel ex parte* bonorum ſpiritualium; ut nempe major excommunicatio diſtinguatur à minore: major quippe privat omnibus, minor verò aliquibus dumtaxat bonis quæ Eccleſia in ſua poteſtate habet.

ARTICULUS II.

Quotuplex ſit excommunicatio.

PErvulgata & communis eſt diviſio excommunicationis in majorem & minorem. Cap. penult. *De ſent. excommun.* Excommunicatio major dicitur, quæ omnino privat communione Fidelium, & participatione tam activa quàm paſſiva Sacramentorum; id eſt, facit ut excommunicatus non poſſit recipere, vel adminiſtrare Sacramenta. Excommunicatio minor ea dicitur, quæ privat tantùm & ſeparat à participatione paſſiva Sacramentorum; id eſt, efficit ut excommunicatus non poſſit percipere Sacramenta. De utraque tum majori tum minori excommunicatione paulò uberius hic dicendum.

De majori excommunicatione.

Majorem excommunicationem pœnam eſſe graviſſimam colligi facilè poteſt ex bonis mox enumeratis, quibus illa Fideles privat. *Summum futuri judi-*
Pag. 31. *cii præjudicium eſt*, ait Tertull. cap. 39. Apolog. *ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur*. Nulla pœna eſt, quam refugere magis ac reformidare teneatur homo chriſtianus.

Nihil,

Nihil, ait S. Augustinus Tract. 27. in Joan. *sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum ejus. Si non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus. Quisquis autem*, inquit Apostolus, *non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. Nemo*, ait S. Joan. Chrysostomus Hom. 4. in c. 2. Epist. ad Hebr. *contemnat vincula ecclesiastica. Non est enim homo qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem, efficiens ut homines in sua potestate habeant tantum honorem.* Tom. 3. p. 2. p. 504. Ed. Comm. p. 1787.

Quæres 1. Cùm quis absolutè ac indefinitè dicitur excommunicatus, an major, vel minor excommunicatio intelligenda sit.

Resp. Ex Gregorio IX. cap. *Si quem*, tit. *De sent. excom.* majorem intelligi debere. *Dicendum est*, inquit, *eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori, quæ à communione Fidelium separat, esse ligatum.* Decret. p. 193c.

Quæres 2. An sit aliquando discrimen inter majorem excommunicationem, & anathema.

Resp. Anathematis nomine generatim significari separationem, segregationem. Anathema in bonam & malam partem sumitur: in bonam partem sumptum, significat ea dona seu spolia, quæ in templis appensa in honorem Dei consecrantur, & ab omni usu profano separantur: in malam verò partem sumptum, denotat gravissimam excommunicationis pœnam cum aliqua execratione ac indignatione adjuncta; quo ultimo sensu ab Ecclesia in Conciliis usurpatur, quando Hæreticis cæterisque hujusmodi hominibus anathema dicit. Utrumque istum anathematis usum agnoscit S. Joan. Chrysostomus Homil. 16. in Epistolam ad Rom. Ed. Comm. p. 183.

Quæres 3. An & qua solemnitate aliquando feratur excommunicationis sententia.

Resp. Cum aliqua solemnitate sententiam illam aliquando pronuntiari, quam describit cap. *Debent*, causa 11. qu. 3. his verbis: *Debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus: deinde epistola per parochias mittatur continens excommunicatorum nomina, & causam excommunicationis.* Glossa in verbum *conculcare*, ait: *Nec postea sumentur* (lucernæ) *ad aliquem usum, sed foras projiciantur ut sal infatuatum.* Decret. Grat. pag. 961.

Quæres 4. Quæ sint delicta propter quæ ferri debeat excommunicatio.

Resp. Nonnisi ob gravia peccata excommunicationem ferri debere, quia pœna excommunicationis gravissima est. *Nullus Sacerdotum*, ait Concil. Aurelian. V. Can. 2. *quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri jusserunt committentes.* Idem statuit & Conc. Meldense quod refertur Can. *Nemo Episcoporum*, causa 11. q. 3. Can. 56. Hæc profectò mens est Conc. Trid. Sess. 25. de reform. cap. 3. *Quamvis*, ait, *excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen magnaque circumspectione exercendus est, cùm experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutem.* S. Augustinus pluribus in locis affirmat excommunicatione plecti non debere nisi gravium peccatorum reos, maximè publicos ac contumaces. Lib. 3. contra Liter. Petiliani capit. 36. & Libr. 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 2. ubi hanc nihilominus regulam statuit, à ferenda excommunicationis sententia Tom. 5. Conc. pag. 391. Decret. Grat. pag. 937. Tom. 9. p. 64.

esse abstinendum, si fortè aliquod inde incommodum ac schismatis periculum Ecclesiæ impenderet. *Fiat hoc*, inquit, *ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse* (S. Paulus) *præcepit dicens*, Ibid. pag. 62. Ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem: *non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum.*

Quæres 5. Quænam sint præcipuæ excommunicationes majores quæ ipso facto incurruntur, & summo Pontifici reservantur.

Resp. 1. Ea de re consuli debere cujusque Diœcesis Ritualia, statuta, consuetudinem.

Resp. 2. Plures esse hujusmodi majores excommunicationes quæ ipso facto incurruntur, ac summo Pontifici reservatæ sunt. En præcipuæ.

I. Excommunicatio contra simoniacos. In Extrav. *Cùm detestabile*, à Paulo II. edita.

II. Contra incendiarios. Cap. *Tua*. *De sent. excommun.*

III. Contra effractores simul & spoliatores Ecclesiarum. Cap. *Conquesti*. *De sent. excommun.*

IV. Contra falsarios Litterarum apostolicarum, supponendo, vel corrumpendo. Cap. *Dura*. *De crimine falsi.*

V. Contra percussores Clericorum. Can. *Si quis suadente diabolo*, causa Grat. pag. 1187. 17. qu. 4. Canonis verba hæc sunt. *Si quis suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus intulerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Dicitur 1. *Si quis suadente diabolo*. Si enim aliquis ex charitate vel ex causa correctionis & disciplinæ id faceret, non incidit in excommunicationem. Cap. *Super eo*. *De sententia excommunicationis.*

Dicitur 2. *Violentas manus*: quibus vocibus intelligitur quodlibet membrum in quo Clerico injuriosè nocet, v. g. pes, brachium &c. neque sola dumtaxat comprehenditur percussio, sed etiam v. g. pulveris, luti, aut sputi injectio, vel similis injuria.

Dicitur 3. *Clericum*. Per Clericum autem intelligitur non solùm existens in Ordinibus sacris, sed etiam quilibet initiatus prima Tonsura, modò gestet habitum & Tonsuram ut Clericus agnoscatur.

Dicitur 4. *Monachum*; id est omnem Religiosum etiam Conversum, aut Novitium. Item Moniales & Sorores conversas, cap. *Monialibus*. *De sent. excommun.*

Dicitur 5. A nemine, nisi in mortis periculo, præterquam Papa, illum absolvi posse: verùm excipienda est percussio levis, seu non enormis, à qua Episcopi absolvere possunt. Cap. *Pervenit*.

Percussio autem enormis quæ summo Pontifici reservatur, & vulgò gravis appellatur, ea est *regulariter loquendo*, quæ conjungitur cum gravi læsione vel cum gravi injuria, v. g. membri mutilatione, vel magna sanguinis effusione, quæ non ex naribus, sed aliunde proveniat; aut alia quæcumque manus injectio, etiam levissima, facta personæ in dignitate constitutæ, puta Episcopo aut Abbati, cap. *Cùm illorum*.

Dixi *regulariter loquendo*: nam ex circumstantiis personæ &c. fieri potest ut percussio quæ respectu unius personæ levis est & Episcopo dumtaxat reservata, respectu alterius enormis sit & summo Pontifici reservata:

vata: v. g. si quis Clerico in dignitate constituto alapam impingat, percussio gravis erit & S. Pontifici reservata: cap. *Cùm illorum*. *De sententia excommunic.* Idem dicendum, quando ex percussione Clerici magnum oritur scandalum: v. g. quando quis in loco publico percussit Clericum.

Cæterùm Episcopi est judicare quandonam percussio Clerici sit enormis, & summo Pontifici reservata.

Percussio Clerici quæ non est ita enormis, & levis ab aliquibus dicitur, ac soli Episcopo reservatur, ea est regulariter loquendo, quæ nullam ferè maculam vel livorem carnium relinquit, & quæ fit sine abscissione membri, vel sine copiosa effusione sanguinis.

Prædicta autem excommunicatio extenditur ad sex alias actiones. 1. ad mandantes percussionem, effectu subsecuto, cap. *Mulieres*, *de sent. excom.* 2. ratam habentes percussionem nomine eorum factam, cap. *Cùm quos*, in Sexto. 3. consentientes, consilium, auxilium & favorem præstantes, cap. *Quantæ*. *De sent. excomm.* 4. non impedientes cùm possint. cap. *Quantæ*, citato. Intellige si eam deberent ex officio impedire, ut dicit Innoc. & Abbas. 5. invitum detinentes in custodia, cap. *Nuper*, eodem, 6. percutientes Clericum etiam consentientem, cap. *Contingit*, eodem. Notandum porro ab illa incurrenda excommunicatione excusari.

I. Qui Clericum in necessariam defensionem percutiunt, cap. *Si verò ex tenore*. *De sent. excommun.* Item qui ex ludo, vel disciplinæ causa, ut Magister, pater, Clericum percutiunt, cap. *Super*. Item quando mulier in defensionem castitatis Clericum percutit, cap. *Si verò*. Item si percussor Clericum non cognoscat, quia Clericatus insignia non gerit: eodem cap. aut si Clericus Canonis privilegio sit privatus.

ARTICULUS III.

De effectibus majoris excommunicationis.

Inter effectus excommunicationis majoris alii respiciunt ipsum excommunicatum, sive toleratus sit, sive non toleratus; alii verò respiciunt modum, quo agendum est cum excommunicatis non toleratis.

De effectibus excommunicationis majoris respectu excommunicati, sive tolerati, sive non.

Inter excommunicatos etiam publicè, alii sunt non tolerati, ac vitandi, qui scilicet publica Judicis ecclesiastici sententia specialiter ac nominatim denuntiati sunt excommunicati; alii verò sunt tolerati, seu nominatim non denuntiati, & idcirco à cæteris Fidelibus non vitandi, quantùm attinet ad Jus ecclesiasticum. **Excommunicati alii tolerati, alii non tolerati.**

Dixi *quantùm attinet ad Jus ecclesiasticum:* quia fieri potest & sæpè contingit, quòd aliquis hujusmodi excommunicatos vitare teneatur; ratione corruptionis, periculi vel scandali.

Excommunicatorum qui tolerati non sunt, actus, qui ex jurisdictione omnino pendent, ut absolutio sacramentalis, Beneficiorum provisiones &c. irriti omnino sunt ac invalidi: non ita est de aliis qui denuntiati non sunt, sed tolerati.

Olim antè sæculum decimum excommunicatio nonnisi per sententiam particularem decernebatur in eos qui vel ex propria confessione, vel aliorum delatione criminis rei convincebantur, ut patet ex S. Aug. serm. 351. aliàs Hom. 50. inter 50. ex qua disciplina facilè erat tunc temporis excommunicatos cognoscere ac vitare, utpotè qui nominatim per sententiam fori ecclesiastici damnati fuissent ac notati. Verùm cùm usus ac multitudo excommunicationum à jure vel à sententia generaliter lata decimo Ecclesiæ sæculo primùm invaluit, inde scandala & confusio in Ecclesia, pendente scilicet dubio, in quos caderet excommunicatio illa à jure lata: aliis ex malitia, aliis ex animi imbecillitate levibusque omnino de causis infamem excommunicationis notam ad invidiam, quibus voluissent, inurentibus.

Tom. 9. p. 1359.

Quapropter ad illa vitanda scandala Conc. Constantiense Seff. 20. Constitutionem Martini V. probavit, qua sic statuit, ut *nemo deinceps à communicatione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætextu cujuscumque sententiæ aut Censuræ ecclesiasticæ à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi Censura vel sententia hujusmodi fuerit lata contra personas, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum aut certam, à judice publicata & denuntiata specialiter & expressè*. Excipit tamen ibidem S. P. ab illa generali lege percussores Clericorum. *Salvo*, inquit, *si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum, per sententiam à Canone, adeò notoriè constiterit incidisse, quod factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio juris excusari. Nos à communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones; per hoc tamen non intendimus relevare nec juvare sic excommunicatos, suspensos & interdictos*.

Exceptio porrò illa vix apud Gallos obtinet, quia notorietas facti, ut ajunt, non sufficit apud nos ad plenum effectum excommunicationis, sed necessaria est expressa judicis sententia & denuntiatio, ut ille Clerici percussor, licèt publicus, non toleretur, sed vitetur: cujus quidem ratio aperta videtur, quia nemo inauditus damnari ac publica infamia notari debet.

Tom. 12. Conc. pag. 551. Nihilominus ista Martini V. Constitutio cum adjecta exceptione renovata fuit & confirmata in Conc. Basileensi Seff. 20. & Pragmaticæ sanctioni inserta. Reperitur etiam in Concordato tit. *De excommunicatis non vitandis*. Refertur hæc Constitutio, tum à S. Antonino 3. parte tit. 26. fin. tum à Cajetano, verbo *Excommunicatio minor*. Hoc præsupposito:

Primus effectus: privatio Sacramentorum.

Primus excommunicationis effectus est, quòd privet participatione Sacramentorum activa & passiva; id est excommunicatus non potest licitè Sacramenta vel suscipere vel administrare, nisi aliqua justa causa excuset.

Secundus effectus: privatio suffragiorum Ecclesiæ.

Secundus effectus est privare communibus Ecclesiæ suffragiis, sacrificio, publicis precibus, indulgentiis, & aliis actionibus sacris quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt: ista quippe omnia ex dispensatione Ecclesiæ pendent, quibus privat excommunicatos nondum absolutos, tametsi jam contriti ac Deo reconciliati supponantur. Cap. *A nobis*, cap. *Sacris*, cap. *Quod in dubiis*. *De sent. excomm.* ubi Innocent. III. ait *standum non esse verbis quibus excommunicatus contestatur se Ecclesiæ fore obsequentem; sed cum illo priùs non esse communicandum, quàm fuerit ab excommunicatione absolutus*. Idem jam statuerat Clemens III. cap. *Cùm desideres*, ibidem. Nec

Decr. pag. 1900. Ibid. pag. 1885.

Episco-

Episcopus, inquit, *nec alii debent communicare eidem, nisi fuerit secundùm formam Ecclesiæ post juramentum præstitum absolutus*. Unde meritò Alexander VII. istam propositionem confixit. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ*. *Recueil des Bulles pag. 462.*

Tertius effectus est, quòd privet usu divinorum Officiorum, Missæ, & Horarum canonicarum. Quamvis enim excommunicatus possit interesse concioni, quæ, ut cap. *Responsio*, titulo *De sentent. excommun.* patet, non comprehenditur sub divino Officio; quamvis item possit ac debeat Horas recitare, si sit Beneficiarius, vel in sacris constitutus; non potest tamen recitare cum aliis, nec interesse Officiis quæ publicè fiunt. **Tertius effectus: privatio divinorũ officiorum.**

Si verò Diaconus, vel Sacerdos sint excommunicati, in privata Officii recitatione ad quam tenentur, omittere debent verba ista, *Dominus vobiscum*, eorumque loco dicere, *Domine exaudi orationem meam*. Ratio est, quia verbis istis, *Dominus vobiscum*, denotatur publicæ personæ, videlicet Sacerdotis vel Diaconi, sacra cum populo fideli communicatio; quæ viro excommunicato interdicta est.

Cæterùm si privatim Officium recitetur, non videtur hæc obligatio esse sub pœna mortalis peccati, ob levitatem scilicet materiæ. Cùm igitur Casuistæ docent communiter, Sacerdotem excommunicatum qui orationem pronuntiat cum verbis istis, *Dominus vobiscum*, irregularem fieri; intelligendum est, de Sacerdote, qui cantans in Choro divinum Officium orationem diceret cum dictis verbis; tunc enim censetur functionem sui Ordinis publicè exercere, quæ quidem interdicta ipsi est; non autem de Sacerdote vel Diacono, qui privatim ac secretò Horas canonicas recitaret: non licet autem cum excommunicato alternatim divinum Officium recitare, quia non licet in divinis societatem & communicationem habere cum excommunicato.

Quæres quid facto opus sit, si in Ecclesia, tempore divini Officii, adfuerit excommunicatus publicus.

Respondeo 1. si sit toleratus, nec proinde nominatim denuntiatus, non sunt propterea intermittenda divina Officia: quia ex Constitutione *Ad evitanda scandala*, excommunicati non sunt vitandi, nisi specialiter ac nominatim fuerint denuntiati.

Respondeo 2. si non sit toleratus, sed nominatim denuntiatus, monendus est ut discedat: quòd si noluerit discedere. 1. novam incurrit excommunicationem Papæ reservatam, cap. *Gravis*. Clementina *De sentent. excomm.* 2. adstantes exire tenentur; aliàs peccarent graviter communicando cum excommunicato vitando. 3. Sacerdos ab altari recedere tenetur, si ad Canonem nondum pervenerit; secùs si inchoaverit: tunc enim inchoatum sacrificium perficere debet usque ad Communionem inclusivè, reliquum verò Liturgiæ in loco secreto, puta in sacrario, absolvet.

Quartus effectus majoris excommunicationis est inhabilitas seu incapacitas ad Beneficia & dignitates ecclesiasticas acquirendas & possidendas: quapropter præsentatio vel collatio in favorem excommunicati, etiam tolerati nec denuntiati; item institutio ac confirmatio, ipso jure nulla & irrita est. Ita statuitur cap. *Postulastis*, tit. *De Clerico excommunicatio*, ubi Innoc. III. ait, quòd *quia cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licitè retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum*, **Quartus effectus: inhabilitas ad Beneficia.** *Decret. p. 1771.*

cùm

cùm ea non fuerint canonicè consecuti. Illi verò qui scienter illa Beneficia talibus contulerunt, tamdiù debent à Beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in hoc quod delinquere præsumpserunt. Ratio hujus disciplinæ ab ipsomet S. P. indicatur, *quia cum excommunicatis communicare non licet*. Assumptio autem ad quodvis munus ecclesiasticum vel dignitatem, testimonium est communicationis.

Quæres 1. an excommunicatus qui ad Beneficium electus est ac nominatus, & ante adeptam illius possessionem absolutus fuit ab excommunicatione quam incurrerat, possit illud retinere, ac fructus ejus recipere.

Resp. non posse, quia ipsius electio seu nominatio & præsentatio nulla fuit & invalida: ex regula verò Juris, *Quod ab initio non valuit, tractu temporis validari non potest*. Nova igitur opus est post obtentam absolutionem, electione, nominatione seu præsentatione, ut possit Beneficium retineri: quòd si fructus ex illo percepisset Clericus, stante adhuc excommunicatione, illos restituere teneretur.

Quæres 2. si quis Clericus ante excommunicationem ad aliquod Beneficium electus fuisset, atque ante adeptam ejus possessionem excommunicatione ligaretur, an nulla evaderet ejus electio & nominatio.

Resp. negativè, quia subsequens illa Censura irritam non reddit priorem electionem, nec teneretur eo in casu Beneficii collator Beneficium alteri conferre: verùm Clericus ille tenetur, antequam ad possessionem hujus Beneficii admittatur, impetrare absolutionem à Censura, & obtinere; irrita quippe foret acceptatio ac possessio Beneficii stante ac durante vinculo excommunicationis.

Quæres 3. an excommunicatio subsequens legitimam Beneficii possessionem, privet Clericum Beneficio quod obtinet.

Decret. p. 1786. Resp. negativè: cap. *Ex Litteris*, *De excessu prælator.* Si tamen Clericus ille negligens esset in procuranda sibi absolutione, atque per annum in excommunicatione insordesceret, posset Beneficio spoliari; atque ut spolietur mandat Synodus Bituric. ann. 1286. Canon 9. & Conc. Trident. Sess. 25. de refor. cap. 3. *Excommunicatus*, inquit, *si post legitimas monitiones*
T. 9. Conc. p. 1249. *non resipuerit, non solùm ad Sacramenta & Communionem Fidelium ac familiaritatem non recipiatur, sed si obdurato animo Censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum, procedi possit.*

Quæres 4. an Clericus qui ante excommunicationem Beneficium possidebat, accedente Censura, si non Beneficii titulo, saltem ejus fructibus, Censura durante, privari possit.

Resp. non privari ipso jure, antequam judicis sententia asserit quæ hanc privationem decernat; quamdiu enim, Ecclesia permittente, titulo fruitur Beneficii, & ipsius fructibus fruitur. Ut enim ait regula Juris 42. *Accessorium naturam sequitur principalis*.

Quæres 5. an Clerico excommunicato conferri possit pensio; & an pensione, qua ante excommunicationem fruebatur, superveniente excommunicatione, ipso facto privetur.

Resp. triplicem pensionum speciem distingui debere.

Prima species planè spiritualis est, quæ in spirituali titulo fundatur, sive quæ propter spirituale ministerium confertur: v. g. Concionatori, Episcopi Coadjutori &c. Hujusmodi pensionis omnino incapax est excom-

com-

communicatus aut irregularis, quia sicut Beneficium, ita & pensio confertur propter spirituale officium, cujus incapax est Clericus sententia excommunicationis innodatus.

Secunda species pensionis merè temporalis est ac laica, in titulo merè temporali fundata. Talem pensionem Clerico excommunicato concedi posse, nihil repugnat.

Tertia denique species est pensionis mixtæ, quæ licèt ob spirituale ministerium non conferatur, statum nihilominùs clericalem requirit, & plerumque loco Beneficii datur Clerico, v.g. resignanti, permutanti, lite cadenti ac sustentationem necessariam non habenti; quare nonnihil affinitatis habet cum ecclesiastico Beneficio, atque eisdem fermè modis, quibus Beneficium, amitti potest. Hujus mixtæ pensionis possidendæ capacem esse excommunicatum, longè videtur probabilius, propter Declarationem Cardinal. super Sess. 14. Concil. Trident. cap. 7. ubi dicitur, *incapacitatem homicidæ ad Beneficia, extendendam non esse ad pensiones*. Inde patet responsio ad secundum: Canones siquidem nihil statuunt circa pensiones quibus donari possunt ac frui excommunicati. Porrò juxta regulam Juris 49. in Sexto, *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Adde & Declarationem mox dictam Congregationis Cardinalium.

Quintus effectus: privatio jurisdictionis. Decret. Grat. p. 1383. Decret. p. 902. Sext. p. 222. 238.

Quintus excommunicationis effectus in eo est, ut privet usu & exercitio licito omnis jurisdictionis spiritualis & ecclesiasticæ, cap. *Audivimus*, cap. 24. quæst. 1. cap. *Ad probandum. De sentent. & re judicata*, cap. *Romana. De officio Vicarii*, in Sexto capit. *Decernimus. De sentent. excommunicationis*. An verò excommunicatio privet etiam usu valido jurisdictionis, quæstio est, quam Theologi solvunt facta distinctione excommunicati tolerati, & non tolerati. Ab illo dicunt validè exerceri actus jurisdictionis, cap. *Ad probandum, De sentent. & re judicata*, non ab isto, seu excommunicato non tolerato. Ratio est, quia toleratus, seu nominatim non declaratus, nec denuntiatus, titulum habet coloratum, qui defectu occulto non aufertur: Lege *Barbarius*, Digestis *De officio Prætoris*, quæ quidem lex Jure canonico vulgò recipitur, cap. *Infamis* cap. 3. quæst. 7. Et revera id sapienter omninò provisum est ab Ecclesia, quod publicum ipsius bonum exigit: quanta enim foret rerum in Ecclesia perturbatio, si pendente dubio circa latam excommunicationem in ministrum ecclesiasticum, incertus ac dubius foret valor actionum quas exerceret?

Sextus effectus: irritat Rescripta apostolica. Sext. p. 16.

Sextus effectus est reddere irrita Rescripta apostolica: idest gratias, concessiones summi Pontificis non potest recipere excommunicatus, cap. *Ipso jur. de rescriptis*, in Sexto. Is tamen excommunicationis effectus vix hodie locum habet, propter absolutionem à Censuris, quæ semper continetur in Rescriptis apostolicis.

De effectibus excommunicationis respectu societatis & commercii cum Fidelibus.

I. Sacerdotes & omnes Ecclesiastici non debent publicè orare pro excommunicatis vitandis, excepto die & officio Parasceves. Dixi publicè, quia privatim & proprio nomine pro illis excommunicatis possunt orare, ut jam antea diximus.

II. Prohibetur omnibus Ecclesiæ ministris ne Sacramenta ministrent coram excommunicatis vitandis; imò Clerici admittendo & recipiendo tales excommuni-

municatos ad divina Officia, incurrunt excommunicationem minorem, & præterea ipsis interdicitur ingressus Ecclesiæ, donec satisfecerint Prælato cujus sententiam contempserunt, cap. *Episcoporum*. *De privil.* in Sexto. Excommunicationem verò majorem Papæ reservatam incurrunt, si excommunicatos à Papa ad Officia divina admittant, c. *Significavit*. *De sent. excom.*

III. illicitum est recipere vel petere Sacramenta ab excommunicato non vitando, nisi sit gravissima necessitas, v.g. periculum mortis.

IV. Non solùm Clerici, sed etiam omnes Fideles tenentur non assistere divinis Officiis coram excommunicato vitando, quia tunc cum illo communicarent in rebus divinis, quod non licet.

V. omnes Fideles tenentur excommunicatos non toleratos vitare, eorumque consortium fugere, non solùm in rebus divinis, sed etiam & in profanis: *Ne ave dixeris*, ait S. Joan. Epist. 2. & S. Paulus 1. Cor. 5. vult cum hujusmodi excommunicatis *nequidem cibum sumi*. Res verò in quibus communicare cum excommunicatis non licet, hoc versu exprimuntur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Os: intellige colloquia, oscula, amicitias, munera, litteras. Cap. *Excommunicatus*, causa 11. quæst. 3.

Orare: intellige prohiberi excommunicatis ecclesiastica Sacramenta, communia suffragia & Ecclesiæ orationes, tam intrà quàm extra Ecclesiam, & omnia spiritualia. Cap. *Alma*, quod ultimum est. *De sent. excom.* in Sexto.

Vale: hoc est, nequidem honorifica salutatio excommunicato exhibenda est, non ipsi assurgendum: quamquam existimant nonnulli, excommunicato salutanti, reddi debere salutationem, quia eo in casu officium est justitiæ necessariò persolvendum.

Communio: idest omnis societas civilis, omne commercium in contractibus ineundis, venditionis, emptionis &c. cum excommunicato interdicitur.

Mensa: idest non licet cum excommunicato cibum sumere, cohabitare in eodem hospitio, nisi fortè necessitas coegerit; ut si in itinere faciendo nonnisi unum hospitium fuerit, cap. *Cum excommunicato*, & cap. *Ad mensam*, causa 11. quæst. 3.

Quæres 1. an mortaliter peccet Fidelis qui cum excommunicato non tolerato in rebus civilibus ac temporalibus communicat.

Resp. 1. peccare venialiter dumtaxat, qui cum excommunicato denuntiato in rebus civilibus ac temporalibus communicat, nisi fortè adesset contemptus ecclesiasticæ disciplinæ: incurrit tamen excommunicationem minorem. Ita cap. *Excommunicatis*, & *Cum excommunicato*.

Resp. 2. non ita esse de communicatione in rebus divinis: qui enim in iis communicat proculdubio peccat mortaliter, ob gravitatem scilicet materiæ. Ita S. Thom. in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4. quæstiunc. 3.

Quæres 2. an qui excommunicatus est, licitè possit in tribunali etiam justitiæ sæcularis functiones judicis, advocati, actoris, testis, tutoris, curatoris &c. exercere.

Decret. p. 902. Sext. p. 726. Respondeo negativè. De judice ita statuitur in cap. *Ad probandum*. *De sentent. & re judicata*. De aliis verò in cap. *Decernimus*. *De sent. excomm.* in Sexto, ubi dicitur, *Quòd judex excommunicatos ab agendo, patrocinando & testificando repellere teneatur*. Idque ob eas ipsas causas quas cap. *Pia*, ex Gregorio IX. audivimus.

Quæres 3. an excommunicatus privandus sit ecclesiastica sepultura.

Resp.

Resp. affirmativè, si vel nominatim & expressè denuntiatus est, vel adeò publicus ac notorius Hæreticus, ut negari non possit, quales erant apud nos Calviniani ante revocationem Edicti Nannetensis, cap. *Sacris*, *de sepultur.* *Sacris est Canonibus institutum*, ait Innoc. III. *ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis.... Unde si contingat interdum quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cæmeterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni potuerunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum ossibus corpora tumulentur Fidelium.* Verùm Ecclesia vel cæmeterium in utroque casu reconcilianda est, c. *Consoluisti*, tit. *De consecr. Ecclesiæ*. Obligatio autem non communicandi cum excommunicato nominatim denuntiato & vitando reciproca est; nec tantùm cadit in ipsum excommunicatum, ne scilicet in societatem aliorum Fidelium se ingerat; sed etiam in ipsos Fideles, ne in suam societatem excommunicatum hominem admittant. Nihilominus nonnulli occurrunt casus, in quibus societas illa permittitur.

Decret. p. 1208.

Ibidem p. 1261.

Quibus in casibus, quibusve personis jura permittant cum excommunicato non tolerato in rebus civilibus communicare.

Omnes illi casus in Jure expressi hoc versu continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

I. *Utile:* idest notabilis utilitas spiritualis vel corporalis, tum nostra, tum excommunicati, cap. *Cum voluntate*, *de sent. excomm.* quod est Gregorii IX. Quapropter licitum est excommunicato auxilium ferre, tum spirituale, tum corporale, & ab eo recipere, ubi summa exigit utilitas. *Grat. p. 1927.*

II. *Lex:* scilicet matrimonialis, qua tenentur conjuges, si vel ambo, vel alteruter excommunicatus fuerit, cohabitare secum, prolis educationi invigilare, rei familiaris curam habere &c.

III. *Humile:* hoc est necessitas communicandi ratione subjectionis, & reverentiæ quam debent liberi parentibus, & servi seu famuli dominis, tametsi excommunicatis. Ita Innoc. III. cap. *Inter alia*, *de sent. excomm.* & Gregorius VII. Can. *Quoniam multis*, cap. 11. qu. 3. *Apostolica*, inquit, *auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus: videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec-non rusticos servientes, & omnes alios qui non adeò curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur:* quæ postrema verba indicant, neque uxorem lege conjugii, neque liberos aut servos titulo obsequii, cooperari posse crimini seu peccato excommunicati, vel mariti, vel patris, vel domini. *Decret. p. 1901.* *Apud Grat. p. 959.*

IV. *Res ignorata:* idest ignorantia tam juris quàm facti, modo crassa & affectata non sit, sed invincibilis. In dubio autem latæ in aliquem excommunicationis, non tenetur quis eum vitare: secùs, si certa ipsi foret & cognita illius excommunicatio, incerta verò excommunicationis absolutio.

V. *Necesse:* hoc est necessitas vitandi aliquod grave incommodum animæ vel corporis, famæ & bonorum temporalium. V.g. si quis metu mortis adigatur communicare cum excommunicato non tolerato, non peccabit, dummodo non participet in crimine *criminoso* ut vocant; idest dummodo non committat peccatum propter quod alius excommunicatus est.

Observa autem, prohibitum esse omnibus Fidelibus communicare cum excommunicato vitando, sive in rebus sacris & spiritualibus, sive in humanis & civilibus, sub pœna excommunicationis minoris. Si verò Fideles communicant cum excommuuicato in crimine *criminoso*, tunc incurrunt majorem

excom-

excommunicationem: unde qui cooperantur per consilium, favorem, vel auxilium, ut excommunicatus in suo crimine contumaciter persistat, majorem excommunicationem incurrunt, à qua non possunt absolvi, nisi ab illo, à quo ille criminosus absolvi potest. Cap. *Nuper à nobis*, *De sent. excomm.*

Observa præterea, duos esse alios casus in quibus Fideles qui communicant cum excommunicato vitando, non minorem sed majorem excommunicationem incurrunt. Primus est in Jure canonico contra sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro. Cap. *Sacris*, *de sepulturis*. Secundus est contra Clericos excommunicatum à S. Pontifice admittentes ad divina Officia.

De minori excommunicatione.

Minor dicitur comparatè ad majorem, quia minor est illius effectus, nec iis omnibus Ecclesiæ bonis privat, quibus privantur qui majoris excommunicationis vinculo sunt adstricti.

Quid sit minor excommunicatio. Minor excommunicatio definitur, *Censura qua quis Sacramenta percipere non potest, nec ad Beneficia aut dignitates ecclesiasticas eligi*. Unde duplex est hujus minoris excommunicationis effectus, privatio scilicet passivæ Sacramentorum, & electionis passivæ ad Beneficia & ecclesiasticas dignitates. Potest igitur qui tali Censura ligatus est communicare cum Fidelibus, Missæ sacrificio, cæterisque divinis Officiis unà cum ipsis interesse; retinere jus ad Beneficia conferenda; imò potest & administrare Sacramenta: neque hæc exercendo fit irregularis, quandoquidem nullo jure hæc irregularitas contra illum decernitur; peccaret tamen celebrando Missam, eò quòd in celebranda Missa Eucharistia debet recipi. Manifesta ista sunt ex Gregorio IX. c. *Si celebrat*, *de Cleric. excom. vel despons. ministr.* *Si*, ait S. P. *celebrat minori excommunicatione ligatus, licèt graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit; nec eligere prohibetur, vel ea quæ ratione jurisdictionis sibi competunt exercere: si tamen sciente talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, pro eo quòd ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. Patribus est privatus. Peccat autem conferendo ecclesiastica Sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non carent effectu; cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus. Dummodò non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit: in quo casu est anathemate feriendus.* Decret. p. 1774.

Minor excommunicatio contrahitur ab iis qui cum excommunicatis non toleratis illicitè, ac extra casus jam expositos, in divinis vel in civilibus communicant: semper etenim communicatio & societas cum excommunicatis prohibita fuit. Can. *Qui communicaverit*, cap. 11. quæst. 3. *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, si Laicus est, excommunicetur*. Can. *Sanctis*, ibidem, *Sanctis quippe Canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur*. Et cap. *Cùm desideres*, *de sentent. excommunic.* *Qui cum excommunicato scienter communicaverit, excommunicationis pœnam contrahit cum eodem.* Decret. Grat. p. 917. Decret. pag. 886. num. 30.

Dixi excommunicatione minori ligari qui communicat cum excommunicato non tolerato seu denuntiato: ex commercio etenim seu communicatione cum excommunicato tolerato, nulla prorsus jam post Constitutionem *Ad evitanda scandala*, nequidem minor contrahitur excommunicatio.

Dixi

Dixi præterea, si illicitè quis communicet: qui enim in crimine ipso, propter quod aliquis excommunicatus fuit, aut consilio, aut cooperatione communicaret, is, ut jam diximus, non tantum minori, sed etiam majori excommunicatione innodaretur. Rem totam exponit ac solvit Innocentius III. cap. *Nuper, de sentent. excommunic.* Interrogatus S. P. *utrum qui nominatim excommunicatis scienter communicant, solvi ab excommunicatione possint, & per confessionem à simplici Sacerdote; vel Episcopi seu Archiepiscopi sit absolutio expetenda.* Cui quæstioni cum distinctione sic respondet Innocentius III. *Credimus distinguendum, an is qui nominatim excommunicato, communicat scienter in crimine communiter criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem; aut aliàs in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cùm talis communicet crimini & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo, vel ejus superiore, merito delicti, tunc erit absolutio requirenda, cùm facientem & consentientem par pœna constringat. In secundo verò casu à suo Episcopo vel à proprio Sacerdote poterit beneficium absolutionis obtinere.* Rursus cap. *Si concubinæ*, eod. tit. sic ait Innocentius III. *Si concubinæ publicæ Clericorum ecclesiastica Censuræ districtione notentur, eosdem concubinorios non est dubium sententia excommunicationis majoris involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminosis.*

Ibidem p. 1808.

Ibidem p. 1928.

Morinus exercitatione 17. & 18. quosdam minoris, seu *minimæ*, ut ipse vocat, species & exempla profert excommunicationis, qua certis in casibus Episcopus, v.g. cùm à Metropolitano ad Synodum vocatus, venire negligebat, à communione tum Metropolitani, tum comprovincialium Episcoporum, usque ad proximam Synodum, excludebatur, suorum dumtaxat in sua Diœcesi communione contentus. Dicebatur illa excommunicatio, exclusio *à charitate* aliorum Episcoporum: non illa quidem, qua fratres nostros, imò & inimicos in Christo diligere debemus, absit: sed gratiosa quadam communicatione, quæ his quatuor capitibus continebatur, ait Morinus Exercitatione 17. *mutua scilicet visitatione; solemnium, in Collegarum Diœcesi, dum in ea moraretur, etiam præsente Collega celebratione; Litterarum formatarum & commendatitiarum reciproca missione & acceptatione; in Conciliis denique auctoritate, suffragiis & consessu.*

Variæ species minoris excommunicationis.

Excommunicatio à charitate.

Hujus excommunicationis exemplum occurrit in Episcopo sine justa causa non accedente ad Synodum Provincialem; hunc enim Synodus V. Carthaginensis Can.10. jubet *Ecclesiæ suæ communione contentum esse.* Et Tarraconense Can.6. *Si quis Episcopus*, ait, *commonitus à Metropolitano, ad Synodum, nulla gravi intercedente necessitate corporali, venire contempserit, sicut statuta Patrum sanxerunt, usque ad futurum Concilium, cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur.* Idem habemus ex Synodo Matisconensi II. Canon. 20. Vormatiensi sub Adriano II. Can. 16. Multis aliis Veterum testimoniis ostendit ibidem Morinus, in usu fuisse hanc excommunicationis formam, *Privetur communione charitatis; suorum communione contentus sit.*

T.2.Conc. p.1217. T.4.Conc. p.1564. T.5.Conc. pag.937. T.8.Conc. pag.949.

Altera excommunicationis species apud Antiquos etiam non infrequens, in nuda communionis subtractione aut denegatione posita erat, qua nempe Episcopi vel Ecclesiæ à mutua communione sese separabant; atque ita una alteram quasi excommunicabat, licèt sibi minimè subjectam. Ita S. Epiphanius Salaminæ Episcopus Joanni Jerosolymitano nullo titulo sibi sub-

aito

dito communionem denegavit, ut constat ex Epistola 110. aliàs 60. inter Hieronymianas. Ista verò communionis separatio, à Veteribus excommunicatio dicebatur: attamen excommunicatio propriè dicta non erat, utpote quæ à potestate & usu clavium minimè dependeret, atque etiam circa non subditos exerceretur.

Excommunicatio quæ plenum vel non plenum effectum assequitur.

Observa hic obiter, inter excommunicationes quæ juridicè feruntur, alias esse quæ plenum & integrum sortiuntur effectum, non reclamante Ecclesia, idest Episcoporum collegio; alias verò quarum effectus aut cassus est aut suspensus, sive quòd Episcopi contra sententiam excommunicationis reclament, quam aut minùs justam, aut saltem intempestivam reputant, sive quia S. Pontifex sua agendi ratione censetur plenum & perfectum excommunicationis jam ab ipso latæ effectum suspendere, & denegare dumtaxat communionem specialem *ecclesiasticam & charitatis*, de qua mox diximus, non verò catholicam & universalem.

ARTICULUS IV.

De Monitoriis.

Quid sit Monitorium, quid Aggrave *&* Reaggrave.

Resp. ad primum, Monitorium esse monitionem simul ac mandatum Judicis ecclesiastici in finem revelationis; quo scilicet jubet, ut qui auctorem, complicem, cooperatorem, promotorem &c. criminis, vel criminum quæ in Literis monitionis denuntiantur, noverint, teneantur sub pœna excommunicationis revelare seu manifestare. Id enim juris habent tum ecclesiastici, tum sæculares Judices, ut ad publicum Reipublicæ bonum, pacem ac tranquillitatem, malos arceant; atque ut cognoscantur, cùm occulti sunt, Litteras monitoriales vel decernant, vel decerni jubeant.

Concil. Trident. Sess. 25. cap. 3. de refor. hæc habet circa Monitoria: *Excommunicationes illæ quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus fieri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo, decernantur; & tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat: nec ad eas concedendas, cujusvis sæcularis, etiam Magistratus, auctoritate adducatur*. Congruit hæc Concil. Trident. lex cum moribus nostris Gallicanis, in aliquibus; in aliquibus verò discordat, sicut in decursu dicendorum patebit.

Resp. ad secundum, non ita clarum ac perspectum esse sensum istorum verborum, *Aggrave*, *Reaggrave*: an idem significent, quod vox *anathema*; an solam excommunicati pertinacem contumaciam; an novum aliquem excommunicationis effectum seu internum, seu externum; an denique modum declarandi excommunicationem cum apparatu quodam tristi ac terribili, quo excitari ac commoveri poterat excommunicatus.

Tom. II. Concil. p. 567.

Conc. Turon. an. 1239. c. 9. hanc pœnarum distinctionem refert; *Prohibemus*, ajunt Patres, *ne Prælati Ecclesiarum excommunicationis sententias præcipitare præsumant, sed cum maturitate & legitimis monitionibus, & competentibus intervallis, nisi negotium celeritatem desideret, & nisi periculum sit in mora. Et tunc*

hoc ordine procedatur, ut primò delinquentes excommunicentur; postea crescente contumacia, cum pulsatione campanarum, & aliis solemnitatibus sententia aggravetur: & nisi excommunicati ad gremium Ecclesiæ redierint, euntes ad mercata, & coquentes ad furna, molentes ad molendina excommunicentur: postmodum participantes in cibo & potu anathematis sententiæ supponantur.

Quidquid sit, Evellonius in Tractatu de excommunicationibus & Monitoriis, publici juris facto an. 1651. observat, citata verba à multis Episcopis Gallicanis in Literis monitorialibus quas decernunt, non usurpari; imò ea, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, præsertim in Gallia, omnino superflua & inutilia videri: tum quia effectus interior excommunicationis varios non habet gradus, nec suscipit magis & minùs; quilibet enim excommunicatus æqualiter excluditur à jure communionis ecclesiasticæ, suffragiis Fidelium, & Sacramentorum communicatione: tum quia quantùm ad effectum externum, non tenentur Fideles, juxta præsentem disciplinam, excommunicatum, sive occultus sit, sive cognitus, vitare, nisi sit nominatim declaratus ac denuntiatus, quo casu excommunicatus excluditur à communione Fidelium, tum in sacris seu divinis, tum in civilibus seu politicis. *Evellon Can. Andegav. Epist. de licent. &c. 20. n. 2.*

Quis facultatem habeat decernendi Monitoria.

Conc. Trid. verbis paulò ante citatis ex Sess. 25. ref. c. 3. duo statuit. 1. Solis Episcopis facultatem hanc concedere videtur. 2. Prohibet ne cujusvis sæcularis, etiam Magistratus, ad eas Litteras monitoriales concedendas, auctoritate adducatur.

Verùm quantùm ad primum, verisimile non videtur Concilium ab eo jure excludere voluisse Vicarium generalem, aut Officialem Episcopi; sic enim mentem Concilii interpretantur Patres Conc. Turonensis an. 1583. tit. *De jurisdictione. Quia*, inquiunt, *Literæ querimoniales seu monitoriales ad finem revelationis tam à dictis Officialibus Ordinariorum, quàm ab Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, aliisque nimis facilè in multorum scandalum & divini cultus diminutionem concedi videmus: hincque illas magis contemni, quàm formidari, ac perniciem parere potiùs quàm salutem: œcumenicis Conciliis inhærendo, illas à nemine prorsus quàm ab Episcopis, seu eorum Vicariis & Officialibus generalibus, in posterum decerni vetamus.* *Tom. 15. Conc. p. 1045.*

Idem statutum legimus à Synodo Narbonensi an. 1609. c. 44. *Soli Episcopi*, ait, *aut eorum Vicarii .... sententiam excommunicationis publicari mandabunt, aliis omnibus talem facultatem, juxta sacrosancti Concilii Tridentini statuta tollentes, prout in præsenti tollimus, non obstante quacumque in contrarium consuetudine. Inhibentes Parochis alias excommunicationes super Monitoriis publicare, quàm quæ ab Episcopo aut Vicario generali fuerint emanatæ.* Igitur mens Concilii non fuit spoliare Vicarios generales & Officiales jure decernendi Litteras monitoriales, sed ipsos dumtaxat Archidiaconos, Archipresbyteros, Decanos, Abbates &c. Usus ille tam altas radices in multis Galliæ Diœcesibus egit, ut non Episcopi, sed solius Officialis nomine Litteræ illæ decernantur & publicentur; pertinent enim illæ ad jurisdictionem fori contentiosi, quam Episcopi non per sese, sed per suos Officiales exercent. A sententia nihilominus Officialis ad Episcopum provoca- *Ib. pag. 1622.*

vocari non potest, quia idem est utriusque tribunal, eadem jurisdictio.

Quantum verò ad secundum, contrarius usus ac disciplina invaluit in Galliis, ubi regiis Edictis cautum est ut Litteræ monitoriales in rebus purè temporalibus ac criminalibus decernantur ad postulationem & ex licentia, aliquando etiam jussu ac mandato Judicis seu Magistratus civilis. Ita fert Edictum regium an. 1695. art. 26. circa jurisdictionem Ecclesiasticam, his verbis, *Les Archevèques & Evèques, & leurs Officiaux ne pourront decerner des Monitoires que pour des crimes graves, & scandales publics; & nos Juges n'en ordonneront la publication que dans le même cas, & lorsque l'on ne pourroit avoir autrement la preuve.* Et in Sanctione regia criminali an. 1670. tit. 7. art. 2. statuitur Officiales cogi posse sub pœna privationis proventus temporalis, ad decernenda Monitoria in materia criminali. Possunt nihilominus Episcopi, ob urgentem suarum Diœceseum necessitatem ac bonum publicum, ex officio Monitoria decernere, ut constat ex Decreto supremi Regii Consistorii dato die 16. Martii an. 1646. in gratiam Episcopi Bazatensis, qui Monitorium concesserat, ut certam & comprobatam haberet doctrinam quam D. De la Badie sua in Diœcesi prædicaverat. Decretum refertur Tom. 1. Commentariorum Cleri Gallicani tit. 2. c. 8. art. 21.

Edit. de 1695.

Mem du Clergè tom. 1.

Decerni non debent Monitoria nisi ad postulationem partis alicujus conquerentis, quæ vel proprio nomine, vel ex conditione designanda est. Hæc autem vel est publica, nempe Promotor in Curia Officialis, Procurator regius, cujus est paci ac tranquillitati publicæ invigilare; vel civilis, ille scilicet qui damnum aliquod, de quo conqueritur, passus est. Non poterit autem, ut jam diximus, Judex Ecclesiasticus in materiam purè civili Monitiones decernere, nisi ad postulationem & ex licentia Judicis sæcularis.

Quæ causæ sint propter quas decerni possint Monitoria:

Resp. 1. Ex Concilio Trid. non leves illas esse debere, sed graves; & ex Edicto regio an. 1695. art. 26. *Les Officiaux ne pourront decerner des Monitoires, que pour des crimes graves, & scandales publics.*

Resp. 2. In causis criminalibus, quæ pœna capitis plectuntur, decerni illa posse ac debere. Hæc est Regni Gallicani disciplina & praxis: unde Ecclesiasticus Judex, sicut jam diximus, privatione sui temporalis cogi potest ex Sanctione regia criminali ann. 1670. ad illas Monitiones publicandas; unde Judex civilis jus habet examinandi quæ deteguntur ac revelantur via illarum Monitionum. Ab hac disciplina minimè recedit Concil. Trid. sess. 24. c. 3. imò hanc probat & imperat. *In causis quoque criminalibus*, inquit, *ubi executio realis vel personalis fieri poterit, erit à Censuris abstinendum; sed si dictæ executioni facilè locus esse non possit, licebit judici hoc speciali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet.*

Romæ huic disciplinę derogatur: nulla quippe Monitio decernitur in causa criminali; aut saltem ad solos effectus civiles limitatur, hac expressa imposita conditione, *Decernentes & expressè declarantes, quòd dicti instantes nullo umquam tempore ex revelationibus hujusmodi, si illas fieri contingat, valeant agere, aut illis uti, nisi pro interesse civili, & civiliter tantùm.* Abusivum apud nos foret Monitorium cum tali restrictione ac limitatione ad effectum purè civilem.

Neque est quòd Judex Ecclesiasticus pertimescat irregularitatem si fortè Monitorio ac revelationibus sequeretur reum capite puniri: tum qui causa est

est dumtaxat remota hujus punitionis; tum quia in hujusmodi criminalibus causis Ecclesia permittit Monitoria decerni, tametsi non ignoret inde mortem rei sequi posse. An verò id permitteret Ecclesia cum tanto judicis damno ac detrimento? Præterea usu recepto Judex Ecclesiasticus Clericum capitalis criminis reum, cui pœnas canonicas imposuit, ad Judicem sæcularem, à quo reposcitur, remittit, tametsi morte afficiendum esse non ignoret, nec idcirco tamen Ecclesiasticus Judex irregularitatem incurrit.

Resp. 3. Ob injurias seu convicia quæ ore proferuntur, decerni non debere Monitoria, nisi gravia & atrocia fuerint, quibus honos & fama virorum in aliqua dignitate constitutorum, v. g. Episcoporum, Presbyterorum, Magistratuum &c. læditur. Ratio primæ partis est, quòd leves illæ injuriæ bonum dumtaxat privatum, non publicum spectant; & si qui læsus fuit reparationem intra annum non exigat, posterior accusatio, si quæ fieret, nulla & caduca foret. *Injuriarum causa non publici judicii, sed privati continet querelam*, ait Lex *Injuriarum*. Codicis lib. 9. tit. 35. *De injuriis*. Ratio secundæ partis est, quòd atroces illæ injuriæ adversantur bono publico. *Generales monitiones in forma malefactorum*, ait Concil. Senonense an. 1528. in 31. decreto morum, *non decernantur pro injuriis verbalibus, nisi fortè atrocibus, quarum distinctio arbitrium Officialium relinquatur*: quod Decretum confirmavit Synodus Tolosana an. 1590. p. 4. c. 1. *Nullæ*, inquit, *pro maledictis convitiisque, ni fortè atrociora Ordinarii judicio videbuntur, excommunicationes decernantur*. Tom. 14. Conc. p. 477. Tom. 15. Conc. p. 1410.

Quæres an propter Libellos famosos decerni possint Litteræ monitoriales in finem revelationis, tum auctorum, tum eorum qui eos in publicum distribuunt ac disseminant. Libelles diffamatoires.

Resp. Affirmativè, nihil etenim in Republica perniciosum magis hac Libellorum famosorum peste. Ita Conc. Eliberitanum Can. 52. quem laudat Gratianus can. *Si qui inventi*, & Lege unica in Codice lib. 9. tit. 36. *De famosi Libellis*, quibus concinit Edictum Caroli IX. an. 1571. *Defendons à peine de punition corporelle, tous Libelles, Livres, placarts & portraits diffamatoires; & sera procedè extraordinairement, tant contre les auteurs, compositeurs & imprimeurs, que contre ceux qui les publieront.* Dec. Gr. p. 784.

Prohibent Concilia Mediolanense, Tolosanum & Narbonense an. 1609. ne concedantur Monitoria ad restitutionem rei jam à longo tempore deperditæ ac furto subreptæ, cujus memoria tota ferè extincta est. *Excommunicationum Litteræ*, ait Concilium Mediolanense IV. tit. *De foro Episcopali non concedantur pro re quæ ita diu amissa aut subtracta est, ut illius memoriam amplius non haberi verisimile sit .... Neque verò contra aliquem, quem pro rebus in Monitoriis expressis, satisfacere non posse constet. Neque præterea in loco ubi eas verisimile sit negligi contemnive*. Difficile est, regulam hanc in Galliis observare, quia Judex Ecclesiasticus sæpissimè à Judice civili sub pœna privationis proventus temporalis adigitur ad ea Monitoria decernenda. Tom. 15. Conc. p. 538.

In Monitoriis ea dumtaxat enuntiari debent quæ continentur in sententia Judicis sæcularis; nec verò persona, quæ in suspicione venit, vel nominanda, vel ita designanda est, ut facilè dignoscatur. Tenentur Parochi inter Missarum solemnia per tres consequentes hebdomadas diebus Dominicis Monitoria ad se directa alta voce legere ac publicare.

Quinam teneantur revelare, si noverint, facta in Monitoriis expressa; vel excusentur à revelatione.

Certum est Fideles qui subditi sunt jurisdictioni Episcoporum, quorum Officiales Literas monitoriales decernunt, revelare teneri, si noverint, ea quæ in dictis Litteris continentur; est quippe lex Ecclesiastica, cui necesse est obtemperare: qua enim auctoritate fertur à Superiori, eadem ad ipsi obediendum sub pœna excommunicationis subditi obstringuntur.

Ab illa verò revelandi obligatione excusantur.

I. Infantes qui nondum pleno fruuntur rationis usu.

II. Qui in aliena versantur Diœcesi, tametsi auctorem criminis noverint, nisi fortè crimen hujusmodi sit, ut jure ipso naturali urgeat obligatio illud detegendi; quale foret crimen læsæ Majestatis, aut aliud ex quo ruina & pernicies totius Provinciæ vel civitatis timeri meritò posset.

III. Ii qui sine periculo manifesto vitæ, famæ, aut gravissimi alicujus detrimenti, revelare non possent; neque enim cum tanto dispendio leges humanæ obligant: illi tamen curare debent, ut alia via damnum patienti fiat satis.

IV. Excusantur consanguinei & affines; aliàs vix staret humana societas. Quò usque verò istud privilegium extendatur, non consentiunt Theologi. Alii illud limitant ad secundum gradum inclusivè; alii extendunt ad quartum, etiam inclusivè. Nihil certius hoc in dubio dici potest, quàm, eum, qui per judicem eximeretur à testimonio ferendo, non teneri revelare, quia nempe Monitoria eo fine dumtaxat promulgantur, ut crimen probari possit in foro contentioso: quare si consanguineus aut affinis in tertio vel quarto gradu non teneatur ferre testimonium, nec tenetur etiam vi Monitorii quidquam detegere, nisi Reipublicæ ac Regiæ Majestatis salus periclitaretur; v. g. propter hæresim occultè grassantem, vel proditionem patriæ; nec sint alii testes qui rem manifestent: bonum quippe publicum præferri debet privato; & hæc exceptio extendi debet ad præcedentem casum, & ad alios nonnullos ex sequentibus.

V. Excusantur quibus delictum revelatum est causa capiendi consilii, ut Advocati, Procuratores, Medici, Obstetrices, fidus amicus, nisi fortè istæ personæ facinus alia via cognovissent.

Sed, inquies, si amicus rem didicit ab amico sub secreto naturali, non consilii capiendi causa, an tenetur revelare? Resp. S. Th. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. *De illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa verò ea, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ; vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia quæ quis prodere non tenetur: unde potest obligari ex hoc quòd sibi sub secreto committuntur; & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præ-*

cepto

cepto Superioris, quia servare fidem est de jure naturali: nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de re jure naturali. Hactenus S. Thomas.

VI. An famuli domestici teneantur revelare crimen sui domini, res est inter Theologos controversa: alii affirmant, alii negant; quæ postrema sententia universim sumpta, vera non videtur. Quamquam enim fatendum sit durum esse, odiosum, imò & periculosum servos dominis suis tali revelatione nocere, attamen constat ex praxi, Judices sæculares sub sacramento domesticos adigere, ut testimonium ferant de homicidio in familia patrato, de supellectili subtracta post domini sui obitum. Cùm ergo Monitorii finis sit suppeditare testimonia ad decisionem litis apud Judicem pendentis, standum est praxi fori contentiosi, in quo si famuli à Judice interrogentur, an fortè quid noverint de patrato in familia crimine, tenentur illi quod sciunt, aperire: si verò non interrogentur, valde probabile est noluisse Ecclesiam eos vi Monitorii adigere sub pœna excommunicationis quidquam revelare in damnum ac detrimentum sui domini; atque idem ferè dicendum, quod de consanguineis & affinibus dictum est: sic utraque opinio affirmans & negans conciliari potest.

VII. Si crimen omnino sit occultum, qui illud privatim cognoscit, tenetur auctorem illius monere priùs, *Corripe illum inter te & ipsum solum:* modò tamen spes affulgeat emendationis: quòd si damnum reparet, testis illud manifestare non tenetur. Idem dicendum, si auctor damni rei familiaris angustia illud resarcire non valeat; at debitum assecurare saltem tenetur. *Matt. 18.*

VIII. Si constet, eum adversùs quem promulgatur Monitorium, bona subtracta justo titulo possidere, v. g. justa compensatione, præscriptione legitima: non est declarandus.

IX. Neque reus criminis, neque complices tenentur seipsos declarare vi Monitorii, nempe enim quis tenetur ferre testimonium adversùs seipsum. Dico, vi Monitorii: si enim reus à testibus accusatus à Judice interrogetur, tenetur ille veritatem declarare.

X. Clerici non tenentur revelare in causis criminalibus, maximè quando eorum revelatio mortem alicujus inferre potest, nisi bonum commune aliud exigat, ut in causa læsæ Majestatis, hæresis &c.

Cæterùm in dubio an quis teneatur revelare, consulendus est peritus Confessarius: ipso verò dubitante, recurrendum est ad Episcopum.

Observandum, quòd si quis intra præscriptum tempus in Monitorio non revelavit, graviter peccavit, & excommunicationem incurrit; à revelandi tamen obligatione non liberatur, quia terminus non ad finiendam obligationem revelandi, sed ad illam urgendam apponitur: unde si revelatio adhuc sit utilis, adigendus est à Confessario ad revelandum.

CAPUT SECUNDUM.

De suspensione.

Tribus Articulis quæstionem hanc absolvemus. In primo quæremus quid sit suspensio: in secundo, quotuplex sit: in tertio agemus de ejus effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit suspensio.

SUspensio definitur, *Censura qua Clerico probibetur usus seu exercitium Ordinis, vel Officii, vel Beneficii.*

Decret. p. 117. n. 30. Dicitur 1. *Censura*, ut distinguatur præsertim ab irregularitate, depositione, degradatione, & ab ea specie suspensionis quæ imponitur in modum pęnæ tantùm, de qua mentio fit c. *Cùm in cunctis*. *De electione*.

I. Ab irregularitate: quia hæc semper non est pœna, sed mera inhabilitas seu impedimentum ad Ordines suscipiendos vel exercendos, qualis nascitur ex defectu naturali corporis vel animi.

II. Distinguitur à depositione & degradatione; quia in his Clericus ipsa potestate jurisdictionis, & ipso Beneficii titulo; in suspensione autem solo usu seu exercitio jurisdictionis & Beneficii privatur: deinde depositio ac degradatio perpetua esse solet, suspensio verò ad tempus fertur.

III. Distinguitur ab ea specie suspensionis, quæ imponitur in modum puræ pęnæ tantùm: licet enim suspensio semper pœna sit, non tamen semper propriè est Censura medicinalis, ut vocant, ad emendationem futuram, sed aliquando in meram punitionem culpæ præteritæ, ut constat ex cap. *Tam Litteris*. *De testibus*. Triplex igitur discrimen est inter utramque suspensionis speciem. 1. Suspensio quæ fertur in modum puræ pœnæ, tempus habet definitum; quæ autem est Censura propriè dicta, pendet ab emendatione & contumacia. 2. Suspensio quæ mera pęna est non requirit pręviam monitionem, sicut suspensio quæ vera est Censura. 3. Ista tolli non potest nisi per absolutionem, illa verò tollitur per lapsum definiti temporis.

Ib. p. 730. nu 30.

Dicitur 2. *Qua Clerico probibetur* &c. quibus verbis significatur suspensionem in solos Clericos cadere posse, quia soli Clerici capaces sunt potestatis ac jurisdictionis ecclesiasticæ, cujus usu & exercitio per suspensionem privantur: unde distinguitur ab excommunicatione & interdicto, quæ pœnæ non tantùm in Clericos, sed etiam in Laicos cadere possunt, Aliunde verò excommunicatio communibus Ecclesiæ bonis privat, interdictum verò participatione divinorum Officiorum: suspensio autem à solo ministerio ecclesiastico.

Dicitur 3. *Probibetur usus Ordinis, vel Officii, vel Beneficii*: quibus verbis iterum distinguitur à depositione & degradatione, quæ non solùm privant usu jurisdictionis & Beneficii, sed etiam ipsa jurisdictionis potestate ac Beneficii titulo.

Sext. p. 713. Observandum hìc 1. Episcopus in suspensionem ipso jure latam & ipso facto incurrendam non cadere, nisi in Constitutione; quæ talem Censuram pronuntiavit, expressa eorum fiat mentio. Ita declaravit In. IV. c. *Quia periculosum*. *De sent. excom.* in Sexto. *Quia periculosum est*, inquit, *Episcopis & eorum superioribus, propter executionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto: nos declaratione provida duximus statuendum, ut Episcopi & alii superiores Prelati, nullius Constitutionis occasione, sententiæ, sive mandati, prædictam incur-*

cur-

currant sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.

Observandum 2. Clericum suspensionem aliquando incurrere posse, non propter suam, sed alienam culpam, cùm nempè id expedire Superior judicat. Ita S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. a. 3. q. 2. *Suspensio*, inquit, *non tanta pœna est, quanta excommunicatio: quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati; unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur.* Confirmatur hæc S. Thomæ sententia ex c. *Requisivit. De ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatui*, ubi Clerici qui bona fide Ordines susceperant ab Episcopo quem ignorabant Episcopatui renuntiasse, tamdiu suspensi declarantur, quamdiu suo Episcopo visum fuerit. Et c. *Vel non est compos. De temporibus Ordinationum.* Honorius III. S.P. vult juvenem aliquem annos dumtaxat tredecim natum in Diaconum ordinatum, manere suspensum, donec ætatem à Canonibus determinatam attigisset. *Decret. p. 7. 262.* *Ib. p. 25.*

Observandum 3. Suspensionem ferri posse non tantùm contra privatos, sed etiam contra Communitates, v.g. Ecclesias Cathedrales & Collegiatas, Monasteria, Conventus. Ita constat ex c. *Quia sæpe. De electione*, in Sexto, & c. *Si ad Episcopum. Ne sede vacante aliquid innovetur.* *Sext. p. 175.* *Ib. p. 516.*

ARTICULUS II.

Quotuplex sit suspensio.

I. Alia est à jure, alia ab homine.

II. Alia ab Ordine, alia ab Officio, & alia à Beneficio.

III. Alia totalis, & alia partialis.

Totalis ea dicitur, quæ privat omni usu potestatis ecclesiasticæ, sive Ordinis sit, sive jurisdictionis; atque ita suspendit ab Ordine simul, & ab Officio, & à Beneficio.

Partialis verò privat ab aliqua dumtaxat parte, vel Ordinis, vel Officii, vel Beneficii: *Qui suspensus est ab Ordine tantùm*, ait S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. a. 2. qu. 3. *Non potest ea quæ sunt Ordinis, sed potest ea quæ sunt jurisdictionis: & è converso, si sit suspensus à jurisdictione & non ab Ordine: si autem ab utroque, tunc neutrum potest.*

Suspensio *ab Ordine* privat usu Ordinum: ita nec Sacerdos Missam licitè celebrare, Sacramenta ministrare; nec Diaconus aut Subdiaconus munere suo defungi, uno verbo ea peragere non possunt, quæ à potestate Ordinis dependent.

Suspensio *ab Officio* privat usu jurisdictionis: unde non potest tali Censura ligatus, Censuras ferre, indulgentias concedere, eligere ad Beneficia, delegare ad munia sacerdotalia obeunda &c.

Suspensio *à Beneficio* privat Clericum fructibus temporalibus sui Beneficii, quos administrare non valet. C. *Cùm Vintoniensis. De elect.*

Verùm in Gallia usus ille ac disciplina non obtinet: quamdiu enim Clericus depositus non est, nec titulo Beneficii spoliatus, fructibus sui Beneficii privari non potest. *Decret. p. 146.*

Quæres: Quando jus vel sententia absolutè ac indeterminatè decernit suspensionem, quænam suspensio debet intelligi; an totalis, an partialis?

Resp. totalem intelligi debere ex c. *De sent. & re judicata*, in Sexto. Quemadmodum superiùs diximus de excommunicatione, quæ cum absolutè ac indeterminatè decernitur, major intelligenda est, ita declarante Gregorio IX. c. *Si quem*. *De sent. excom.* Nec obstat effatum Juris, *In pœnis benignior pars est accipienda*: quod quidem effatum locum non habet, ubi lex aut consuetudo repugnat. Quapropter maximè interest ut Superior verba, quibus suspensio fertur, diligenter discutiat ac ponderet, an sit absoluta; an, & ad quid restricta. Quod momentum ex mox dicendis magis elucidabitur.

Decret. p.1930.

ARTICULUS III.

De effectibus suspensionis.

I. SUspensus qui exercet id à quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis aut alia justa causa excuset: quia suspensio in re gravi fertur à Superiori, cui obtemperandum est sub pœna gravioris peccati. Potest tamen ille ea exequi quæ Laicis licita sunt, v.g. baptizare sine solemnitate, urgente extrema necessitate; item canere in Choro Laicorum more; potest etiam Sacramenta recipere, quia talis receptio non est usus potestatis ecclesiasticæ: imò Clericus suspensus, ad Officium divinum aliunde obligatus, tenetur illud privatim recitare.

II. suspensus à functionibus sui Ordinis, eas exercendo non tantùm peccat, sed etiam fit irregularis ob violatam Censuram: c.1. *De sent. & re judicata*. in Sexto: quod etiam intelligendum est de violante suspensionem, quæ est mera pœna. C.1. *De sent. excom.* in Sexto.

Sext. p. 375.n.10. ib.p.704. n.10.

III. Suspensus privatur communione aliorum in eo à quo suspensus est; ita ut peccet cum aliis communicando, v.g. Sacramenta ipsis ministrando, si à Sacramentorum administratione suspensus sit: item peccat qui cum suspenso sine necessitate communicat in iis, à quibus est suspensus: qui Sacramenta recipit à Sacerdote suspenso à collatione Sacramentorum; item qui audit Missam Sacerdotis ab Ordine suspensi. Quæ verò hìc dicta sunt, intelligi debent de suspenso nominatim declarato & denuntiato, juxta Constitutionem Martini V. *Ad evitanda scandala*. Aliquandò tamen suspensus ab Ecclesia toleratus, vitandus est jure divino & naturali.

IV. Quando suspensio fertur simpliciter & absolutè sine ulla determinatione ad hoc vel illud, censetur esse totalis: quandò verò ad aliquid determinata est, ab eo dumtaxat quod distinctè exprimitur, vel quod in eo necessariò includitur, suspendit, non ab alio. Inde facile est inferre,

I. Episcopum à jurisdictione tantùm suspensum, posse solemniter & in Pontificalibus celebrare, Ordines conferre, Ecclesias & Altaria consecrare; quia hæc ad potestatem jurisdictionis, (à qua tantùm suspensus supponitur) non pertinet, sed ad potestatem Ordinis: è contra non posse ad Beneficia eligere nec ea conferre, Censuras ferre, Sacerdotes ad audiendas confessiones approbare; quia hi actus jurisdictionis sunt, non Ordinis.

II. Episcopum à suis Ordinibus dumtaxat suspensum, posse in foro exteriori ea omnia quæ mox recensuimus exercere quæ ad jurisdictionem pertinent.

III. Episcopum à Pontificalibus suspensum, nullum Ordinem conferre posse, nec Sacramentum Confirmationis dare, nec Ecclesias, altaria consecra-

secrare; posse tamen, more simplicium Sacerdotum, sine Pontificali apparatu Missam celebrare. Si verò Episcopus ille ab officio Sacerdotali suspensus foret, nec Missam celebrare, nec Pontificalia exercere, v. g. ordinare; Ecclesiam consecrare posset, quia in his functionibus includitur officium Sacerdotale. Sic Sacerdos suspensus ad Ordine inferiori, suspenditur ab Ordine superiori; quia in functionibus Ordinum superiorum continentur functiones Ordinum inferiorum: v. gr. in celebratione Missæ includitur officium Diaconi & Subdiaconi.

IV. Presbyterum, qui à celebrando Missæ Sacrificio suspensus fuit, alia nihilominus Sacramenta, Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ (si ad istud approbatus est) ministrare posse, ut & verbum Dei prædicare, Evangelium & Epist. in Missa cantare.

V. Eum qui à certo quodam & determinato jurisdictionis actu suspensus est, ab illo solùm, & non ab alio suspendi. Ita Sacerdos, qui ab audiendis confessionibus suspenditur, non potest quidem eas audire & à peccatis absolvere; sed potest baptizare, Eucharistiam perficere, verbum Dei prædicare, modò aliunde nihil obstiterit.

VI. Parochus ab officio Parochiali dumtaxat suspensus, abstinere quidem debet à Missa Parochiali cantanda, audiendis confessionibus, administranda ex officio Eucharistia: verùm Sacrum seu Missam celebrare potest.

VII. Suspensus ab Officio inhabilis est ad acquirenda Beneficia; suspensio etenim impedit collationem vel obtentionem novi Beneficii. Ratio est, quia Beneficium Ecclesiasticum est propter aliquod officium, id est ordinatur ad alicujus muneris vel officii Ecclesiastici administrationem; ergo qui ab illo munere suspensus est, huic consequenter interdicitur susceptio Beneficii. Colligitur ex cap. ultimo. *De clerico excommunicato.*

Quæres 1. An Clericus qui in sua Diœcesi à functionibus sui Ordinis suspensus est, possit in alia Diœcesi, ad quam divertit, eas exercere.

Resp. Non posse: *Qui enim ab uno Episcopo suspensus est*, ajunt Doctores Canonistæ, *ubique habendus est suspensus*: quemadmodum qui ab uno fuit excommunicatus, ab alio recipi non debet.

Quæres 2. Quis possit Clericum in sua Diœcesi, à qua discessit, suspensum absolvere.

Resp. Vel illa suspensio est ab homine, vel à jure, si ab homine, ad eum Episcopum remittendus est, à quo suspensus fuit: si verò à jure, absolvi potest ab illo Episcopo in cujus Diœcesi domicilium fixit.

Quæres 3. Quam pœnam incurrat Clericus qui violat suspensionem, exercendo functiones Ordinis à quibus suspensus fuit.

Resp. Præter peccatum quod committit, irregularem eum fieri propter violatam Censuram. cap. *Cùm medicinalis. De sent. excommunic.* in Sexto. Caveant Ecclesiarum Prælati & Judices universi, ne prædictam pœnam suspensionis incurrant: quoniam si contingeret eos sic suspensos divina Officia exequi, sicut priùs, irregularitatem non effugient. Ad illam autem incurrendam, necesse est, ut & suspensio sit vera Censura, non nuda seu mera pœna; & ut exprimatur an ab omnibus absolutè, an ab aliquibus dumtaxat Ordinis functionibus fiat suspensio. Si enim v. g. quis suspenderetur ab Ordine majori, irregularis non fieret exercendo functiones Ordinis minoris, à quo suspensus non est. Pariter Clericus à suis Ordinibus suspensus, *Sext. p. 704.*

potest

potest cum aliis Clericis in Choro Psalmos decantare, absque metu incurrendæ irregularitatis, quia hæc functio propria non est sacri Ordinis. Si tamen orationes diceret additis istis verbis, *Dominus vobiscum*, existimant nonnulli, illum irregularem fore, quia functio hæc videtur ipsis annexa Ordini Presbyterorum & Diaconorum.

Queres 4. An qui suspensus est possit Sacramenta & recipere & administrare.

Resp. 1. Posse illa recipere, quia suspensio privat dumtaxat usu & exercitio Ordinis, Officii, vel Beneficii, non autem participatione Sacramentorum.

Resp. 2. Peccare quidem Sacerdotem suspensum, cùm Sacramenta administrat; nihilominùs ea valida esse quæ à potestate jurisdictionis non pendent, ut Baptismus, Eucharistia, Extrema unctio &c.

Resp. 3. Sacerdotem suspensum non toleratum, sed publicè declaratum ac denuntiatum, non posse administrare Sacramenta quæ à jurisdictione pendent, sicuti Sacramentum Pœnitentiæ: si verò toleratus sit, non denuntiatus, adhuc fruitur sua jurisdictione post Constitutionem Martini V. *Ad evitanda*, proindeque actus omnes qui jurisdictionem exigunt, validè exercet.

CAPUT TERTIUM.

De Interdicto.

Tria iterum quæremus in hoc capite. 1. Quid sit Interdictum. 2. Quotuplex. 3. Quinam ejus effectus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Interdictum.

INterdictum est *Censura Ecclesiastica privans usu seu participatione aliquorum Sacramentorum, publica divinorum Officiorum celebratione, ac Ecclesiastica sepultura.*

Dicitur 1. *Censura*: ut distinguatur ab irregularitate & à cessatione à divinis, quæ nec Censura est, nec pœna, sed simplex prohibitio, vi cujus Clerici desistere debent à sacris Officiis certo in loco solemniter celebrandis, in signum gravissimi luctus seu mœroris Ecclesiæ, ob causam qua interdum compellitur ad illam à divinis cessationem imperandam, v. g. propter pollutionem Ecclesiæ &c.

Dicitur 2. *Privans usu & participatione aliquorum Sacramentorum*: qua ex parte differt ab excommunicatione quæ privat omnibus communibus Ecclesiæ spiritualibus bonis, imò & civili cum Fidelibus societate ac commercio, nonnullis exceptis casibus.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Interdictum.

TRiplex generatim distinguitur, locale scilicet, personale, & mixtum.

Locale directè cadit in locum, ac impedit ne in eo divina Officia saltem

tem

tem publicè celebrentur, & ne quis in eo sepultura donetur. Locale verò illud interdictum, vel generale est; v. g. Regni, Provinciæ, Civitatis; vel speciale, alicujus nempe Ecclesiæ. Si generale, in nulla prorsùs Regni, vel Provinciæ, vel Civitatis Ecclesia licet divina celebrare & audire Officia: si verò speciale, non licet quidem in tali speciali Ecclesia, sed licet in aliis ejusdem Provinciæ vel Civitatis Ecclesiis non interdictis illa Officia publicè celebrare & audire, ac sepelire.

Personale in ipsas cadit personas, & ita ipsis adhærescit, ut in nullo loco divina Officia audire possint, aut Ecclesiastica sepultura donari.

Interdictum mixtum ex locali & personali constat, & directè afficit tum locum, tum personam; ac proinde omnes interdicti localis & personalis effectus mox dictos sortitur.

Quæres, an interdicta Ecclesia aliqua particulari, censeatur & cæmeterium pariter interdictum.

Resp. Si cæmeterium Ecclesiæ contiguum sit, interdicto subjacere, sicut, ut alibi diximus, polluitur, Ecclesia polluta; accessorium enim principale sequitur: secùs verò si non sit contiguum, sed dissitum ac distans. Ita statuit Bonifacius VIII. c. *Si civitas. De sent. excom.* in Sexto. *Si sit*, inquit, *Ecclesia interdicto subjecta, nec in capella ejus celebrari, nec in cæmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri; secùs si ei contigua non existant*. Si verò cæmeterium interdiceretur, non idcirco interdicta censeretur Ecclesia, quia pars ad se totum non trahit, sicut totum trahit ad se partem. *Sext. p. 742. n. 20.*

ARTICULUS III.

De effectibus Interdicti: quò usque se extendant.

INterdictum generale, vel in loca, vel in eas duntaxat personas cadit quæ in sententia exprimuntur. Atque ita si v. gr. soli Clerici in ea nominentur, populus comprehendi non censetur; quia sub appellatione *Clerici*, qui status est specialis personarum quæ Deo dicatæ sunt, populus non comprehenditur: vice versa, si solus appellatur populus, Clerici comprehensi in Censura non censentur. *Licet appellatione populi*, ajunt Canonistæ, *comprehendantur omnes cives, non tamen omnes homines alterius professionis, ut sunt clerici*. Ita definivit Bonifacius VIII. c. *Si sententia. De sent. excom.* in Sexto. *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus populus; nec etiam è converso; unde uno interdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad divina.* *Sext. p. 640.*

Si familia integra interdiceretur, Clerici in ea contenti interdicto subjacerent, quia familiæ nomine ii omnes intelliguntur, qui eam componunt.

Cùm Ecclesiæ dumtaxat loci alicujus, propter domini delictum interdicuntur, hujus loci incolæ, qui delicti sui domini participes non sunt, interdicti pœnam ferre non debent; quapropter Sacrum audire possunt in aliis Ecclesiis non interdictis. Ita ib. Bonifacius VIII.

Pariter si soli incolæ sint interdicti, Ecclesiæ interdictæ propterea non censentur; unde possunt exteri, viatores &c. in iis Sacrum audire. Ex his facilè est, quæ sequuntur, inferre.

I. Quan-

I. Quando interdictum pronuntiatum est contra totum, v. g. contra Civitatem, Communitatem, omnes partes eadem pœna afficiunt; v. g. omnes hujus Civitatis Ecclesiæ, quamquam aliunde non subjectæ jurisdictioni Episcopi à quo latum est interdictum; omnia hujus Communitatis membra, omnia Sodalitia quæ occurrunt in populo generatim interdicto: quia illi omnes sunt partes totius in quod pœna interdictionis lata est. Excipi nihilominùs debet Episcopus ab interdicto lato adversùs totum alicujus Diœceseos Clerum. Ita statuit Innocentius IV. cap. *Quia periculosum. De sent. excommunic.* in Sexto. *Duximus statuendum*, inquit, *ut Episcopi & alii superiores Prælati nullius Constitutionis occasione, sententiæ, sive mandati, prædictam* (interdicti vel suspensionis) *incurrant sententiam ullatenus ipso jure, nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur*. An verò Episcopus ipse subjaceat interdicto quod ipse tulit, quæstio esse potest, quæ quidem distinctione solvitur: si nempe interdictum sit locale, servare illud debet Episcopus, si verò sit personale, latum v. g. in Communitatem, cujus ipse caput est, illo non tenetur: quia nemo vim habet coactivam in semetipsum, aut æqualem, aut superiorem.

Sext. p. 713.

II. Interdicta parte alicujus totius, v.g. Parochiæ vel Suburbii, vel Sodalitii alicujus populi, neque tota civitas neque totus populus interdicto subjacet: ut enim diximus, pars ad se totum non trahit, sicut totum trahit ad se partem.

III. Si civitas aliqua, suburbium, pagus, castrum, interdicatur, quæ domus adjacent, eidem interdicto subjiciuntur. cap. *Si civitas*, *de sent. excom.* in Sexto.

Ibid. p. 741.

IV. Cùm Ecclesia principalis, qualis est Cathedralis, interdictum, qualecumque sit, generale vel speciale, observat, omnes hujus loci Ecclesiæ illud pariter observare tenentur; ea tamen conditione, ut si nominatim non sint interdictæ, divina Officia celebrare possunt januis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis. Ita Bonifacius VIII. cap. *Alma mater. De sent. excom.* in Sexto: imò & permittit ibid. ut in festis solemnibus in citato Canone expressis celebrentur divina Officia cum omni solemnitate, omnibus admissis, præter excommunicatos.

Ibid. p. 750.

V. Regulares quicumque sint, exempti vel non exempti, tenentur observare interdictum generale, quod tulit Diœcesanus Episcopus, & quod ipsamet Ecclesia principalis seu Cathedralis observat. Ite expresè jussit Clemens V. Clementina 1. tit. *De sent. excom.* ubi pœnam excommunicationis contra illos qui interdictum violarent, decernit. *Non servantes*, inquit, *excommunicationis sententiæ hoc ipso volumus subjacere*. Addit ib. Clemens V. illud interdictum à Regularibus observari debere, *cum moderatione Decretalis Alma*, quæ est Bonifacii VIII. ubi Regularibus permittit sua pro more Officia celebrare, januis clausis, submissa voce, ita ut ab exteris non audiantur, & non pulsatis campanis. Conc. Trid. sess. 25. c. 12. idem Regularibus injungit, quod Clemens V. *Censura*, inquit, *& interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.*

Clemen. pag. 307. n. 30.

Diximus in definitione interdicti, tres esse illius effectus, nempe privationem divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, ac Ecclesiasticæ sepulturæ.

Quæres itaque 1. Quid sit privatio divinorum Officiorum.

Resp.

Resp. privationem illam in eo consistere, sicut jam diximus, ut qui interdicti sunt interdicto locali vel personali, non possint licitè publicè divina Officia celebrare, sacrificio interesse, nisi sub moderatione seu conditione à Bonifacio VIII. adhibita, de qua mox dictum est. Nomine autem divinorum Officiorum intelligitur omnis actio ab Ecclesia ordinata ad usum Ordinum, Sacramentorum, sacramentalium, & preces ejus nomine fundendas, quales sunt Horæ canonicæ.

Quæres 2. à quibus Sacramentis privet interdictum.

Resp. I. jure tam novo quàm veteri non licere Sacramentum Ordinationis conferre in loco interdicto, etiamsi ordinans vel ordinatus non sit interdictus: quod si alteruter sit interdictus, nequidem in loco non interdicto celebrari potest Ordinatio. Nihil hac in parte innovavit Bonifacius VIII.

II. Omni jure tum veteri tum novo licitum fuisse conferre Baptismum infantibus, & absolutionem sacramentalem & viaticum Eucharistiæ in articulo mortis constitutis. Verùm Bonifacius nonnihil de priori severitate relaxavit c. *Alma mater*, circa Pœnitentiæ Sacramentum, quod etiam sanis postulantibus tempore interdicti concedi posse indulget. Excipit tamen ab illa indulgentia tum *excommunicatos*, tum eos, *propter quorum culpam* (sunt verba S. Pontificis) *dolum vel fraudem, lata est sententia interdicti; vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione ipsum interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium vel favorem*. Inde sequitur non licere extra mortis periculum, Pœnitentiæ Sacramentum administrare iis qui specialiter ac nominatim sunt interdicti; non licere etiam ipsis & Confirmationem & Eucharistiam dare, sicut promptum ac facilè est illud colligere ex cap. *Episcoporum*. *De privilegiis*. in Sexto. *Sext. p. 725.* *Ib p. 679.*

Constat ex dictis, stante interdicto generali dumtaxat locali, incolas illorum locorum conferre se posse ad alias Ecclesias, ut ibi Eucharistiæ fiant participes: quod certè non licet stante interdicto generali personali; non enim licet Eucharistiam tunc dispensare sanis, nisi certis quibusdam ac solemnioribus diebus, exclusis tamen excommunicatis, nominatim interdictis, vel iis qui culpæ, propter quam latum est interdictum, cooperati sunt: quamquam enim his diebus liceat illis Missæ sacrificio aliisque divinis Officiis interesse, non tamen licet Eucharistiæ participare; cap. *Alma mater*. *Præfatis diebus*, ait Bonifacius, *participationem permittimus divinorum: sic tamen quòd illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent*.

Nihil innovavit Bonifacius circa Sacramentum Extremæ unctionis, quod interdicto pendente, jure etiam veteri, sicut novo, interdictis conferre non licuit. Cap. *Quod in te*. *De pænit. & remiss.* quod est Innoc. III. *Decret. p. 1870.*

Quantùm verò spectat Sacramentum matrimonii, cùm per benedictionem sacerdotalem conferatur, quæ ad officium, seu ministerium ecclesiasticum pertinet, videtur illud tempore interdicti administrari non debere, saltem publicè & coram omnibus. Consule cap. citatum. *Alma mater*.

Quæres 3. an interdictis neganda sit ecclesiastica sepultura.

Resp. I. interdictis nominatim denegandam esse. Cap. *Quod in te*. *De pænit. & remiss.* & c. *Is cui*. *De sent. excomm.* in Sexto. Clementina 1. de sepulturis. *Eos qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu cla-* *Sext. 744.* *Clem. p. 180.*

clavium Ecclesiæ in cæmeteriis interdicti tempore, in casibus non à jure concessis; vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos .... decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere.

II. Quamdiu durat interdictum locale, nullus Laicus in cæmeteriis eorum locorum sepeliri potest: si tamen Laicus nominatim interdictus non sit, nec causam culpabilem dederit interdicto, potest in alio loco sacro interdicto sepeliri.

III. Clerici qui nominatim interdicti non sunt, nec interdicto generali suæ culpa locum dederunt, ex speciali privilegio in locis sacris etiam speciatim interdictis, sepeliri possunt: at verò si interdictum generale non sit, corpus defuncti deferendum est ad Ecclesiam non interdictam. Hoc ipsum privilegium ad Monachos & Moniales extenditur: attamen submissa voce, sine cantu, sine campanarum sonitu ac pompa funebri peragi officium istud debet. Cap. *Quod in te. De pœnit. & remis.* ubi dicitur: *Licèt per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam ecclesiastica sepultura: concedimus tamen ex gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen servaverint interdictum, in cæmeterio Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnibus omnibus, cùm silentio tumulentur.*

Decret. p. 1870.

IV. Eadem ecclesiastica sepultura privantur infantes baptizati ante usum rationis mortui, quamdiu durat interdictum locale generale: quia licèt non sint præcepti capaces, nec proinde interdicti personalis, attamen cæmeterium interdictum capax non censetur recipiendi cadaveris.

V. Qui officio paschali non satisfaciunt Eucharistiam percipiendo, juxta Statutum Lateranense Can. *Utriusque sexus, & viventes ab ingressu Ecclesiæ arcendi sunt, & morientes carent christiana sepultura.*

Decret. Grat. p. 1411.

Denique christiana sepultura deneganda non est iis qui non sunt nominatim ac expresè interdicti. Namque juxta regulam Juris, *Sanè quod*, c. 24. q. 2. *quibus vivis communicavimus, mortuis quoque communicamus.* Porro ex Constitutione Martini V. *Ad evitanda*, licita est hac vita societas & communicatio cum excommunicatis & interdictis toleratis, non declaratis nec denuntiatis.

Quæres quam ob causam ferri possit interdictum.

Resp. propter gravem culpam, vel propriam, vel alienam, sive interdictum sit locale, sive personale: v.g. ob culpam universitatis, vel domini temporalis, interdicuntur singula universitatis membra, vel terræ & personæ domino subditæ. Ex c. *Si sententia. De sententia excommunicationis*, in Sexto. Culpa autem debet esse gravis ac contraria bono publico. Namque Bonifatius VIII. c. *Providè. De sententia excommunicat.* vetat ne ab Episcopo interdictum generale feratur propter debitum pecuniarum.

Sext. p. 740.

Extrav. pag. 362.

Interdictum generale, sive locale, sive personale, ab eadem auctoritate, Episcopali scilicet, tollitur, à qua fertur.

FINIS.

APPENDIX
DE
CENSURIS.

QUÆSTIO PRIMA. *De Censuris in genere.* 297
ARTICULUS PRIMUS. *Quid sit Censura.* ibid.
ARTICULUS II. *An Ecclesia potestatem habeat ferendi Censuras.* 298
CONCLUSIO. *Ecclesia potestatem habet ferendi Censuras.* 299
ARTICULUS III. *A quibus ferri possint Censuræ.* 300
CONCLUSIO. *Censuræ ferri possunt ab omni & solo Prælato Ecclesiastico, vel ejus delegato, idest à Clerico jurisdictionem ordinariam vel delegatam habente in foro externo.* ibid.
ARTICULUS IV. *In quos ferri possint Censuræ.* 301
CONCLUSIO. *Censuræ ferri possunt in omnes & solos homines baptizatos viatores, rationis & doli capaces, ac subditos.* ibid.
ARTICULUS V. *Quæ observandæ sint formalitates in ferendis Censuris.* 304
CONCLUSIO. *Requiritur prævia monitio canonica ad Censuram quæ ab homine infligitur pro culpa præterita vel præsenti.* ibid.
ARTICULUS VI. *Ob quam culpam ferri possint Censuræ.* 305
CONCLUSIO. *Censuræ non infliguntur nisi ob peccatum externum junctum cum contumacia & inobedientia contra Ecclesiam; illudque, saltem ordinariè, mortale ac consummatum, seu in genere suo completum.* ibid.
ARTICULUS VII. *Quæ causæ excusent à Censuris.* 306
ARTICULUS VIII. *De absolutione à Censuris.* 308
Utrum per solam absolutionem tolli possint Censuræ. ibid.
CONCLUSIO. *Censuræ nullo modo tolli possunt, quàm per Judicis absolutionem.* ibid.
A quo dari possit absolutio à Censuris. ibid.
PRIMA CONCLUSIO. *A Censura* ab homine *per sententiam particularem lata absolvere potest 1. qui eam tulit. 2. ejus Superior. 3. ejus Successor. 4. Judex appellationis, aut eorum delegatus.* ibid.
SECUNDA CONCLUSIO. *A Censura juris, vel sententia generalis quam auctor sibi reservavit, nemo absolvere potest præter ipsum, ejusve superiorem, successorem, vel delegatum.* 309
TERTIA CONCLUSIO. *Omnis Sacerdos legitimè approbatus potest absolvere ab omnibus Censuris non reservatis.* 310
Quis sit modus absolvendi à Censuris. 312
ARTICULUS IX. *Quomodo dividatur Censura.* 313
QUÆSTIO SECUNDA. *De Censuris in particulari.* 314
CAPUT PRIMUM. *De excommunicatione, quæ prima est Censuræ species.* 315
ARTICULUS PRIMUS. *Quid sit excommunicatio.* ibid.
ARTICULUS II. *Quotuplex sit excommunicatio.* 316
De majori excommunicatione. ibid.
ARTICULUS III. *De effectibus majoris excommunicationis.* 319
De effectibus excommunicationis majoris respectu excommunicati, sive tolerati, sive non. ibid.
De effectibus excommunicationis respectu societatis & commercii cum Fidelibus. 323

Qui-

Quibus in casibus, quibusve personis jura permittant cum excommunicato non tolerato in rebus civilibus communicare. 325
De minori excommunicatione. 326
ARTICULUS IV. *De Monitoriis. Quid sit Monitorium, quid* Aggrave & Reaggrave. 328
Quis facultatem habeat decernendi Monitoria. 329
Quæ causæ sint propter quas decerni possint Monitoria. 330
Quinam teneantur revelare, si noverint, facta in Monitoriis expressa; vel excusantur à revelatione. 332
CAPUT SECUNDUM. *De suspensione.* 333
ARTICULUS PRIMUS. *Quid sit suspensio.* 334
ARTICULUS II. *Quotuplex sit suspensio.* 335
ARTICULUS III. *De effectibus suspensionis.* 336
CAPUT TERTIUM. *De interdicto.* 338
ARTICULUS PRIMUS. *Quid sit interdictum.* ibid.
ARTICULUS II. *Quotuplex sit interdictum.* ibid.
ARTICULUS III. *De effectibus interdicti; quo usque se extendant.* 339

FINIS INDICIS.

Quibus in casibus, quibusve personis jura permittant cum excommunicato non toleratto in rebus civilibus communicare. 325
De minori excommunicatione. 326
ARTICULUS IV. *De Monitoriis. Quid sit Monitorium, quid* Aggrave *&* Reaggrave. 328
Quis facultatem habeat decernendi Monitoria. 329
Quæ causæ sint propter quas decerni possint Monitoria. 330
Quinam teneantur revelare, si noverint, facta in Monitoriis expressa; vel excusantur à revelatione. 332
CAPUT SECUNDUM. *De suspensione.* 333
ARTICULUS PRIMUS. *Quid sit suspensio.* 334
ARTICULUS II. *Quotuplex sit suspensio.* 335
ARTICULUS III. *De effectibus suspensionis.* 336
CAPUT TERTIUM. *De interdicto.* 338
ARTICULUS PRIMUS. *Quid sit interdictum.* ibid.
ARTICULUS II. *Quotuplex sit interdictum.* ibid.
ARTICULUS III. *De effectibus interdicti; quo usque se extendant.* 339

FINIS INDICIS.